

Cristina Trivulzio del.

FLAVII CRESCONII CORIPPI
IOHANNIDOS
SEV DE BELLIS LIBYCIS
LIBRI VII.


EDITI

EX CODICE MEDIOLANENSI MVSEI TRIVVLTII

OPERA ET STVDIO

PETRI MAZZVCCHELLI

COLLEGII AMBROSIANI DOCTORIS.



MEDIOLANI

EX IMP. AC REG. TYPOGRAPHEO

ANNO MDCCCXX.

AD CLARISSIMVM VIRVM

IOHANNEM IACOBVM MARCHIONEM TRIVVLTIVM

PRAEFATIO.

Tandem in conspectum Tuum, Clarissime Vir, Corippus Tuus, tamdiu abs Te expectatus, uenit. Vsque ab anno enim MDCCCXIIII., cum Tibi indicassem domi Tuae in Museo refertissimo rerum pretiosissimarum latere Poëma illud *De Bellis Libycis,* iamdiu desideratum a litteratis uiris, statim significasti placere Tibi, ut ego illud quam primum publici iuris facerem. Tunc libenter hunc laborem suscepi, ne dicam potius temere atque imprudenter; primo namque conspectu Codicis non animaduerti eundem esse undequaque et mancum et a manu imperitissima descriptum, ita ut opera indigeret editoris magis periti. In eo exscribendo solummodo cognoui non esse onus aptum humeris meis; sed nefas duxi non parere Tibi, cui tantum debeo. Possem tam longae morae caussas plures in medium afferre, inter quas non postremum tenet locum minus commoda ualetudo, qua saepe utor: sed cum Tibi eaedem sint plane perspectae, satius erit eas praeterire; etiam ne aliis uidear potius tarditatem ingenii mei uelle sic obtegere. Atque illico orationem conuertam ad ea breuibus quamque planissime potero explicanda, quae Te sensi cupere edoceri, quaeque tradi sibi lector

iure quodammodo postulat in aditu ipso operis cuiuslibet, quod primo ex uetustis tenebris in lucem profertur. Dicam itaque primo de Poëmatis huius a Corippo compositi existentia; deinde de Codicibus, qui illud descriptum habebant, deque unico Tuo superstiti; postmodum de argumento Poëmatis ipsius, atque de utilitate ex eodem capienda praesertim ad historiam illustrandam; ac postremo de ratione, quam secutus sum in eo edendo.

Corippum scripsisse hoc Poëma fassus est idem auctor in Fragmento *Carminis in laudem Iustini Aug. minoris*, ubi u. XXXV. ait:

Quid Libycas gentes, quid Syrtica proelia dicam
Iam libris completa meis?

Attamen non desunt alii testes. « Testis est » enim (ut uerbis utar Petri Francisci Fogginii in *Praefatione* ad suum Corippum p. XI.) « auctor anonymus, qui » Cresconianam Collectionem ueterum Canonum, alia- » que SS. Patrum Opuscula descripsit in membra- » naceo Ms. Codice saec. X. Romae in Bibliotheca » Vallicellana adseruato, et nunc notato tom. XVIII., » qui texens pag. 136. Opusculorum omnium a se » descriptorum Indicem, sub hoc titulo: *Haec sunt,* » *quae in Codice habentur;* ita incipit: *Concordia Ca-* » *nonum a Cresconio Africano Episcopo digesta sub* » *capitulis trecentis. Iste nimirum Cresconius Bella, et* » *Victorias, quas Iohannes Patricius apud Africam de* » *Saracenis gessit, hexametris uersibus descripsit sub* » *libris* . . . . . . Hanc notam (prosequitur Fogginius) » iuris publici fecit Baronius (Ann. DXXVII. num. 76.), » et iterum ex ipso Codice descripsit, ac recudit Ma- » billonius (It. Ital. p. 69.) » Arguit deinde Fogginius

non immerito Chifletium et Coutantium, quorum prior in *Praef. Opp. Ferrandi*, et alter in *Praef. ad Epistolas Romanorum Pontificum* P. II. §. VII. n. 122. pag. CV. affirmauerant, Baronium inuenisse illam notam in Ms. Cod. Vaticano, et ex ipsa aetatem Cresconii Collectoris Canonum produxisse ad exitum saeculi VII.; cum ex Anastasio Bibliothecario et Cedreno constet anno III. Leontii Imp., idest Christi DCLXXXXVII., Arabes obtinuisse Africam, ex eaque expulsos fuisse ab altero Iohanne Patricio illuc misso ab ipso Leontio. In utrumque autem errorem inciderant reuera Ger. Ioh. Vossius *De Historicis Latinis* lib. III. par. II. cap. III., Guil. Voëllus in *Praefatione* ad *Bibliothecam Iuris Canonici Veteris*, editam *Lutetiae Parisiorum* anno MDCLXI., et Emmanuel a Schelestrate in opere inscripto *Ecclesia Africana sub Primate Carthaginiensi* (Diss. IV. cap. VII. n. 3. p. 317. et 319. ac seq. edit. Paris. 1679.); ac plures alii in postremum tantum: nempe Baronius loco citato; Pagius in eundem Baronii locum et ad annum DCLXXXXVI. n. V.; Labbeus in *Conciliorum* T. VI. edit. Paris. 1671. col. 1381.; Caueus in *Scriptor. Ecclesiasticor. Historia Litteraria* Vol. I. edit. Oxon. 1740. p. 600. an. 690.; Oudinus in *Commentario de Scriptoribus Ecclesiasticis* T. I. col. 1667. et seq. saec. VII. an. 690., qui etiam distinxit Corippum a Cresconio (ut fecerat Vossius, si conferas locum cit. cum eiusdem capite V. Libri II. *De Poëtis Latinis*), illum auctorem dicens tantummodo Poëmatis *De Laudibus Iustini*, et hunc *Collectionis Canonum;* Dupinius in *Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Ecclesiastiques* T. VI. Mons 1694. p. 45.; Ioh. Iac. Hofmannus in *Lexico Vniuersali* T. I. p. 1013. edit. Lugd. Bat. MDCXCVIII.; Ceillerus in *Histoire des*

Auteurs Sacrés et Ecclesiastiques T. XVII. Paris 1750. p. 757.; Berardus in *Praefatione* ad *Gratiani Canones genuinos ab apocryphis discretos* Taurini 1752. p. XXVIII.; Ballerinii in *Tractatu de antiquis Collectionibus et Collectoribus Canonum ad Gratianum usque* P. IV. cap. III. in *Appendice ad S. Leonis Magni Opera* seu T. III. Venet. 1757. p. CCLIV.; et alii fere omnes, qui de *Concordia Canonum* Cresconii egerunt; quibus subscripsisse uidetur Andres in eius opere *Dell' Origine, de' Progressi e dello Stato attuale d' ogni Letteratura Parte seconda delle Scienze Ecclesiastiche Libro terzo,* To. XXI. edit. Venetae anni MDCCC. p. 46. Iis accensendus est etiam Quadrius in opere, cui titulus *Della Storia e della Ragione d' ogni Poesia Vol. Quarto* (T. VI.) *Milano* 1749. p. 147.: de eo autem infra redibit sermo.

Sed hac in re sequenda omnino est opinio Fogginii, qui p. XV. ait: « Aut minus ueraciter, aut saltem » minus diligenter indicatum puto ab Adnotatore » Codicis Vallicellani « argumentum Carminis *De Bellis* » *Libycis,* quod ei innotescebat Cresconii nomine in- » scriptum. Si enim, quia tunc forte in ore uulgi » celebrabatur praecipue insignis uictoria, quam re- » centius in Africa de Saracenis Iohannes Patricius » Imp. Leontio reportauerat, hanc ille uictoriam Cre- » sconiani Carminis argumentum esse adserere inten- » dit, falsitatis eum arguunt primi eiusdem Carminis » uersus a Cuspiniano editi, qui bellum indicant uario » ac diuturno marte agitatum, cum e contrario bel- » lum Saracenicum sub Leontio breui temporis spatio » confectum esse constet ex Anastasio Bibliothecario et » Cedreno; . . . Si quis (p. XVI.) autem malit Adnota- » torem, secundum aetatis suae morem, Saracenorum

» nomine Africanas gentes appellasse, Africana licet » bella sub Iustiniano gesta indicare uoluerit, eum » non fuisse mendacem dabo, sed in proprietate uer- » borum minus diligentem dicam. »

Hinc prudenter, ut ego arbitror, ipse Fogginius non tantam fidem mereri Adnotatorem putat, quantam passim ei tribuunt citati Auctores, etiam dum affirmat Cresconium Corippum Poëtam eundem esse ac illum Cresconium Canonum Collectorem, nec non hunc reuera fuisse Episcopum. Concedit enim sub Iustiniano uixisse utrumque, sed in *Epistola Collectioni* praemissa *ad Liberinum* aliquas deprehendit phrases, quae *haud bene* (p. XV.) *conueniunt Episcopo ad Episcopum scribenti.* Hac in re nonnulli fortasse erunt, quibus acquiescere placebit opinioni Cl. Morcelli, qui in *Africa Christiana* (Vol. III. p. 321. et 329.) testatur, Poëtam nostrum Episcopum fuisse, nec non auctorem *Breuiarii et Concordiae Canonum*, sub anno DLXXI.; etsi argumenta Fogginii non modo non diluat, sed nec proferat quidem. Reuera fateor, et quicumque Poëma, quod iam primum utcumque in lucem a me profertur, legerit, mecum fateri debebit, nihil esse in *Iohannide*, quod Episcopum dedeceat. Nullum sane amorem profanum inuenies eo in Carmine, sed contra uere Christianum Poëtam illud ubique redolet. Imo, ut iam obseruauit Fogginius p. XXI., *Corippo familiares erant sacrae litterae, quod eius uersus ostendunt, in quibus plura ex illis imitatur.* Hoc idem confirmat *Iohannis*, itaut fere de hoc ipso Poëmate dici queat, quod Barthius de aliis eiusdem auctoris Carminibus testatum reliquit Lib. XXI. *Aduersar.* cap. II. col. 1014., nempe *Phrasim sacram* in eo *singulis paginis apparere.* Codices

praeterea, qui illud continebant, et de quibus mox subiiciendus est sermo, luculenter testantur Cresconium eiusdem esse auctorem. Cum autem hoc nomen frequentissimum fuerit in Africa, ut uel ex ipso opere Cl. Morcelli patet, in quo XXXV. Episcopos reperies sub Cresconii nomine, praeter unum Crisconium, ex opinione Fogginii recedere nequeo. De *Flauii* praenomine nihil est, quod dicam, nisi idem commune fuisse fere post Constantinianum saeculum apud Romanos et sub Romano imperio degentes. Cognomen uero *Corippus* peculiare est nostro Poëtae, nec ullum alium inueni hucusque eodem appellatum. Videtur autem id e Graeca lingua desumptum ex uocibus *κόρος puer* uel *pullus*, aut *niger*, et *ἵππος equus*; quasi dicas *equuleus*, uel *niger equus*, aut etiam *puer* idest *seruus ab equis*, uel *equiso*.

Etsi Poëma *De Bellis Libycis* olim pluribus in Codicibus descriptum exstiterit, de duobus tantum notitia ad eruditos uiros peruenit; nam tertius Triuultianus hucusque latuit, uel penitus ignotus exstitit, quamuis in plurium doctorum hominum manibus fuerit, ut infra docebo. Antiquiorem Codicem fuisse patet illum, qui in Bibliotheca Monachorum Montis Casini diu fuit adseruatus, nempe a saeculo XI. usque ad XVI. « Petrus » namque « diaconus (ut ait Fogginius p. X.) « in Au» ctario ad Chronicon Casinense Leonis Marsicani, » ubi inter libros, quos describi curauit Abbas Desi» derius, ad Romanam Cathedram postea euectus sub » Victoris II. nomine, *Cresconium* memorat *De Bellis* » *Libycis.* Hunc Codicem in Bibliotheca Monasterii » Montis Casini adhuc superfuisse anno MDXXXII. noui (est idem Fogginius, qui loquitur) « ex Ms. Codice

» Vaticano 3961., qui Indicem continet Casinensium » Mss. Clementis VII. iussu confectum, sic enim in » classe librorum grammaticalium legitur: *Liber Cre-* » *sconii Incip. Victoris.* » Suspicatus erat Fogginius, uel male indicatum hunc Codicem fuisse, uel mutilum exstitisse; cum, teste Cuspiniano, Budensis initium sumeret ab hisce uerbis: *Signa, duces,* etc.; sed nunc patet neutiquam id esse. Imo ex illa uoce *Victoris* constat Casinensem Codicem *Praefationem* etiam habuisse, quam praesefert quoque Triuultianus. Vtrum eadem caruisset Ms. Budensis, ex quo recitauit Cuspinianus priores quinque uersus Poëmatis eiusdem in suo *De Caesaribus et Imperatoribus* libro, ubi de Iustiniano agit, nobis non liquet. Etenim praeter titulum et illos quinque uersus, ex quibus reuera incipit Poëma, quique eiusdem argumentum nobis ante oculos ponunt, nihil aliud de illo Ms. Cuspinianus nobiscum communicauit. Neutrum autem eorundem Codicum ad nos usque perdurasse, non immerito est dicendum; cum nondum Poëma illud tamdiu expetitum, in lucem uenerit; nec adhuc sciri ab ullo potuit, quid illis Codicibus factum sit, quoue peruenerint. De Casinensi enim Fogginius iam *factus fuerat certior,* ut ipse ait, *a uiro docto illius Bibliothecae Curatore, nullam ibi restare membranam, quae Cresconii nomen praeseferat, nullam, in qua de Bellis Libycis agatur.* Angelus de Nuce, Abbas et Bibliothecarius Montis Casini, usque ab anno MDCLXVI., quo citatum illius Monasterii *Chronicon* edidit, ad seriem librorum, quos Desiderius describi curauerat, iure ac merito hanc notam apposuerat: *Eorum plurimi supersunt, non tamen omnes, expilata non semel nostra Bibliotheca.*

Nunc uenio ad Ms. Bibliothecae Budensis, quam magnis impensis Matthias Coruinus Hungariae Rex L. millibus Codicum, ut ferunt, adornauerat. Ms. illum uidit Iohannes Cuspinianus Budae; non autem in Monasterio Montis Casini, ut perperam refert I. A. Fabricius in utraque *Bibliotheca* sua *Latina*, illa nempe *ueterum Auctorum*, et altera *mediae et infimae aetatis;* et post eum Polycarpus Leyserus in *Historia Poëtarum et Poëmatum medii Aeui* p. 174., nec non auctor *Collectionis Pisauriensis omnium Poëmatum* To. VI. p. XII.; neque in Viennensi Austriae Bibliotheca, ut falso coniectabat Barthius in *Aduersar.* lib. LIV. cap. II. col. 2585.; neque in *Bibliotheca Badensi*, ut minus recte legitur in *Appendice Bibliothecae Conr. Gesneri* ab eo edita Turici anno MDLV. p. 26. art. *Crastonius Gorippus*, et in eiusdem *Bibliothecae Epitome per Iosiam Simlerum Tiguri MDLXXIIII.* p. 149., ac eadem in *Epitome postremo amplificata per Ioh. Iac. Frisium* ibidem anno MDLXXXIII. impressa p. 177. Est autem obseruandum hoc in opere distinctum fuisse Crastonium Gorippum a Cresconio. Illi tribuuntur *Iohannidos* libri, uti exstantes in Bibliotheca Badensi, teste Cuspiniano, alteri uero *Bella in Africa gesta sub Iustiniano Imp. carmine descripta*, et *Concordia Canonum.* Porro ii hac in re nullo modo sunt audiendi, cum prouocent ad librum Cuspiniani ipsius *De Caesaribus.* In hoc enim libro p. 176. editionis Basileensis anni MDLXI. ita idem ait: *Bellum uero Lybicum, quod Ioannes contra Aphros gessit, Fl. Cresconius Gorippus* (sic eum uocat) *octo libris prosequutus est, quibus titulum fecit Iohannidos: quos in Regia Bibliotheca Budae reperi. Hi sic incipiunt:*

Signa, Duces, gentesque feras, Martisque ruinas,
Insidias, stragesque uirum, durosque labores,
Et Lybiae clades, et fractos uiribus hostes,
Indictamque famem populis, laticesque negatos,
Vtraque letifero turbantes castra tumultu. *et reliqua.*

Sane Nic. Gerbelius operi Cuspiniani *auctorum, quos* idem *citat,* praemisit *Catalogum,* in quo legitur: *Crastonius Gorippus, qui libros Iohannidos scripsit, qui habentur in Bibliotheca Budensi.* Sic plane habet tum citata editio Basileensis, tum altera Francofurti anni MDCI., quae in Bibliotheca nostra Ambrosiana prostant. Principem editionem, quae tamen postuma exiit Argentorati anno MDXXXX., reuera nondum uidi; sed cum ex eadem repetitae sint posteriores, non est, cur aliquis putet nouos editores ausos esse immutare textum auctoris. Ideoque uel a prima editione operis Cuspiniani, uel fortasse ab errore Gerbelii factum est, ut alii, nempe Simlerus, et Gesnerus *Crastonem* uocauerint *Cresconium* nostrum. Eundem etiam *Crisconium* et *Crescentium* appellat Fabricius in citata *Bibliotheca mediae* et *infimae Latinitatis,* nec non *Crispum* I. N. Erythraeus in *Pinacotheca* p. 25. Porro Fabricius perperam culpam reiicit in Cuspinianum de falso *Crastonii* nomine. Christ. Daumius quoque scribebat Nic. Heinsio anno MDCLXXIII. *Iohanneida Corippi in Bibliotheca Budensi fuisse:* ut uidere est in Burmanniana *Sylloge Epistolarum* To. V. p. 217.

Sed quandonam, inquies, uiderit Cuspinianus Iohannidem *Budae,* ut ipse ait, *in Regia Bibliotheca.* Nic. Gerbelius in *Epistola ad Lectorem* data *Argentorati, Kalen. Augusti, ab anno redempti Orbis MDXXXX.,* et praefixa *Operi Cuspiniani De Caesaribus,* in qua

aliqua de uita auctoris congessit, haec de eodem ait: *Imperator Diuus Maximilianus, eum in Senatum suum adsciuit: eumque in Vngariam, Boemiam, Poloniamque Oratorem misit, annis duodecim continuis.* Imo ipse Cuspinianus in Epistola praemissa *Diario* suo *De Congressu Caesaris Maximiliani Augusti, et trium Regum, Hungariae, Bohemiae, et Poloniae, Vladislai, Ludouici, ac Sigismundi, in Vrbe Viennensi facto, XVII Iulii, Anno Christi M. D. XV.*, Iacobo Vilinger scribebat ex Vienna uigesima Augusti: *Quinque annis uoluo hoc saxum, quibus uigesies et quater in Hungariam Orator iui.* In ipso quoque Diario, quod exstat post cit. librum *De Caesaribus* p. 617. legitur: *Remissus est itaque Cuspinianus a Buda ad Caesarem;* et paulo post: *Praemissus est itaque Cuspinianus Budam.* Hinc non ambigendum est, uidisse Cuspinianum Budea Codicem Corippi intra annos MDX. et MDXV. Hoc eodem tempore procul dubio Cuspinianus alios quoque Codices ibidem consuluit; nam in suo *Commentario in Aurelii Cassiodori Consules* ad annum Christi CCCCX. p. 434. edit. Francofurti MDCI. sic ait: *Budae in bibliotheca regia, dum illic oratorem Caes. Maximiliani apud Vladislaum regem agerem, mirae uetustatis Procopium Graecum reperi; quem mihi rex mutuo dedit: in quo, cum conferrem cum Latino, multa deesse obseruaui; tam lacer et mancus uenit ad manus interpretis: quod et crebro lamentatur.*

Quid autem actum sit de illo Codice Corippi, hucusque ignoratur. Notum est enim, cum Solimanus II. Turcarum imperator anno MDXXVI. totam fere Hungariam suis armis subiecisset, et Budam expugnauisset, celebrem illam Bibliothecam, a Matthia Coruino Hungariae rege, ut iam dixi, coadunatam, direptam

fuisse, uarieque distractam. Hinc illius Codices plures in Bibliothecas migrauerunt, ut testatur Lambecius *Commentariorum de Augustissima Bibliotheca Vindobonensi Libro* I. num. XXXVI. p. 70. editionis Kollarii, ubi de iis agit, qui eandem uariis temporibus ditauerunt, ex quibus unus fuit ipse Cuspinianus, aliquot etiam ex Budensibus libris a se comparatis, dum eidem praeesset. Struuius quoque in *Introductione in Notitiam Rei Litterariae et usum Bibliothecarum* cap. II. §. XVIII. p. 67. et seq. editionis Iennensis anni MDCCX. de dispersione Bibliothecae Budensis agit, et alios ex Coruinianis Codicibus in Guelferbytana unumque in Salana Bibliotheca seruari affirmat; qui subdit etiam in priuatorum Bibliothecis reperiri huiusmodi Codices. Porro Georgius Remus nactus est in Bibliotheca Augusti iunioris Ducis Luneburgi Codicem, qui continebat *Opera Barth. Fontii*, quemque auctor obtulerat Regi Matthiae, ut putat idem editor, qui illa anno MDCXXI. Francofurti typis commisit. In Bibliothecis Italiae quoque uisuntur plures Mss. Budenses. Aliquot possidere Estensem animaduertit Tiraboschius in Historia Litteraria Italiae T. VII. P. I. p. 230. secundae editionis Mutinensis. Inueniuntur Florentiae quoque in Bibliotheca Laurentiana, ut monet nos Bandinius in illius *Catalogo Codicum Latinorum* To. I. col. 14. 142. et 696., et To. II. col. 846., quatuor Codices exscripti anno MCCCCLXXXVIII. et sequenti pro Matthia Coruino; sed ii fortasse ob eius mortem, quae contigit anno MCCCCLXXXX. pridie nonas uel VIII. Idus Aprilis, relicti fuerant Florentiae, atque a Leone P. X. redempti. Sed Codicem descriptum ibidem T. II. col. 759. prodiisse ex Budensi bibliotheca, testatus est, qui illum emerat

Constantinopoli. Imo Brassicanus in Praefatione ad suum Saluianum nos docet, ab ipso Hungariae rege Ludouico, qui patri suo Vladislao successit anno MDXVI., obtinuisse, antequam Turcae Budam ingrederentur, uarios Codices Coruinianos. Tandem residui CCCC. circiter Codices, Buda a Christi fidelibus recuperata, Viennam traducti fuerunt anno MDCLXXXVI., non tamen opera Lambecii, ut falso narrat Tiraboschius Historia supra citata T. VI. P. I. p. 159.; nam ipse Lambecius usque ab anno MDCLXXX. inter uiuos esse desierat. Tres Codices tantum ille anno MDCLXVI. Viennam e Budensi Bibliotheca retulerat, permittente ipso Turcarum domini administro, ut idem Lambecius testatur *Commentar.* Lib. II. cap. IX. col. 948. editionis citatae.

Quod uero ait Struuius de priuatorum Bibliothecis, dicendum est etiam de Museo Triuultio, in quo tres Codices existunt insignes, si membranas, scripturam, et ornatus praecipue spectes, qui depicta ostendunt stemmata regni Hungariae et praedicti eius regis Matthiae, nec non huius emblemata uaria. Sunt iidem praegrandi forma, et cooperti corio purpureo, in quo uisuntur adhuc impressa huiusmodi quoque insignia praeter uaria aurea ornamenta, omnes Latini, et saeculo XV descripti. In priori habentur *Ioannis Damasceni sententiae, item Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis Monologion, eiusdem Prologion, Cur Deus Homo, De Processione S. Spiritus, De Fermentato et Azimo, De Voluntate triplici uel de Similitudinibus, De Conceptu Virginis, De Sacramentis Ecclesiae.* Alter complectitur *Commentaria Porphirionis et Acronis in Q. Horatium Flaccum.* Tertio denique continentur haec, nempe *Laërtii*

Diogenis Vitae atque Sententiae eorum qui in Philosophia claruerunt, praemissa Epistola interpretis Latini F. Ambrosii Trauersarii Camaldulensis ad Cosmum Medicem: *Herodotus de Vita Homeri*, cui praeit *Peregrini Allii* interpretis *Praefatio ad Laurentium Medicem; P. Virgilii Maronis Vita per Donatum Grammaticum edita; Vitae quorundam Latinorum Poëtarum a P. Candido editae; Pomponii Infortunati in M. Annaei Lucani Vitam; Ex Annumerationibus Eusebii de Temporibus per Olympiadas Poëtarum quorundam Latinorum Vitae; Verba M. Fabii Quintiliani de Institutione oratoria Libro decimo cum de Poëtis Latinis tractat.* Tres isti Codices Mss. Coruiniani uidentur mihi praecipue ex charactere descripti Florentiae, qua in urbe rex Matthias, teste Struuio loco supra citato p. 66. et seq., *quatuor insignes librarios magnis impendiis semper aluit, quorum is labor unicus, ut omnes melioris notae auctores et Graecos et Latinos exscriberent.* Postremus Ms. sane Florentinum se prodit manifeste ex sequenti nota, quae in calce eiusdem legitur, nempe: *Franciscus Sassettus Thomae filius florentinus Ciuis faciundum curauit. Mitia Fata Mihi.* Cum Thomam tum Franciscum Sassettum plurium reuera Codicum possessores fuisse testantur Iulianellius in *Praefat.* ad Biscionii *Catalogum Bibliothecae Mediceo-Laurentianae* p. XXXXI. nota (63.), et Bandinius in suo *Catalogo* eiusdem *Bibliothecae*, ut patet ex *Indice* in To. V. uerbo *Sassettus* col. 758. Quin imo Bandinius ipse To. I. *Catalogi Codicum Graecorum* in *Praefatione* p. XI. scripsit: *Nec omittendi Codices ferme quinquaginta Gentis Sassettae, qui quum anno MCCCCXLIX. notentur, uix dubitandum, et hos in Cosmi potestatem deuenisse.* Obseruandum est etiam illud

effatum *Mitia Fata Mihi*, inscriptum fuisse in omnibus Codicibus, qui nomen *Francisci Sassetti* habent. Ne credas tamen Codicem Triuultianum, qui Laërtii *Vitas* continet ex Bibliotheca Medicea prodiisse, cum insignia gentilitia, quae illum intus et foris ornant, et praecipue Coruus cum anulo in rostro, dubium nullum relinquant eundem Ms. ad Bibliothecam Coruinianam spectasse, uel ex cessione Francisci Sassetti, uel etiam postquam distracta fuerit huius Bibliotheca. Hanc Michaël Verinus Mediceae aequiparabat scribens ad Petrum Ridolfum, prout legitur in illius Epistola edita a Bandinio Tomo III. cit. *Catalogi Bibliothecae Laurentianae* col. 480., in qua sic ille ait: *Non est mihi Saxetta, uel Medicea bibliotheca, sed est scrinium paruum refertum emendatis libris, quos uel Attalicis uestibus praepono.* De eodem Francisco Sassetto luculentum testimonium exstat apud Barth. Fontium, qui plura ad illum Epigrammata direxit, et a quo praeterea Liber suorum Carminum *Saxettus* inscriptus fuit, ut uidere est in editione citata Operum eiusdem Francofurtensi anni MDCXXI. p. 374. et seqq.

Attamen ad Budensem Bibliothecam nunquam spectauit Codex, quo utor in edendo Corippi Poëmate. Constat enim uel ex collatione uersuum, quos publici iuris fecerat Cuspinianus ex Ms. a se Budae perspecto, non eundem plane fuisse ac nostrum, ut patebit cuique inspicienti notas, quas adieci ad priores quinque uersus Libri I. Quinimmo ille Codex *octo* continebat *libros*, et noster plusquam septem nunquam enumerauit. Praeterea Triuultianus Codex Mediolani exscriptus fuit saeculo XIIII., eademque in urbe semper exstitit, ut breui me comprobaturum spero. Ideo *Mediolanensis*

a me uocatus est in ipsa libri fronte, ut statim lectores monerem nec Budensem neque Casinensem me nactum fuisse. Ex charactere illo inter Latinum et Teutonicum, quem Semigotthicum appellat uulgus, nec non ex illa crassiori papyro, cuius usus uiguit praecipue saeculo XIIII., coniicio ad idem saeculum spectare. Charta reuera praesefert signum quoddam mihi ignotum, nempe palliolum bipartitum, uel uittas duas dependentes, nescio an ab ala extensa, uel a cornu ceruino. Sed in ipso Codice adiectae fuerunt eodem, ut puto, saeculo, plures aliae chartae, in quibus aliorum poëtarum carmina exscripta sunt charactere non absimili illi, quo Corippi Poëma est descriptum. In prima autem ex hisce chartis uisitur corona laurea, et reliquae, quae constant foliis XV., referunt anguem Vicecomitum absque puero tamen, ut passim conspicitur in papyro Mediolanensi saeculi etiam XV. Aliud argumentum, ex quo patet Mediolani exstitisse usque a saeculo XIIII. Codicem nostrum, sumo ex IIII. Schedis in eodem Ms. repertis, quae continent Periochas quasdam ad aliquot eiusdem Poëmatii Libros. Videntur autem illae ab eadem manu conscriptae, quae Codicem exarauerat. Porro in ipso Ms. ad Lib. III. u. 345., ut moneo in Nota ad eumdem locum, haec leguntur: *Hic describitur mortalitas quasi sicut fuit* MIII°XLVIII.; et Periocha ad eundem locum respondens sic se habet: *describit mortalitatem, et proprie sicut fuit* MCCCXLVIII., *et Mediolani* MCCCLX. Hinc etiamsi aliquis negare uoluerit Mediolani exscriptum Codicem, saltem ex quo tempore Periochae scriptae, in eoque relictae fuerunt, Mediolani illum exstitisse, concedendum erit. Hic fortasse eundem Codicem uidit Iohannnes Aloysius Guidobonus, quem

citaui ad lib. VI. u. 370. et ad lib. VII. u. 509., qui Carmen scripsit hucusque ignotum, ut est etiam idem poëta, de itinere Galeatii Mariae Sfortiae, quum illum pater eius Franciscus Ferrariam mitteret in occursum Friderici Imp. anno MCCCCLII. ineunte. Nuper Bibliothecae Ambrosianae acquisitus fuit idem membranaceus Codex oblatus Galeatio Mariae, qui post mortem patris fuit Dux Mediolani, ut coniicio ex stemmate in priori pagina picto cum aliis ornatibus. Titulum hunc praesefert: *Ad . Ill . P . Galeaz Mariam . Sf . Vicecomitem . Papiae . Comitem . Io. Aloysii Guidoboni Oratio incipit.* Ibidem autem occurrit peculiariter uox *bisquini*, qua solus Corippus fortasse usus fuerat. Imo, nisi mea me fallit opinio, Mediolani semper fuit Triuultianus Corippi Codex. Eum enim, ut puto, una cum aliis Codicibus a XXuiris moderatoribus Fabricae Templi maioris Mediolani coëmit auus Tuus, Clarissime Iohannes Iacobe, Marchio nempe Alexander Theodorus Triuultius, de litteris adeo benemeritus: ut testantur plures ex praeclarissimis saeculi superioris Scriptoribus ueluti Muratorius, Gorius, Guido Ferrarius, aliique, qui uel opera eidem dicauerunt, uel de eo mentionem in suis scriptis reliquerunt; nec non libri Mediolani impressi impensis Societatis Palatinae, cui fere praeerat, quamque aliquando est moderatus. Cum in uiuis esset Hieronymus patruus Tuus, cui tantum debeo, utpote qui me sub Tuam clientelam esse uoluit, narrabat mihi, Codicem illum ingentem, qui continet Epistolas Francisci Philelfi, quo usus est Cl. Rosminius in adornanda huius *Vita*, sic emptum fuisse unacum aliquot aliis Codicibus, qui in Archio praedicti Templi iacebant. Inter hosce autem coniicio fuisse Corippi quoque Ms.

Etenim Quadrius, Zacharias, et Comes Mazzuchellius illum enumerant inter Codices, quos praedictus Marchio possidebat; quamquam omnes, unus post alium, errauerint in describendo quid ille contineret. Non multum ante annum MDCCLII. in potestatem iam laudati Marchionis Triuultii transiisse hosce Codices constat tum ex Quadrio tum ex Zacharia infra citandis. Ille namque mentionem nullam fecerat Ioh. de Bonis Tomo VI. edito anno MDCCXLIX., sed tantum in additamentis ad eundem Tomum editis Tomo VII. praedicto anno MDCCLII. Alter uero hoc eodem anno Mss. Codices eosdem uocat *nouam librorum supellectilem*, *qua selectissimam Bibliothecam suam* idem Marchio *auxerat*; cum tamen Mediolani Zachariam exstitisse pateat a festo *Pentecostis Christianae* anni MDCCXLVII. usque *ad Kalendas Ianuarias* anni subsequentis: quod colligo ex Cap. VII. sui *Excursus Litterarii* p. 72. 90. 99. 120. etc.

Quadrius, qui Marchionis Triuultii familiaris et ab eius Bibliotheca fuit, Tomo VII. seu in addendis ad opus inscriptum *Storia e Ragione d'ogni Poesia* p. 266. et seq. haec reliquit: « Giovanni De Bonis di Arezzo » fioriva intorno al fine del tredicesimo Secolo. Due » diversi Codici si trovano nella più volte da me lo» data Biblioteca Trivulziana de' Versi di questo Poeta » parte Latini, e parte Italiani. L' uno è in pergame» na, ed in 4.; e contiene la *Buccolica*, e tre libri » della *Romulea*, che è un Poema sopra la Fondazione » di Roma, e de' varii fatti di que' primi tempi, tutte » Poesie Latine. L' altro è cartaceo, ed è in foglio; » e comprende varie *Elegie*, un Poemetto sulla Guerra » d'Affrica, e sulla Vittoria di non so qual Giovan» ni, medesimamente in Versi Latini. Dipoi seguono

» alcuni capitoli in Versi Italiani, che hanno per titolo » *Victoria Virtutum cum Vitiis conflictantium, composita* » *a Iohanne De Bonis de Aretio:* e questo Poemetto » in terza rima volgare è in sette Canti diviso. » Francisci Antonii autem Zachariae uerba haec sunt in *Excursu Litterario* cap. XVI. p. 322. « Instabat Quadra- » gesima huius anni 1752. Florentia igitur discessi, » ut Mediolanum me conferrem, ubi in S. Fidelis » aedibus concionem eram habiturus ex Patris Simo- » netti domui Professorum paucis ab hinc annis Prae- » positi uoluntate. Atque ut illuc ueni adii statim Emin. » Penteobonellum Cardinalem amplissimum, et Medio- » lanensem Archiepiscopum omni eruditione excultum, » qui summa me humanitate complexus longum de » litterariis rebus sermonem instituit. Ad aedes Cl. » March. Theodori Alexandri Triuultii postero die » adcessi, et nouam, qua selectissimam Bibliothecam » suam auxerat, librorum Mss. editorumque supel- » lectilem lubens inspexi. Inter Mss. Codices *Ioannis* » *De Bonis Aretini* Italica et Latina carmina non uno » uolumine comprehensa adseruat. » Audiamus et Co. Mazzuchellium, qui inter *Scriptores Italiae* (Vol. II. Parte III. Brixiae impressa anno MDCCLXII. p. 1665.) Iohannem quoque De Bonis recenset hoc articulo: « Giovanni De Bonis Aretino fiorì circa la fine del » Secolo XIII. Si dilettò di Poesia Latina e Volgare, » in amendue le quali ha lasciati varj Componimenti, » cioè la *Buccolica*, e la *Romulea* in tre libri ne' quali » tratta della fondazione di Roma, e di varj fatti di » que' primi tempi, che esistono a penna in un Co- » dice in 4. della Libreria del chiariss. Sig. March. » Teodoro Alessandro Trivulzi in Milano, presso al

» quale un altro Codice in foglio si conserva, in cu
» mss. si trovano varie Elegie Latine, un Poemetto
» sulla guerra d'Affrica, e sulla Vittoria di un certo
» Giovanni pure in Latino, e un Poemetto in terza
» rima Volgare diviso in sette Canti intitolato: *Victoria*
» *virtutum cum vitiis conflictantium,* tutti componimenti
» del nostro Autore. » In subiecta autem Nota Mazzuchellius citat Quadrium et Zachariam.

Constat sane hallucinatos esse hosce scriptores in describendo Codice, qui continet Corippi Poëma deperditum; etsi eum priores duo inspexerunt, et tractauerunt. Praeterea errauit Quadrius, et post eum Mazzuchellius in assignanda aetate cum Codicis eiusdem tum Iohannis De Bonis; etenim ex iis quae infra de eo referam, perspicue patebit uixisse hunc saeculo exeunte XIIII. non autem XIII. Codex uero incipit statim ab eodem Poëmate, quod nunc editur, absque ullo auctoris nomine uel titulo. Ego autem, cum iussus fuerim texere raptim breuem aliquem Indicem Codicum Triuultianorum, incidi in eundem; et, cum aliquot uersus perlegissem, statim suspicatus sum eos non sapere saeculum XIII. nec XIV. Ex illo autem uersu XV. libri I.

Iustiniane, tuis, princeps, assurge triumphis,

coniectaui ad Iustiniani Magni Imp. aetatem Poëma illud esse retrahendum. Paulo post in exteriori parte tabulae, quae tegit et claudit Codicem ipsum, infixam perspexi clauis ferreis paruam schedulam membranaceam, in qua bene lota et extersa tandem legere potui *Crestonius* uel *Cresconius.* Tunc patuit mihi, quid esset Poëma, quod Quadrius aliique Iohanni De Bonis inconsulto tribuerant, et quisnam esset eius uerus

auctor, cui restituendum extemplo nullus dubitaui. Mirandum sane est praecipue Quadrium, ut ita dicam, dormitauisse, cum manibus hunc Codicem uersaret. Is enim Tomo VI. citati operis sui iam disseruerat de nostro Corippo, atque de Cresconio, putans eos duos esse poëtas, unumque sub Iustino II. Imp., alterum sub Leontio floruisse; illum Grammaticum fuisse, hunc Episcopum, utrumque Africanum. Sed ipsius uerba audiamus. Pag. 663. et seq. haec habet: « Flavio Cre-
» sconio Corippo, Gramatico, viveva a' tempi di Giu-
» stino II. Imperadore. Scrisse in Esametri quattro
» Libri in lode del predetto Giustino, de' quali più
» Edizioni si sono fatte *etc.* Scrisse pure delle Guerre
» di Giustino contra Vandali nell' Affrica, il che lo
» stesso Corippo nella prefazione del predetto Libro
» accenna. Ma quest' Opera è perduta. Il Cuspiniano
» appo il Mineo rammenta pure di questo Poeta la
» *Giovannide*, e credesi star manoscritta nel Moni-
» stero Cassinese. » Quis autem fuerit ille *Mineo*, cuius hic est mentio, nusquam reperi; unde suspicatus fueram, mendum esse typographicum pro *Mireo*. Iste quippe in suo *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis Parte* altera cap. XXXVI. p. 131. iuxta editionem Ioh. Alb. Fabricii in *Bibliotheca Ecclesiastica Hamburgi MDCCXIIX.* de Cuspiniano agit, sed nihil de *Iohannide* dicit. Quare puto Quadrium *Mireo* scripsisse pro *Fabricio*; qui reuera in eundem incidit errorem, ut iam monui. Pagina autem 127. citati Tomi VI. haec retulerat quoque Quadrius: « Cresconio, Vescovo Affricano,
» fioriva circa gli anni del Signore 696., nel tempo
» che l'Affrica fu da' Saraceni ridotta in servitù. Scrisse
» in un poema le guerre e le vittorie, che Giovanni

» Desiderio, Patrizio, mandato da Leonzio Imperadore » in Affrica, riportò contra i predetti Barbari, come » veder si può appresso il Mabillon, nella Prima Parte » del Museo Italico. Ma il detto poema è perito. » Obseruandum est Mabillonium in Nota Codicis Vallicellani, iam supra relata ex Baronio et Fogginio, legisse post *Iohannis* nomen etiam *Des.*, ex quo coniecit Quadrius hunc *Iohannem* altero nomine etiam *Desiderium* uocatum fuisse. Ex recitatis Quadrii uerbis patet, ipsum quatuor Poëmata fecisse ex uno, et tres auctores ex unico eodemque Corippo nostro. Leyserus quoque cit. *Hist.* p. 173. et seq. distinguit Poëma *Iohannidos* ab altero, cui titulum fecit *De Bellis Iustini in Africa contra Vandalos*, nec non utrumque Poëma tribuit Corippo, huncque rursus distinguit a Cresconio, quem dicit p. 198. Episcopum Africanum circa annum DCXC, et auctorem facit alius Poëmatis, in quo *descripsit bella et uictorias, quas Iohannes Patricius a Leontio Imperatore in Africam missus, de Saracenis reportauit.* Eandem quoque distinctionem Corippi a Cresconio secutus est tandem Ioh. Lamius in *Chronologia Virorum eruditione praestantium* p. 193. et 195.; utrumque enim ibi poëtam dicit.

Redeo nunc ad Triuultianum Codicem. Is post *Iohannidos* libros illis in chartis adiectis, ut supra monui, continet acephalum fragmentum Poëmatii Italici absque auctoris nomine, ex LXXVIII. ternariis, uulgo *terzetti* uel *terzine*, quarum prior est:

Son sostegno del mondo tutto quanto,
Perche fan figli, et fami compagnia
Ubedienti al marito, e suo vanto.

Postremus autem ex hisce ternariis est:

O, se cadesse, faria un gran salto.
D' alcun dico, per none stare indarno.
Agia perdono, si commetto difalto.

Cum uero iis in uersibus mentio fiat de Vrbano VI., patet eos spectare ad saeculum XIIII., et auctorem habere I. L. De Bonis ex infra dicendis. Quinimo pertinent fortasse iidem uersus ad Poëma subsequens in ipso Codice, quod hunc titulum praesefert: *Victoria uirtutum con uitiis* (idest *cum uitiis*) *conflictantium edita a Iohanne L. De Bonis de Aretio. Incepit primus Cantus:*

Unico padre eterno bino et trino
Che festi ei cieli la terra il mar l' abisso
L' angelo et l' uomo, et tucto così fino etc.

Septem sunt Cantus uel capitula, nec uidetur opus perfectum. Postremi uersus septimi huiusmodi capituli sunt isti:

Alor si diuotaro l' inferne curie
Et Minosse abandona in grande ofitio,
Et non punisce chi fa più iniurie.

Cantu secundo memorantur inter grammaticos quidam Gorus de Aretio, inter dialecticos Ocham, quem constat obiisse anno MCCCXXXXVI., inter oratores quidam Faminus, mihi prorsus ignotus, inter iurisperitos Azo, Gofredus (fortasse *Odofredus*) et Acursius, qui floruerunt Bononiae saeculo XIIII.: Cantu quarto inter poëtas est quidam Gercooheo (qui in margine uocatur *Geri Aretino*, et uidetur idem esse Gorus supra memoratus inter grammaticos), Petrarcha, Dantes Alegierius, ut sic ibi uocatur, et Fatius, procul dubio ille ex Vbertis auctor poëmatis, cui titulus *Dittamondo*. Pari modo puto Gorum Aretinum illum esse, de quo exstat Tomo XV. *Scriptorum Rerum Italicarum* pag. 813.

Chronicon Aretinum ab anno MCCCX. ad MCCCLXXXIIII. Italico carmine uulgo *Terza rima* descriptum, ubi auctor uocatur *Ser Gorello d'Arezzo.* Cantu V. tandem legitur hic uersus:

Chi poluere di bombarde non fun uiste.

Ex quibus omnibus simul sumptis elucet, uixisse auctorem post medium saeculum XIIII. Hoc itidem constat ex eius operibus, quae continent alii sui Codices, de quibus infra uerba faciam. Elegias tandem, quarum meminit Quadrius, hoc in Codice non reperi, sed eorum loco Eclogas XII., quae nomen auctoris nullum praeseferunt, nec tamen Iohanni De Bonis sunt tribuendae; sed manifeste patet non alias esse quam ipsas Petrarchae *Eclogas*, quod euidens est uel ex solo primo uersu Eclogae primae:

Monice, tranquillo, solus tibi conditus antro.

In postrema autem Codicis pagina sunt XXXVI. priores uersus libri I. Poëmatis ipsius Petrarchae, quod *Africa* inscribitur.

Sed antequam progrediar ad recensenda cetera poëmatia istius De Bonis, obseruandum est, huic Poëtae praeter *Iohannis* nomen, quo uno eum appellant Quadrius aliique Quadrium secuti, aliud insuper fuisse nomen, unica littera *L.* designatum. Vtrum uero *Leonem*, uel *Leonardum*, an *Ludouicum* indicet L., adhuc mihi est incompertum, cum nusquam inuenerim illud nomen scriptum, sed ubique tantum unica illa littera praenotatum, semperque post *Iohannis* nomen uel integre uel compendiarie scriptum, subsequitur illud *L.*, quod nescio qua de caussa id Quadrius praeterierit. Attamen *Ludouicum* fuisse eius nomen puto, utpote quod crebrius illo saeculo usurpatum occurrat.

Nec duo tantum Codices Musei Triuultii, sed quatuor continent carmina Ioh. L. De Bonis: omnia, si superis placet, tam imperite, tam barbare, siue quae Latine, siue quae Italice scripsit, composita, ut nemini mirum propterea uideri debeat, quod tam male exscripserit etiam Corippi Poëma. Lubet tamen etiam de reliquis tribus Codicibus (cum satis iam descripsisse mihi uidear priorem illum, in quo est nostri Corippi Poëma) addere nonnulla, ut magis ac magis appareat, quidnam hominis fuerit, et qua aetate, quo loco uixerit Poëta hic ex Aretio, cuius, ut uidimus, tot nostri scriptores meminerunt, unaque constet, quam perperam illum huius inediti Poematis fecerint auctorem, cuius tantum fuit exscriptor, et, quod magis dolet, exscriptor si quis alius imperitissimus. Ab illo incipiam Codice, quem Quadrius tractauit, dixitque esse membranaceum in quarto, ut aiunt, quemque ego in adornando breui indiculo Mss. Codicum Triuultianorum, quorum numerus ferme ad MM. ascendit, signaui A. 273. Is continet priori in loco Eclogas tres, quarum prima dicitur *Ianua*. Versus autem C. ibidem est huiusmodi:

Antonius Ianuae dux inclitus urbis Adurnus.

Cum uero hic Dux Ianuensium fuerit primum anno MCCCLXXXIII., et postmodum tribus aliis uicibus euectus ad eandem supremam dignitatem patriae suae usque ad annum MCCCLXXXXVI., intra illud temporis spatium Eclogam eandem scriptam esse opportet. In secunda Ecloga agit auctor de patria sua Aretio; et in tertia Vrbanus VI. Papa, Iohanna Regina Neapolis, aliique principes memorantur, qui saeculo XIIII. uixerunt. Subinde occurrit Poëma heroico, paene dixeram

macaronico, carmine compositum, cui titulus est *Romulea*, cuiusque meminit Quadrius et Mazzuchellius post eum. Constat idem hoc in Ms. tribus tantum libris, sed Index praemissus alio Codici, de quo infra, me docet, XII libris comprehensum fuisse id Poëma, in quo ab urbe Roma condita usque ad Augusti apotheosin Romanam historiam perstrinxerat auctor. Praestat interim ex ipso Codice recitare titulum et priores uersus: *In Nomine Domini Amen. Incipit primus liber Romulee I. L. de B. de Ar. in quo tractatur de primeuo ortu urbis a Romulo et de ipso Romulo. et regibus et de morte lucretie. et principio consulatus.*

Celestis uates gaudet quoque mantua proles.
Cordubaque, hucusque narrarunt prelia ducem.
Iam nece preuenti tacuerunt lira sonora.
Ast ego ne sileant tantorum gesta uirorum
Residuum Rome presumpsi canere lauros etc.

Vides postremam ultimi huius uersus partem desumptam ex Praefationis Corippi uersu primo, qui desinit: *praesumpsi dicere lauros.* Plures alios Corippi uersus suos fecit De Bonis etiam in hoc Poëmate. Secundum librum claudit triumphus post secundum bellum Punicum, et liber tertius parum ultra progreditur in historia Romana, estque imperfectus, cum in alio Codice sit idem liber prolixior, cui alii succedunt quoque libri. In hoc quoque Codice membranaceo rursus repetiti leguntur plures supradicti secundi libri Romuleae uersus paululum immutati. Deinde sunt duo disticha moralia et Epitaphium Odofredi celebris iurisperiti. Postremum autem Carmen, quod Codex idem continet, est quoddam Panegyricum in laudem Galeatii Vicecomitis, quod incipit:

Altitonans genitor sub alto culmine celi etc.

Sub eius finem loquitur Poëta de marmoreo templo maiore, quod tunc magno studio ac uehementi ardore populus Mediolanensis excitabat, quod contigit circa annum MCCCLXXXVI. Nec silentio premam, membranas, ex quibus constat hic Codex (sic sunt et aliae cum chartis immixtae in aliis Codicibus infra recensendis) rescriptas esse fere omnes, et ad alios prius pertinuisse Codices; sed nihil noui in iisdem inueni, uel quod publicam mereatur lucem. Sunt eaedem omnes decerptae ex Codicibus theologicis uel ad iurisprudentiam spectantibus, quorum scriptura pertinet ad saeculum XIII.

Alter Codex Triuultianus signatus A. 275. est chartaceus in folio cum aliquot membranis interpositis. Rursus offendi in hoc Codice tres Eclogas prioris Codicis cum septem aliis, quibus sequens praefigitur titulus: *Incipit primus liber bucolice Iohannis L. de Bonis de Aretio et egloga prima quae dicitur Ianua ubi describitur et laudes Antoniocti Adurni tunc ducis.* Ecloga ibidem secunda dicitur Poëtis, et tertia *Parnasus, ubi dicitur de morte p.* (Petrarchae) *et describitur mons parnasus.* Ibi u. XXXVIII. et seqq. haec leguntur:

Felix uernarius placido sic pectore cepit.
Venit et huc ille, qui nomine iam titulatus.
Est mihi consimilis, etiamque petrarca uocatur.

Vide, quam non demisse, quam imo magnifice de se sentiat noster hic de Bonis, qui Petrarcham *consimilem* sibi audeat pronunciare: adeo scilicet nos fallit auctor noster, ut pessimus omnium poëta nihil dubitet esse se aequalem uel optimo omnium poëtae. Sed audire est, ut se non modo Petrarchae, sed Virgilio etiam et Horatio audeat aequiparare, dum eo se miseriarum

redactum pingit; ut (quod fatum fuit etiam summorum quorundam Vatum) necesse sibi esset esurire, algere, ac sine tecto sine lare certo paene uictum ostiatim quaeritare. Sed prius alia quaedam uelim animaduerti, quae ad rem nostram faciunt. *Sexta* Ecloga, *dicitur Mediolanum, ubi describitur et qualiter fit dux et creatur.* Cum anno MCCCLXXXXV. Galeatius Vicecomes ducis titulum sumpserit, hinc patet, quo tempore scripserit poëta noster hanc Eclogam. Initio octauae, quae *dicitur Ecclesia*, praeclarum, quamuis uersibus de more quam qui maxime inficeti testimonium redditur uirtuti Petri de Luxemburgo, qui obiit Cardinalis et Episcopus Metensis anno MCCCLXXXVII., aetatis uero suae XVIII. tantum, et anno MDXVII. merito inter Beatos relatus fnit a Leone X. Summo Pontifice. Priores Eclogae uersus sunt:

Dulcis amice Dei regali stirpe refulgens
De Luzimburgoque alter Petrus beatus.
Sorte datum quibus est cum claue reuoluere ualuas
Ad uota en superas celsas atque profanas.
Ecclesie Sancte pastorum gloria patrum.
Vates celse sacer . omni uirtute decorus
Angelice uite . patriarca simulque profeta
Pastorum decus . et celi clarissima lampas.
Eximius doctor martir uirgoque pudicus
Auri contemptor . uilis quoque prodigus heris etc.

Eclogas X. sequuntur Epistolae XXX. ad Reges, ad Pontifices, ad Caelites, ad uniuersam Ecclesiam ut tollatur schisma; in quibus notatu dignae uidentur *octaua Pape*, nempe Bonifacio VIIII., qui sedit Romae post Vrbanum VI. ab an. MCCCLXXXVIIII. usque ad MCCCCIIII., *duodecima Imperatori Constantinopolitano*, *decimatertia*

Imperatori Bulgarie, et praecipue *decimaoctaua Regi Vngarie*, quae incipit:

Bisquinis uicibus iam sol uarieque uagatur
Et non deponunt tantam pestemque nociuam etc.

Iam uero, cum illud schisma coeperit an. MCCCLXXVIII., apparet hanc Epistolam scriptam fuisse an. MCCCLXXXVIII. Hic etiam obiter est notandum uocem *Bisquinis* desumpsisse De Bonis ex Corippo, ut monui ad lib. VI. u. 370., cuius *Iohannidem* prae oculis habuisse, cum scriberet infelicia sua poëmatia luce clarius existimo. Epistola uero *uigesima secunda*, cum sit data *ad inclitum Ducem Mediolani*, referri debet ad annum MCCCLXXXXV. ex supradictis. Post huiusmodi Epistolas praesto sunt plura alia carmina aeque rudia et uilia, quae praetereo, ut ueniam ad Epistolam absque titulo ad quemdam armorum Ductorem Ducis Mediolani, fortasse Iacobum Vermem, cui se commendans illa de sua inopia bonus homo fatetur, quae supra innuebam:

Non habet ipse locum, audi mirumque nephandum.
Quo ipse locetur, licet mandauerit almus
Dux pius pluries teste priore uerendo.
Non habet lettum. non indumentaque uittum etc.
Carus ducum fuit et principum atque baronum
Nunc uero laxatus fraudi mundique nociui
Senex, inops, exul, alienaque rura peragrans
Est destitutus dominis. patribusque magistris
Ni quod sola tua sperat medicina sanari.
Sed si illa etas aurea sanctaque rediret.
Qua pares sibi simulque ad alta ponantur.
Felix cum requie, altaque in sede sederet
Quid Tytiro fecit pastor bonus ille menalca?
Quid flaco alter diuus clarusque mecenas?

Patruus . et pater . ducis , diuique sereni
Petrarce suo , domino gratoque patrique.
Ipse destitutus supplex tua numina poscit.
Nec sit ipsa modo spes tanti muneris expers ,
Detur sibi uictus dentur indumenta locusque.
Quo cantare possit laudes tuasque ducisque.
Militi clarorum militum mea carmina dentur.

Porro nonne uidetur Tibi et hic non secus ac Martialis magna sui confidentia dicere :

Sint Maecenates, deerunt nec, Flacce, Marones.

Alia iterum complura omitto poëmatia, quae in Codice sequuntur, ne taedio sim lectori : tantum aduerto pag. 37. praesto esse Epistolam quamdam sine epigraphe, ex qua eruitur officium aliquod publicum, uile tamen, quo scilicet famem expelleret, demandatum illi fuisse, idque Mediolani exercuisse. En Epistolae uersus :

Ast ego diuersa per deuia mentis . et usus.
Distrahor infelix . mundique in fluttibus erro
Hic uictus me cura urget . seruile subire
Offitii pondus . populique intendere rebus
Inuisis fortuna felix tenerisque sub annis
Exsortem patria pepulit, sparsitque per orbem
Exul . inops . uagus . alienaque oppida curro.

Sed quid quaeris ? Epicae etiam tubae non semel os admouere ausus est Ioh. noster L. De Bonis. Post enim supra commemorata opera quoddam Poëma duobus constans libris occurrit, quod, cum in laudem Galeatii Vicecomitis Mediolani Ducis scripserit, eiusque gesta seu uitam heroico carmine cecinerit, seu canere sibi uisus fuerit, idcirco illud appellauit (mirare tituli nouitatem) *Viscontina,* quod coniicio ex notula, quam

auctor scripsit inter utrumque librum hisce uerbis concepta: *Explicit primus liber uiscontine. Incipit secundus de ortu ducis.* Parum autem conferre possunt isti libri ad historiam Mediolanensem. Sane prior totus uersatur in describendo bello contra Florentinos, quod noster ille primus Dux suscepit, et peculiariter de congressu armorum ducalium prope Alexandriam sub militum ductore Iacobo a Verme unacum Thadaeo pariter a Verme contra Iohannem Augud et Comitem Armeniacensem. Alter uero liber uitam describit Galeatii usque ad obitum eius patris. Post plures Rithmos aliasque huiusmodi, sit uerbo uenia, quisquilias adsunt tria fragmenta illius Poëmatis, quod a nostro De Bonis uocatur *Romulea.* Videntur ea spectasse ad librum v. vi. et xii., ut innuo ex indice praefixo Codici, ad quem recensendum illico transeo.

Quartus tandem Codex, qui opera I. L. De Bonis continet, atque a me signatus fuit A. 274., est item chartaceus in folio praegrandi. In hoc praemissa fuit *Tabula librorum metricorum Iohannis L. De Bonis de Aretio*, tum eorum, qui hic, tum aliorum, qui in superioribus Codicibus descripti fuerunt, tum eorum, qui nusquam reperiuntur; deinde Mss. redeunt Eclogae x. Codicis mox descripti, et Epistolae illae quoque *de tollendo Schismate*, siue, ut bonus noster De Bonis scribit, *Sismate*, quod in quos inciderit annos saeculi xiiii., dictum est supra. Pag. 103. occurrit Poëma in memorata *Tabula* praenotatum *Liber Aretii in rima qui partitus est in libros C.or* (fortasse *quatuor*) *et infernum et paradisum.* Constat autem idem Poëma lv. capitulis. In fronte est rudis delineatio, quae repraesentat carcerem, ex cuius crate ferrea uisitur inclusa humana

figura. Altera huiusmodi pictura prostat pag. 115., ubi extra portas urbis ingens turba mulierum et puerorum repraesentata fuit; in eo enim capitulo, quod est VII., narratur confusim expulsos fuisse Aretio pueros ac feminas, cum ibidem dominaretur Carolus uocatus a Dyrrhachio. Titulum praesefert huiusmodi, sed initio corruptum: *Incipit . . . . . Inferni Aretii Iohannis . l. de bonis de Aretio . conquerente de Karulo de Durazo . et inconstantia et uilitate orbis . primus Cantus.* Sunt uersus ternarii uulgo *terza rima.* Sic autem incipit idem prior *Cantus* uel capitulum:

Afannato de piu malinconie
come coloro che sono alle prescioni
ai quali recise son tucte le uie etc.

Hinc facile est coniicere, cur carcer pictus fuerit in fronte huius Poëmatis. In margine ad ternarium XI. huius primi capituli legitur: *Nota quod hic comparationem propriam et profeticam mortem Karuli de durazo qui fuit causa tanti mali.* Ex eadem autem Nota eruitur hoc Poëma scriptum fuisse saltem anno MCCCLXXXVI.; eo enim anno idem Carolus Rex Neapolis et Hungariae occisus fuit. In genere animaduerto plura ad historiam Arretii et totius Italiae in hisce carminibus expiscari posse, quae cum ad rem nostram nihil referant, libenter praetereo. Deinde bis occurrit in hoc Codice fragmentum libri I. *Viscontinae.* Denique habes rursus etiam Italica Carmina *Canzoni, Terzine,* siue *Capitoli, Ballate, Sonetti.* Quae tamen omnia non secus ac Latina merum rus olent. Quas Itali appellant *Canzoni,* De Bonis uocat *Cantilenas:* ut *Cantilena moralis eiusdem I. L. de Bonis de Aretio de Creatione Sexti pape Vrbani;* altera *de commendatione Ianuensium,* eorumque

ducis Antoniotti Adurni, *liberantium Vrbanum sextum carceratum in noceria de christianis* (uel potius *de Paganis*) *per Karulum de durazo*; et bis *Cantilena in qua Florentia conqueritur intra se quia questionem fecit cum uipera.* Fit in eadem mentio de morte Comitis Armeniacensis, quae contigit anno MCCCLXXXXI., et de fuga Iohannis Augud. Cum autem de prioris morte non bene inter se concordes sint historici, hic obiter proferam, quae ibidem de utroque leguntur, nempe:

conuocando, il conte
darmignacha gentile famoso sire
che morir uolse, innanti che fugire.
Iohanni agud, chen segna, ai garzoni.
et guarda piu alutil calonore
ne fu caciato fore.
in magiur fretta, che non ari uoluto.
ma pur sagio . et astuto.
se parti operando gli speroni.

In alia huiusmodi *Cantilena Aquila loquitur uipere congratulando secum quod facta est Ducissa Mediolani.* Ex quibus magis ac magis elucet, ad quamnam proprie aetatem spectet hic Auctor. Fere ad calcem Codicis est Oratio Latina ad Ducem Mediolani, ut pacem deneget Florentinis. Ea uidetur esse eiusdem De Bonis, etsi eius nomen hic absit. Claudunt denique Codicem IV. priores Eclogae Petrarchae cum Commentario incepto tantum ad primam Eclogam, in quo haec leguntur: *Monicus est collucutor . et Siluius . et monos . est dicere solus . acas grece . tristis pro quo intellige fratrem p. qui erat monicus cartusiensis . pro Siluio intellige . petrarcam . quia libenter ut poete consueuerunt morabatur in siluis . et locis solitariis* etc.

Iamuero ex recensione Codicum, qui opera Mss. Ioh. L. De Bonis continent, facile quisque arguere poterit, eum Mediolani degisse, atque hic fixisse suum domicilium. In quodam edicto diei XV. nouembris anni MCCCCXXXXVIII., in quo plures recensentur debitores Reip. Mediolanensis, nominantur etiam *Heredes Domini Iohannis de Arezio*. Ibidem reuera non legitur cognomen *De Bonis*, nec secundum nomen *L.*, quod puto fuisse *Ludouicum*, ut iam innui; sed non omnino est improbabile eundem fuisse ac nostrum Poëtam Arretinum. Ex quo, cum uero propius fiat eundem Mediolani ad mortem usque substitisse, hinc etiam facile colligimus, quomodo ad nostri Templi maioris deuenerint isti Codices. Nimirum uel ipse auctor eidem suos libros legauit; uel alii, ad quorum manus peruenerunt ipsi Codices, id praestiterunt. Nam constat ex Philelfi postremis Tabulis, quas noster Saxius publici iuris fecit in *Historia Typographico-Litteraria Mediolanensi* praemissa ab Argelato *Bibliothecae Scriptorum Mediolanensium*, eum reliquisse Ecclesiae nostrae maiori proprios libros, inter quos procul dubio fuit Codex ille Epistolarum, qui, ut iam monui, a Curatoribus supradictis ad Marchionem Triuultium diuenditus fuit. Sane penes Curatores eosdem exstitit olim Bibliotheca, quae Saxii nostri diligentiam effugit, ubi luculenter de Mediolanensibus Bibliothecis antiquis tractauit in suo *Prodromo de Studiis Litterariis Mediolanensium ad* mox cit. *Historiam Typographico-Litterariam* cap. II. col. VII. et seqq. Porro Antonius ex Marchionibus Salutiarum nosterque Archiepiscopus, qui obiit XIV. Kal. Octobr. anni MCCCCI. iuxta Giulinium in *Continuazione delle Memorie di Milano* P. III. pag. 59., eidem

Fabricae maioris Templi suam Bibliothecam reliquit. Id colligo ex Libro expensarum eiusdem Fabricae scripto anno MCCCCXXX. fol. LXXXVIII., ex quo in meis Aduersariis pluribus abhinc annis hanc memoriolam retuli: *Die ueneris XV. Septembris. Capitulum dominorum ordinariorum ecclesie domine sancte Marie maioris mediolani. Pro eorum remuneratione Anualis Reuerendissimi in christo patris quondam domini Antonij de salutiis olim Archiepiscopi Mediolanensis Anuatim fiendi iuxta prouixionem superinde factam ut continetur in libro prouixionum fo. CCCCLXXXVJ. Cuius occaxione prefatus dominus Archiepiscopus. Relinquit Sacristie suprascripte ecclesie libros suos in maxima suma. Qui libri repositi sunt in libraria ipsius fabrice existenti in campo sancto prefate ecclesie. Et numerentur Aluysio de la strata ex ordinariis suprascriptis libras duas soldos octo imperialium lib. IJ. ss. VIIJ.* De hac Bibliotheca in Campo Sancto prope Templum maius exsistenti aliam memoriam mihi praestitit quidam liber, in quo descriptae fuerant conuentiones, contractus, et aliae huiusmodi adnotationes ad ipsam Fabricam pertinentes ab anno MCCCCXXVIII. usque ad MCCCCXXXVIIII. Ibi fo. XXIIIJ. legitur quaedam conuentio inter Magistrum Stephanum Pandinum et negotiorum gestores uenerabilis Fabricae *pro una fenestra uitrea* ab illo fienda, ubi inter alia pacta est etiam sequens, nempe: *Item pacto ut supra quod dictus Magister Steffanus possit uti camera illa cum fornello et utensilibus illis in ea existentibus que sunt dicte fabrice, que camera sita est in campo sancto ipsius fabrice supra librariam dicte fabrice.* Prius tamen in ipso Templo maiori exstabat eadem Bibliotheca, in qua repositi fuerant, probabiliter statim ac obiit ille noster Antistes, Codices

ab eo relicti: inter quos fortasse enumerabantur etiam Mss. I. L. De Bonis. Equidem id mihi constat ex libro Ms., cui titulus est: *MCCCC° secundo Liber copertus rubro feramentorum cere atque diuersorum utensilium spectantium fabrice quamplurimum uenerande Immenseque ecclesie uirginis gloriose dei genitricis domine maioris Mediolani Anni predicti MCCCC°IJ incoatus per Teoldum de scaldia eius sumptuose fabrice rationatorem a carta quorum ferramentorum cere et utensilium existit admenistrator caneparius atque gubernator Alegrinus de galarate fabrice prefate ofitialis ut Infra ordinate et latius continetur.* Hoc autem in libro fo. CCCXXIIJ. haec leguntur: *Magister Arexmolus de sirturi Inzegnerius et Magister a lignamine* etc. *debet dare pro corda una canepi a rodella eidem data ut supra die XXVIIJ. septembris pro opperando ipsam pro oppere cassine alziande in ecclesia predicta ab altare Maius usque ad sallam librarie posite in dicta ecclesia de uersus arengum uti continetur* etc. Quinimo quondam prae manibus habui librum *Pontificalem,* ut uocant, saeculo XIIII. exaratum, qui nomen praeseferebat supra dicti Antistitis nostri Antonii de Salutiis uti possessoris, quique praeterea hanc aliam notam habebat: *Sum Ecclesie Mediolanensis.* Antiquitus apud templa fuisse Bibliothecas notum est; et ipse Morellius in opere inscripto *Della pubblica Libreria di San Marco in Venezia Dissertazione Storica* cap. I. n. IV. p. VI. narrat usque ad annum MDCCXXXVII. in quadam cella supra idem templum diui Marci adseruatos fuisse libros, quos Petrarcha Reip. Venetae dono dederat, ut initium quoddam Bibliothecae ibidem exstaret. Praeterea adhuc saeculo XVI. bibliothecas in templis saltem aliquo in loco fuisse, mihi uidetur colligi posse ex iis, quae

Hieronymus Garimbertus scripsit in libro, cui titulus *De' Reggimenti de la Città,* impresso Venetiis anno MDXXXXIIII. Libro enim quarto fo. LIX., ubi de templo et peculiariter de ecclesia cathedrali agit, sic ait: *Inoltre che in esso i più litterati e vechi Sacerdoti, diputati al culto diuino habbiano la cura de la libraria, e del studio, legendo publicamente a i giouani, così de le sacre lettere, come del modo c' hanno a tenere circa le debite cerimonie.*

Reliquum est, ut dicam de argumento nostri Poëmatis, deque utilitate ex eodem capienda ad historiam praecipue illustrandam. Argumentum Poëmatis totum fere habemus ex Procopio duobus in locis expressum. *De Bello Vandalico* lib. II. cap. XXVIII. p. 305-6. editionis Parisiensis Claudii Maltreti, cuius uersione utor, ille sic ait: *Reuocato Artabano, Iohannem, Pappi fratrem, militum per Africam Magistrum creauit* (Iustinianus) *ei nullo consorte addito. Hic Iohannes, ut Africam attigit, statim inito cum Antala ac Mauris Byzacenis proelio, uictor multos occidit, et recepta ad unum omnia Salomonis signa Imperatori misit, quae illi Barbari, cum extinctus est Salomon, reportauerant: reliquos longissime ab Imperii Rom. finibus abegit. Post iterum Lebanthae e Tripolitanis partibus magno cum exercitu profecti, ingressique Byzacium, copiis Antalae se adiunxerunt. Quibus Iohannes cum occurrisset, discessit acie uictus, et, suorum desideratis quamplurimis, fuga se recepit Laribum. Hinc hostes loca omnia Carthaginem usque incursantes, magnam in Afros obuios crudelitatem exercuere. Aliquanto post Iohannes, militibus, qui cladem euaserant, congregatis, ac Mauris, qui Cutzinae parebant, aliisque in societatem allectis, conflixit cum*

hostibus, eosque praeter opinionem fudit. Incomposite fugientibus instantes Romani stragem dedere maximam: caeteri ad extremas oras Africae euaserunt. Atque ita Afri, quos belli calamitas reliquos fecerat, ad exiguum numerum magnamque egestatem redacti, uix tandem aliquando respirarunt. De Bello autem *Gotthico* lib. IIII. cap. XVII. p. 614-5. fere eadem Procopius habet; eaque retuli in Nota ad lib. VI. u. 277. p. 378. et seq. Paulus uero diaconus *De Gestis Longobardorum* lib. I. cap. XXV. apud Muratorium *Rer. Italicar. Scriptor.* To. I. p. 420. paucis hisce uerbis rem totam perstringit: *Iustinianus . . . Mauros . . . Africam infestantes, eorumque regem Attilam* (al. *Antalam*) *per Iohannem Exconsulem* (al. *Proconsulem*) *mirabili uirtute protriuit.* Nostrum hunc Iohannem *Exconsulem* fuisse nec constat, nec est probabile, cum nusquam sic appellatus sit a Procopio. Potius potuit diaconus *Proconsulem* eum uocare lato quodam sensu, quia aliquo tempore rexit solus, ut olim Proconsules Romani, Africam; cum nempe ad debellandos Mauros ibidem missus fuerit ab Imperatore ipso Iustiniano cum potestate ac titulo Magistri militiae in Africam uniuersam: ut patet ex Procopii loco mox allato.

Quis autem reuera fuerit hic Iohannes, quem fratrem Pappi tantum dicit Procopius loco paulo supra relato, et alio ibidem citato, nunc est mihi inquirendum; cum de Poëmatis heroë agatur. De Pappo, uel Pampo, ut scribendum esse censui libro I. u. 400. *Iohannidos*, quaecumque reperi apud Procopium, in Nota ad illum uersum congessi; sed nil aliud ex iisdem locis constat, nisi eum fuisse in Africa prius sub Belisario, et postmodum ibidem sub Germano,

ducem, atque ex Poëmate nunc a me edito, in Africa obiisse. Quinimo ex ipso Poëmate lib. VII. u. 576. nunc nomen illorum patris accipimus fuisse Euantum, et Iohannis filium Petrum uocatum ex lib. I. u. 197. et seqq., nec non ex u. 305. atque ex lib. VI. u. 209. et seq.: hunc uero susceptum a Iohanne ex regia coniuge, quam inde coniectaueram fuisse Iustinam Germani filiam, qui ex fratre nepos exstitit Iustiniani Augusti. Id clare mihi uidebatur erui posse ex lib. I. u. 202. et seq., ut adnotaui ad illos uersus. Cum autem attentius postmodum singula Procopii loca perpenderim, in quibus de eodem Iohanne Vitaliani ex sorore nepote agit, deprehendi, eodem tempore, quo hic (ut constat ex lib. III. *De Bello Gotthico* cap. XXXX. p. 560. et seq., item lib. IIII. cap. XXI. et seq. p. 625. et seqq.) nempe anno circiter DL. et seq. Salonis hiemabat, ut in Italiam aduentaret cum Narsete ad debellandos Gotthos sub Totila dimicantes, interim Iohannem nostrum (ut patet ex nostro Poëmate collato cum iis, quae Procopius narrat cit. lib. IIII. cap. I. et seqq. usque ad XVI.) in expeditione contra Persas fuisse, ex qua reuocatus ab Imperatore in Africam missus fuit tanquam Magister militiae contra Mauros rebelles, ut narrat idem Procopius cap. XII. citati lib. IIII. p. 614. et *De Bello Vandalico* lib. II. cap. XXVIII. p. 305. Sane ad annum Christi DLI. refert Muratorius in Annalibus Italiae, quod de Iohanne nostro Procopius *De Bello Gotthico* lib. IIII. cap. XXXIIII. p. 637. his uerbis narrat: *Sardiniam Totilas uectigalem fecit. Quod ubi accepit Iohannes, militiae Magister in Africa, classem in Sardiniam cum copiis destinat: quae cum ad urbem Calarim accessissent, castris positis, obsidionem*

meditabantur, impares se oppugnandis moenibus iudicantes eo quod ibi praesidium Gotthi satis ualidum haberent. Re barbari cognita, ex urbe erumpunt, subitoque impetu hostibus facile in fugam uersis, multos conficiunt: caeteri ad naues tum euasere: nec multo post inde profecti cum omni classe peruenerunt Carthaginem, ibique hiemarunt, primo uere bellum iterum in Corsicam et Sardiniam portaturi maiori cum apparatu. Nec amplius fit mentio apud Procopium de Iohanne nostro. Eius uerba huc retuli, quia ex iis mihi uidetur constare magis magisque Iohannem Pappi fratrem distinguendum esse a Iohanne Vitaliani ex sorore nepote, qui tunc alibi erat, ut supra innuimus. Insuper ex mox allatis Procopii uerbis patet Iohannem non traiecisse in Sardiniam, ut ait Muratorius loco citato, sed classem tantum illuc misisse contra Gotthos. Haec autem etiam indicant, bellum contra Mauros iam perfectum fuisse, ut patet quoque ex paulo supra citato cap. XVII. Libri IIII. Procopii. Hinc etiam statuendum erit, bellum hoc Africanum, quod cecinit Corippus noster accidisse anno circiter DL., non uero anno DXXXXVII., ut innuit Cl. Morcellus, nec multo minus *anno VIII. imperii Iustiniani*, idest anno Dom. DXXXIIII., ut falso coniecerat Fogginius in Praefatione ad suum Corippum p. XIX. Constat enim ex pluries citato Procopii loco, quem Fogginius ipse etiam attulerat p. XIX. post reuocatum ex Africa Artabanum illuc missum Iohannem. Porro, ut ibidem ait Procopius, post caedem Guntarich tyranni, quam accidisse affirmat idem historicus paulo supra anno imperii Iustiniani XIX., Christi nempe DXXXXV. Etiam apud Marcellinum Comitem in *Chronico* satis clare distinguitur

Iohannes noster ab altero cum haec ille adnotauerit: *Ind.* X. *P. c. Basilii Anno* VI. (idest Christi DXXXXVII.) *Iohannes magister militum* (nempe ille, quem Procopius dicit Vitaliani ex sorore nepos) *ad Italiam properat* . . . . *Artabanes* . . . . *Guntarich occidit, Iohannem idem Stotzam iuniorem uinctum transmittit ad principem. Post aliquantos dies mittitur in Africam Iohannes* (hic est poëmatis nostri heros), *et Artabanes euocatus praesentale accepit magisterium. Ind.* XI. *P. c. Basilii* VII. (Christi DXXXXVIII.) *Iohannes magister militum* (ille nempe Vitaliani ex sorore nepos) *in Campaniam praedans Gotthos, nonnullos liberat senatores.* Tandem *Ind.* XIV. *P. c. Basilii* X. (Christi DL.) *His temporibus in Africa Mauri per Iohannem Patricium* (nostrum rursus heroëm) *domiti sunt.* Quae tamen hic narrat Marcellinus sub anno DXXXXVII. non omnia acciderunt eodem anno; nam ex Procopio uidimus anno DXXXXV. Guntarich occisum fuisse ab Artabane, et non prius Iohannem missum fuisse, quam Artabanes inde reuocatus esset. Neque nobis constat eodem anno uel sequenti reuocatum Artabanem, atque illi suffectum Iohannem statim fuisse. Imo ex supra a me allatis uidetur potius huius expeditionem in Africam contigisse circa annum XXIIII. uel XXV. imperii Iustiniani, idest anno DL.

Cum autem res gestas in Africa sub Iustiniano non omnes persecutus sit Procopius, qui fere eas tantum refert, quae ad expeditionem contra Vandalos in historia sua retulit, cui idcirco *De Bello Vandalico* titulum fecit: facile quisque uidebit, in hoc Poëmate Corippi, nos plura reperire, ex quibus magnam historiae Africanae saeculi VI. lacunam explere possimus.

Quinimo aliqua ex *Iohannide* rescimus ex rebus in Persia eodem saeculo actis, cum ex eadem regione uocatus fuerit Iohannes noster a Iustiniano, ut in Africam iam tertio proficisceretur ad debellandos Mauros rebelles. Fuerat is enim primo in Africa sub Belisario anno DXXXIII. contra Vandalos, ut patet ex libro I. nostri Poëmatis u. 380., et deinde sub Germano anno DXXXVII., ut constat ex Procopio *De Bello Vand.* lib. II. cap. XVII. p. 278. cit. in mea nota ad lib. III. u. 317. Quod si aliqui mihi in dubium reuocent fidem Corippi ex Alemanno uiro Graeco, ideoque parum aequo erga Latinos, qui in *Praefatione ad Historiam Arcanam* Procopii, illum dixit tam *improuidum Iustiniani adulatorem, quam leuem poëtam;* eidem opponam non censuram in Alemannum nimis acrem Ioh. Eichelii in *Praefatione* ad Ἀνεκδοτα Procopii edita Helmstadii anno MDCLIV. n. XL., sed potius doctissimi Cardinalis Norisii nemini suspectam auctoritatem, qui post illos in *Dissertatione de Synodo* V. cap. VIII. §. 2. *irrefragabile* Corippi *testimonium* non ueritus est uocare. Hinc non dubito, quin ego haud exiguam initurus sim gratiam apud illos omnes, qui historiis delectantur. Quinimo alter Cardinalis, Bibliothecae Ambrosianae ille fundator, noster Federicus Borromeus, initio *Libri Secundi de Amore Virtutis* p. 82. haec reliquit: *Itaque semper commendanda erit eorum industria, qui scriptis alienis, postquam interiere, nouam redonare uitam student, quiue laboris aliquid in eo ponunt, ne tempus edax ea absumat.* Africae quoque geographiam satis auctior euadet ex nostro Poëmate: etiamsi ex corrupto nostro Codice corrupta plura esse nomina propria non inficiandum sit. Propterea in Indice

omnia ad geographiam spectantia accurate retuli. Mores item ritusque Africanos illius aeui hinc discimus praecipue apud Mauros adhuc idololatras. Punica quoque nomina illorum numinum, ut *Gurzil* pro Ioue Ammone, et *Mastiman* pro *Ioue Taenario* idest Plutone, hic inuenimus. Vtinam meliorem nactus fuissem Codicem! Sed id si datum mihi non fuit, non erat, cur non communicarem aliis, quem inueni, quoad alter et integrior et correctior detegatur.

Quinimo spero, fore ut *Iohannis* etiam uelut poëma libenti animo excipiatur. Auctor enim a Fogginio in pluries citata sua *Praefatione* p. VIII. « dignoscitur ele- » gans, et plane dignus, ut illi inter aequales regnum » poëticum conferre non sine ratione possis, secundum » Barthii iudicium, qui hoc etiam sapienter addidit: » Corippi libros *ultimos esse eloquentiae Romanae cona-* » *tus* ». Praeterea pluribus in locis *Aduersariorum* suorum Barthius Corippum nostrum praedicat. Lib. nempe VIII. cap. I. col. 358. et apud Fogginium p. 318. ait: *Est genius* Corippi *eo aeuo non contempnendi scriptoris ob id amandus, quod sui quam simillimus ubique est, more uel natura potius summorum auctorum aemulus;* cap. XIII. col. 390. *non inuenustus poëta Cresconius Corippus* uocatur; et col. 392. ait adesse *multa in Corippo curam quam pro eo aeuo feliciorem referentia;* et mox subdit: *Corrippum adeo in illa aetate nos delectat, qua regnum poëticum ipsi conferre non sine ratione possis.* Libro autem VIIII. cap. XII. col. 436. prosequitur: *Non magni nominis aut gloriae cum primis censendae scriptorem esse Cresconium Corippum ipsimet confitemur. Suo tamen in genere, certe aeuo, regnat, estque ideo magis illius affectanda illustratio, quo obscurior nullo suo*

merito degit; et lib. XVII. cap. XXIII. col. 855. rursus uocatur Corippus *poëta pro aeuo suo minime negligendus.* Tum lib. XXXIV. cap. III. col. 1548. eum dicit *non prorsus poenitendum ultimi aeui poëtam;* et col. 1550. subdit*: Et habet sane non pauca Corippus bona et aequalibus suis meliora.* Cap. XXI. col. 1581. ait*: Inter eos auctores, de quibus bene mereri operae pretium putes, licet primus non sit Cresconius Corippus, locum tamen suum inter postremos tuetur.* Sic lib. XXXV. cap. V. col. 1641. nos docet *Corippo ingenium non defuisse;* et lib. XXXXVI. cap. XV. col. 2156. eum *satis doctum poëtam* dicit. Libro autem LV. cap. II. col. 2580. rursus de eo ait*: Eum auctorem diligentius ideo repectimus, quod ultimus fere sit eorum, qui tali argumento legi mereatur diligentius; quoniam caeteri fere ad res magis notas et uulgatiores abierunt, et sane nemo ad huius ingenium accedit. Quod posterius facile intelliges si Venantium Fortunatum Cresconio Corippo componere uolueris; tanta enim horum differitas apparebit, ut pro Romano uate Corippum, illum alterum pro Gallo aliquo agnoscere non negaueris, etsi eodem tempore ambo scripserint.* Proinde paulo post subiicit col. 2585. *Vtinam scriptum aliquem librum* Corippi *indipisci liceret! Sunt aut fuerunt utique etiam in Germania nostra exemplaria eiusdem Iohannidos, utpote quam aliquot uersibus productis citat Iohannes Cuspinianus in Vitis Caesarum ex Viennensi Austria Bibliotheca, si coniectura non decipimur: quam si cui docto et cordato uiro illic uel alibi indipisci describendam contingeret, nae ille omnem posteritatem beneficio demereretur. Id ut faciat, cuicunque copia dabitur, idque quam maturime poterit, non enim dubito, etiamnum exstare eos Codices, conuicio nos eum poscimus, et per*

Musarum omni aeuo sacra mysteria obsecramus. Nos quidem non pigeret, rebus omnibus sepositis, libro in manus sumto utili nos commentario accingere; ne in tali aliquo sibi laborandum censeat, qui fortunam tam aliquando habiturus est propitiam. Barthii uota fuerunt quoque Daumii, Leyseri, Fogginii, nec non aliorum. Daumius namque in *Epistola* supra citata *ad Heinsium* scribebat anno MDCLXXII.: *Vtinam aliquis Iohanneida Corippi, quae in Bibliotheca Budensi fuit, tenebris erueret!* Polycarpus Leyserus in *Praefatione* ad suam *Historiam Poëtarum et Poëmatum Medii Aeui*, ubi *Conspectum Corporis Poëtarum Latinorum Medii Aeui*, quod edere sibi mens erat, exponit, prope finem exclamat: *Vtinam et haberi posset Corippi Iohannis.* Fogginius denique in pluries citata *Praefatione* p. IX. haec profert: *Iamdiu huius etiam Poëmatii editionem in uotis habet Respublica Litteraria, neque elapsam eius spem mihi auguror, ex eo quod mihi certo constat in pluribus olim Codicibus descriptum fuisse.* Paulo infra p. X. de Codice Casinensi addit: *Vtinam uero etiam nunc superesset, aut quo asportatus fuerit innotesceret! Omnem profecto adhibuissem curam, ne amplius desideraretur.* Nec alii plures desunt, qui Corippum laudauerunt. Olaus quippe Borrichius *Dissert.* II. *de Poëtis Latinis* pag. 82. illum uocat *Poëtam non ignobilem;* Christoph. Cellarius in *Prolegomenis* ad *Curas posteriores de Barbarismis et Idiotismis sermonis Latini* editionis Ienensis anni MDCCIX. pag. 47. et seq. inter *ferreae aetatis scriptores nequaquam barbaros aut contemnendos* Corippum quoque recenset. I. F. Noltenius in *Lexico Latinae Linguae antibarbaro* edito Helmstadii MDCCXX. p. 971. dicit *Corippum, grammaticum Africanum nec inuenustum*

poëtam; I. P. De Luduuig in *Vita Iustiniani M. atque Theodorae Augustorum necnon Triboniani* Halae Salicae edita anno MDCCXXXI. p. 683. not. 1182. exclamat: *Vtinam Corippus Africanus poëta esset in plurimum manibus;* et Corn. Valer. Vonck in *Animaduersionibus* suis editis anno MDCCXLIV., et anno MDCCLXXVII. recusis a Fogginio in suo Corippo, aiebat: *Est sane Corippus Africanus, qui sub Iustino secundo floruit, excellentis spiritus poëta, et supra aetatem doctus.* In *Lexico* etiam *totius Latinitatis consilio et cura Iacobi Facciolati, opera et studio Aegidii Forcellini lucubrato* To. I. p. 619. uerbo *Corippus* legitur: *Fl. Cresconius Corippus, Africanus, Grammaticus, et Poëta, uixit saeculo Christi VI. sub Iustino Iuniore, de cuius laudibus scripsit heroico carmine libros quatuor, qui exstant, et Panegyricum, cuius fragmentum superest, et de bellis Libycis, quae interciderunt. Stilus, ut Grammatici hominis, et Africani, satis nitidus, et lene fluens, et, ut uerbo dicamus, suo saeculo haud paulo cultior.* Nouissime uero Fogginius anno MDCCLXXVII. pag. VIII. et seq. suae *Praefationis* ad Corippum haec de eodem reliquit: *Et sane manifesto se prodit* Corippus *in lectione librorum Virgilii apprime uersatum, et gentilis sui Poëtae Claudiani imitatorem, cuius sublimes uolatus, etsi non aequis semper pennis, aemulari studet. Praestant hanc mihi censuram eius carmina, quae prae manibus sunt, et quae senio iam fessus, ut ipse loquitur, scripsit. Vtrum feruidus iuuenta aliquid amplius potuerit, tunc constare poterit, si quando in apricum aetas proferat Poëmation, quo* Libycas gentes, *et* Syrtica bella *complexus iam fuerat, et cuius* ipse *meminit in Praefatione ad Iustinum.* Post tot uirorum eruditorum iudicia, quae in non leuem commendationem

Poëtae nostri recidunt, nihili facienda erit nimis seuera atque iniusta censura, cuius nota Adrianus Bailletus eum inussit in celebri opere, falso inscripto *Jugemens des Savans sur les principaux Ouvrages des Auteurs.* Ibidem nempe Tomo III. editionis Amstelodami anni MDCCXXV. p. 302. haec de Corippo leguntur: *L'idée que les Critiques nous donnent de cet homme, est celle d'un grand flateur et d'un petit Poëte. Tout ce qu'on dit de plus à son sujet, se peut rapporter à quelqu'une de ces deux méchantes qualités. La prémiere rend assés croyable tout ce qu'on a publié de sa légéreté, de sa vanité, de se passion aveugle, et de son indiscretion dans la distribution du blâme et des louanges. La seconde n'a pas besoin d'autres preuves que celles que nous en donnent ses mechants vers, sa dureté, son obscurité, se prosodie vicieuse et sa mauvaise Latinité.* Vnusquisque autem uidet hunc auctorem secutum esse iudicium, quod Alemannus protulerat de nostro Corippo, quin eum citaret, uel ullum alium. Sed ignorantia audaciaque Bailleti satis detecta fuit a Menagio in opere inscripto *Antibaillet*, in quo falsa eius iudicia refutantur. Ibidem enim Tomo VII. editionis pariter Amstelodamensis anni MDCCXXV. p. 22. Parte I. n. XX. ait Menagius: *Mr. Baillet, comme je l'ai déja remarqué, est un copiste de copiste;* p. 76. n. LXVII. *comme je l'ai déja remarqué plusieurs fois, Mr. Baillet n'a point lû les Originaux;* p. 48. n. XLI. *comme je l'ai déja remarqué plusieurs fois, Mr. Baillet ne puise pas dans les sources;* p. 9. n. V. *Mr. Baillet qui fait profession de parler de tous les Auteurs Grecs et Latins, sait peu de Grec, et il ne sait guére d'avantage de Latin;* et p. 106. n. LXXXV. *Mr. Baillet a écrit cinq uolumes des Poëtes.*

Il ignore les finesses des Langues dans lesquelles ont écrit la pluspart de ces Poëtes. Il n'y a que ceux qui font des vers, ou qui en ont fait, qui puissent connoître toutes les beautez et tous les defauts de la Poësie. C'est ce qu'a été très-veritablement remarqué par St. Jerôme en son Epitre 26. Felices, inquit Fabius, essent artes, si de illis soli artifices judicarent. Poëtam non potest nosse, nisi qui uersum potest struere . . . . Mr. Baillet n'ayant donc jamais fait de vers, n'est pas capable de juger de uers. Et il en juge aussi tres-mal. Mais n'ayant, jamais fait de vers, il a cet avantage sur ceux qui en ont fait, qu'il n'y a point de represaille sur lui. Sed de hoc satis. Potius alia sunt mihi hoc loci animaduertenda, nempe ex eodem Poëmate nonnulla expiscari posse, quae ad auctorem suum pertinent. Etenim nunc nouimus non Iohanni, ut innuebat Fogginius p. XIX. nuncupatos esse libros *De Bellis Libycis*, sed *ad Proceres Carthaginienses*, ut coniicio ex Elegia praemissa Poëmati, in qua u. 1. ait Corippus:

Victoris, Proceres, praesumpsi dicere lauros.

Item ibidem u. 35. et seq. legitur:

Gaudeat in multis sic se Carthago triumphis.
Sit mihi rite fauor; sit, rogo, uester amor.

Hinc etiam uidetur in Africa scriptum Poëma; atque mox citata Elegia nos docet, auctorem scripsisse prius, ut Virgilius, *Bucolicam*, de qua nihil adhuc compertum fuerat, fortasse quia iamdiu ea deperdita est. Hoc clare patet ex uersu 25. et seqq.

Quidni si ignarus quondam per rura locutus,
Vrbis per populos carmina mitto palam?
Forsitan ex fracto ponetur syllaba uersu:
Confiteor; musa est rustica namque mea.

Breuibus nunc demum expono, quam rationem sequutus sum in meo edendo Corippo. Prius mens mihi fuerat in lucem emittere *Iohannidem* ita prorsus ut iacet in Codice Triuultiano, eique e regione addere textum a me utcumque correctum: ut plane fecerat Fogginius, qui e regione editionis Michaëlis Ruizii Assagrii suam posuit. Sed tam foede fuit descriptum et corrupte in nostro Codice Poëma *Iohannidos*, ut id uisum esset uere monstrum. Idcirco aliquot litterati uiri, quos consului, inter quos Tu quoque fuisti, Cl. Iohannes Iacobe, me ab ea intentione auocauerunt. Hinc ratus sum potius in Notis utcumque repraesentare Codicem, qualis reuera est cum suis mendis cuiuscunque generis: ne quis in me querimonias faciat, quas Assagrius sustinuit. Is enim (aiebat Areualus in *Prolegomenis* ad *Dracontii Carmina* edita Romae anno MDCCLXXXXI. cap. V. n. 45. p. 35.) *nonnumquam hanc licentiam sibi arrogauit, ut uersus corruptos ex ingenio suo restitueret, quin uerba Codicis aliis uidenda ostenderet.* Eandem uero querimoniam protulerat Barthius *Aduersar.* lib. VIII. cap. I. hisce uerbis conceptam: *Illud tamen notandum Michaelem Assagrium impudentiuscule fecisse, quod suam nobis septem integrorum uersuum correctionem obtrusit, ueteri lectione codicis, quem unum, solumque exstare hactenus non ignorabat, dissimulata, quum se eos corruptissimos inuenisse fateatur.* Spero, fore, ut, ubicunque ego male usus sum coniecturis in corrigendo Codice, alii felicius id praestare possint, quin Codicem ipsum uideant, inspiciendo tantum *Notas*, quas ad Poëmatis calcem dedi. Quod de carminibus ab Assagrio editis id nullus facere potest, quin Bibliothecam Toletanam adeat, ubi, teste

Areualo loco mox citato post editores Matritenses *Patrum Toletanorum*, adhuc asseruatur Codex, quo usus fuerat Assagrius. Fateor, et pluries in *Notis* fassus sum, me nequiuisse sanare omnia ulcera, quae inueni in Codice Triuultiano, et plura adhuc reliquisse iis, qui secundam editionem suscipient, unde criticen suam exerceant. Nam quod olim aiebat Gifanius de omnibus antiquorum scriptis, quae ad nos peruenerunt, id praesertim dicendum esse reor de hoc unico corruptissimo Codice Corippi. *Ex tot*, sic ille in *Apologia pro Poëtis Latinis* addita suis *Obseruationibus in Linguam Latinam* Francof. MDCXXIV. pag. 458., *Ex tot optimorum librorum millibus paucissimi ad nos, iique tam mendosi ac laceri peruenerunt, ut plus laboris subiturus sit, qui illos expurgare uelit, quam ipsi forte olim authores. Nullum enim uere antiquorum scriptum ad nos euasit, cui uel plurima non desint, uel quae supersunt, ita sint immutata, ut sine Oedipo coniectore intelligi non ualeant. Quorum utrum sit magis dolendum, uix quisquam dignoscere queat!*

Cum autem hic de *Notis* meis sermo inciderit, uereor, ne eas eruditi uiri inueniant plus, quam par erat, locis similibus praecipue ex Virgilio desumptis oneratas. Sed, cum uiderim Corippum imitatorem Virgilii, Lucani, et Claudiani fuisse, omnes locutiones, ne dicam omnia fere uerba *Iohannidos* cum iis auctoribus contuli, ut securius incederem in corrigendo purgandoque textu, quem prae manibus habebam. Hinc factum est, ut tam grandem messem collegerim, inque *Notas* meas referrem. Plura reuera reieci, quae inutilia subinde mihi uisa sunt; sed non potui me continere, quin alia plura retinerem, ne totum laborem

meum incassum abire uiderem. Inter *Notas* criticas adiicenda esse censui etiam plura, quae ad Historiam praecipue illustrandam, et ad faciliorem eorum intelligentiam, quae in Poëmate leguntur, conferre posse putaui; ne lector opus haberet consulere uarios libros, quos ad manus omnium ferme non sunt. Idcirco plerumque auctorum, quos citare fortasse erat satius, integra loca retuli. Praeter menda textus, quibus scatet Codex, etiam omnes glossas et annotatiunculas, quas in illius margine reperi, accurate in *Notis* meis exhibui, ne quid desideretur ab iis, qui ingenium suum exercere uoluerint in idem opus, et in nouam hanc messem post me falcem mittere. Eadem plane ratio me mouit, ut etiam typis committerem, quaecumque inueni in tribus distinctis schedis repertis in Codice Triuultiano. Ex scripturae enim ductibus existimo eas exaratas fuisse ab eodem Codicis exscriptore, quem fuisse Iohannem Ludouicum De Bonis, ut supra innui, dubitare nequeo. *Periocharum* titulum illis imposui, quia aliquo modo respondent illis *Periochis*, quas inuenit et edidit Assagrius in suo Corippo. Nostrae autem sunt plane rudiores, et idcirco non ante opus, ut fecit ille, sed in calce libri reiiciendas duxi; cum religio mihi fuerit eas omnino omittere, nam in iisdem etiam aliquot sunt uerba, quae ad *Iohannidos* Poëma spectant, quaeque alteram aliquando lectionem praebent. Ceterum animaduerto me seruauisse Codicis orthographiam, ubicumque eam tueri potui auctoritate grammaticorum primi nominis.

Vt librorum collectores in Bibliothecis pone editionem postremam aliorum carminum nostri Corippi etiam hoc opus collocare possint, eadem forma tum, ut aiunt

in quarto, tum in folio imprimendum curaui. Quamobrem huic titulum feci *Mantissa ad Appendicem Corporis Byzantinae Historiae Romanam,* illi uero *Fl. Cresconii Corippi Operum Tomus alter.*

Antequam manum, ut ita dicam, de tabula auferam, aliqua mihi sunt exponenda de Gemma, quae frontem libri huius decorat. Qui antiquos Codices tractant, norunt esse fere omnes in fronte ornatos aliqua pictura, quae ut plurimum auctoris effigiem, uel aliud quidpiam, quod cum argumento operis in Codice descripti relationem habeat. Hic mos uero nunc postliminio receptus est in editionibus praecipue auctorum classicorum. Effigies auctoris nostri nec uera nec ficta usquam, quod sciam, reperitur. Quare aliquid aliud excogitandum erat, ut etiam hic liber suo non careret ornamento. Imo Tu ipse, Cl. Io. Iacobe, pro singulari animi Tui sapientia atque in omnes liberales artes propensione me haud semel admonuisti, ut sedulo uiderem, quo ornatu in publicum primitus exire Tui Corippi *Iohannidem* deceret. Iam uero cogitanti mihi duo occurrebant ex locupletissimo Museo, quod domi Tuae seruatur, uetustissima, atque ad id quod uolebas maxime accommodata artis ornamenta. Vnum nempe est ex tribus eburneis Diptychis Consularibus, quae adseruantur ibidem, illud, cui in fronte inest haec inscriptio: *Fl. Petr. Sabbat. Iustinian. V̄Ī Com̄. Maḡ. Eqq. et P. Praes. et C. Ōd.* In medio autem utriusque Tabulae loco effigiei Consulis, uel eius monogrammatis, ut habent alia Diptycha passim, et Triuultiana quoque, intra duos orbiculos legitur hoc distichon, cuius primus uersus in orbiculo dextro, secundus in laeuo, exarati sunt:

Munera parua quidem pretio sed honoribus alma
Patribus ista meis offero Consul ego.

Cum Tuus patruus magnus, Comes Carolus Triuultius (Reip. litterariae probe notus praecipue ab collectam a se supellectilem antiquariam) non immerito forsan putauisset ad Iustinianum Augustum pertinere hoc monumentum, cuius pater Sabbatius uocabatur: ideo illud non ineptum mihi uidebatur, ut ornatui inseruiret Poëmatio, quod laudes ipsius imperatoris, et praeclare gesta Iohannis ab eo missi in Africam ad debellandos Mauros, praedicat. Sed postmodum, cum perpenderem Diptychum ipsum aptari non posse prae eius amplitudine minori formae editionis *Iohannidos*, atque iam editum atque ab erudito uiro Iosepho Allegrantia (qui tamen ad Petrum Consulem anno DXVI. retulit) illustratum fuisse, inter eius Opuscula simul collecta et edita Cremonae ab Isidoro Bianchio anno MDCCLXXXI., pag. 3. et seqq., antequam illud in Museum Triuultianum transiret; idcirco consilium mutaui, atque ad aliud ineditum nec minus praeclarum κειμήλιον mentem conuerti. Enimuero ad ornandum Poëma nondum editum aliquid, quod pariter publicam lucem nondum aspexerat, praeferendum duxi. Praetuli itaque fragmentum achatae, in quo Africa adstat arae, ad quam Gordianus pater sacrificat, cum praesertim ex hoc imperatore existimem uocari illa *Antonia Castra*; quarum meminit Corippus lib. I. u. 461. Tu quoque, Cl. Ioh. Iacobe, meum consilium illico probasti, et in manus lectissimae filiae Tuae natu maioris Christinae, eandem anaglypticam gemmam tradidisti; ut accuratam atque eiusdem dimensionis graphidem exprimeret. Nam praeter alias praeclaras dotes, quae praestantissimam

eam feminam, nuper nobilissimo iuueni Comiti Iosepho Archinto nuptam, quammaxime commendant, pictoriam quoque artem apprime callet. Pro explicatione autem huius monumenti, huc referam Latine redditam dissertatiunculam, notulis tantum aliquot meis aspersam, quam texuit iam laudatus antiquus eius possessor. Ne tamen aliquod monumentum ad Iustinianum Magnum pertinens hic desideraretur, ex eodem Museo Triuultiano selegi duo aenea numismata inedita quoque, quae illum repraesentant, et ad Carthaginem spectant, ut patet ex eorum parte auersa. In maiori namque numo CAR et KART in minori uisitur. Ille quoque ibidem ANNO XIII imperii Iustiniani percussum fuisse denotat, nempe Christi DXXXIX. Alter uero et anni nota caret et rudior est, atque magis accedit ad formam numorum Iustini senioris; ideoque Carthagine fortasse percussus fuit, tunc cum Belisarius Africam imperio Romano restituit, anno DXXXIII. Vterque autem subiectus fuit titulo operis. Sed tandem promissam dissertationem accipe. Ea est autem huiusmodi.

« De Fragmento antiquae anaglypticae Sardonychis » adseruato penes me Carolum Triuultium.

» Quinque antiquae achatae maximae magnitudinis, » quae plures figuras exstantes habent, mihi innotescunt. Prior est illa Musei Imperialis Viennensis » publici iuris facta a pluribus, inter quos Lambecius » primum, et deinde Marchio Maffeius eam ediderunt, » ille in *Commentario* suo *De Bibliotheca Vindobonensi*, » hic autem Tomo quarto p. 376. *Obseruationum Litterariarum*, quae Italice prodierunt Veronae. Hoc » opus anaglypticum Iuliam familiam repraesentat, » quae tempore Augusti uiuebat. Secunda huiusmodi

» gemma ea est, quae custoditur Parisiis in Sancto, » ut uocant, Sacello; atque haec edita fuit a Tristano, et forsan etiam a Montfaucono in sua *Antiquitate* » *explanatione et schematibus illustrata* (quod opus » nunc in promptu non habeo), spectatque ad eandem » familiam Iuliam tempore Tiberii. Tertia est patera » olim Musei Ducalis Farnesii, et nunc in Regia Pinacotheca Neapoli adseruata. Edita haec quoque » fuit a Maffeio in citato suo opere To. II. p. 339., » quae iuxta eiusdem explicationem spectat ad Ptolemaeum Auleten regem Aegypti, eiusque familiam, » qui regnabat anno LI. ante Christum. Quartam huiusmodi achaten, seruatam Romae apud nobilissimam » familiam Carpegnam, edidit celebris Buonarrotus in » opere inscripto Italice *Osservazioni istoriche sopra* » *alcuni Medaglioni antichi;* atque ea refert triumphum » Bacchi. Quintam Londini possidet Dux Marlbourough, » eamque certior factus sum magnitudine superare » praedictas, sed ignotum mihi est, quid repraesentet. Sextam prorsus numerarem illam, cuius pars » est fragmentum hoc, si fors fortuna tulisset, ut in » meas manus ea integra, uel saltem omnia eius frusta » peruenissent. Nam ex figuris, quas hoc fragmentum » seruauit fere integras, perspecta eorum forma, et » argumento, patet totam gemmam plures habuisse » figuras, et eximiae exstitisse magnitudinis. Fateor, » cum informationem, tum executionem non esse plane » optimam. Sed nihilominus, si, ut dixi, omnia gemmae huius frusta inuenta fuissent, inter praestantiora » eiusmodi opera anaglyptica enumerari posset tum » propter magnitudinem, tum propter achaten pulchre » irradiatam, tum etiam ob artificis sagacitatem, qui

» sapienter usus est duplici eius colore ad id, quod » uolebat efficere.

» Sed antequam disseram de argumento huius Frag» menti, praemoneo me illud acquisiuisse hoc anno » MDCCLXXVII. VI. Kal. Nou. a Siculo mercatore rerum » antiquarum (a), quum is Mediolani esset. Iam uero in » eo duae uisuntur figurae ante aram: idest una sacri» ficans, altera adstans e regione illius. Qui sacrificium » peragit, capite et humero sinistro mutilus, dextera » manu ex patera liquorem fundit super aram, sinistra » uero tenet arbusculam pro instrumento ad aspergen» dum. Hoc enim instrumentum fiebat modo ex ramo » lauri uel palmae, modo ex crinibus. Laureum fuisse » uidetur illud, quo utebantur praecipue sacerdotes » deae Salutis, sicut et illi, qui Aesculapio litabant.

» Cum hic de patera mentionem fecerim in mentem » mihi uenit transcribere, quod de huiusmodi uase » dicit doctus Winkelmannus in sua *Storia delle Arti* » *del disegno presso gli Antichi.* Pag. itaque 134. Tomi I. » iuxta editionem Mediolanensem ita ait: *Le patere* » *ossia tazze da sacrifizj usavansi per versare l' acqua* » *o il vino o il mele, parte sull' ara e parte sulla vit-* » *tima. Ve n' ha di forme diverse: quelle che veggiamo* » *sui bassi-rilievi di Roma ove rappresentansi de' sagri-* » *fizj, sono vere tazze rotonde senza manico: trovasi* » *però in un di questi bassi-rilievi nella Villa Albani una* » *patera alla maniera Etrusca formata come un piat-* » *tello con manico, e molte pur ne sono nel Museo* » *d' Ercolano profonde e tornite, con un manico che*

(a) Ex quo facile est coniicere, in Africa inuentum illud fuisse, cum parum ab illa regione distet Sicilia.

» *generalmente termina in una testa di montone. Per lo*
» *contrario le patere Etrusche, quelle almeno nelle quali*
» *v' ha delle figure incise, hanno la forma d' un piat-*
» *tello con un orlo assai basso, ed hanno un manico,*
» *il quale nella maggior parte per essere troppo corto,*
» *è stato incassato in un più lungo d' altra materia. Le*
» *patere, i cui fregi rappresentano la felce, erba assai*
» *comune e nota, chiamavansi* paterae filicatae, *e* pa-
» terae hederatae *diceansi quelle in cui era intagliata*
» *l' edera. Delle prime non ce n' è, ch' io sappia, rimasta*
» *alcuna, molte ve n' ha delle seconde.* Videatur etiam
» Montfauconus in *Antiquitate illustrata* To. II. p. 142.
» tab. LVI. et seqq., in quibus plures paterae exhi-
» bentur (a).

» Quod ad uestes pertinet sacrificantis, eum tunica
» ambit breuibus manicis et praecincta duplici zona,
» una nempe ad pectus, altera ad renes. Haec susti-
» nebat uestem, ut mos erat apud antiquos (b). Super
» hanc uestem est paludamentum, quod hic supra
» dexterum humerum est alligatum. Eo habitu ute-
» bantur, dum Respublica Romana uigebat, exerci-
» tuum ductores, deinde proprium fuit paludamentum
» Imperatorum. Est hic etiam obseruandum, quomodo
» artifex in exsculpendo hoc uestimento, praeter quam
» quod nouit in proprium usum conuertere colorem ca-
» staneae, quem sibi offerebat onyx, partem indumenti

(a) Nota totum hoc caput in calce ad suam dissertationem adiecisse auctorem, postquam uidere potuit Opera citata Montfauconii, et Winkelmanni; huius namque editio Mediolanensis est anni 1779.

(b) Hallucinatum esse doctissimum auctorem hic autumo, cum nullum uestigium in fragmento appareat zonae superioris: nec duplici huiusmodi zona unquam usi sunt Romani Imperatores.

» complicauit circa brachium sinistrum, ita ut uestis
» particula extra exiret ueluti auris. Quae glomeratio
» indumenti indicat, artificem calluisse delineandi artem.
» Altera figura, quae stat ex aduerso sacrificantis,
» fortuito seruauit caput, super quod eminet caput
» elephantis, ut noscitur ex proboscide, quae clare
» apparet. Dextrum autem huius figurae brachium
» minutum est manu, nihilominus motio brachii cer-
» tiores nos facit, illam manum gestasse coronam,
» capiti sacrificantis imponendam. Sinistra autem ma-
» nus tenet aliquot spicas una cum papaueris capite,
» quae sunt abundantiae symbola. Vestes huius figurae,
» etsi eidem desint humeri et crura cum pedibus,
» probe distinguuntur ab iis, qui antiquas sculpturas
» callent. Itaque haec figura, quae, ut uidebimus
» infra, feminam repraesentat, induta est tunica ma-
» nicata, cuius manicae strictae usque ad carpum
» pertingunt, et super eam fert pallam: quo uesti-
» menti genere utebantur mulieres eo modo quo uiri
» pallio. Hanc mulierem duabus uestibus indutam esse
» euincunt plures sinus, qui in ueste apparent sub
» dextro brachio. Ii autem ad tunicam spectare ne-
» queunt; nam, cum illa deorsum deflueret, rectos
» tantum flexus efficere poterat. Si uero interdum tu-
» nica sursum retrahebatur ope unius uel alterius
» zonae, illa tunicae pars, quae supra zonam erat,
» flexus efficiebat corrugatos. Contra autem, cum mu-
» lieres pallam ferebant super humerum sinistrum
» complicatam, ea sub dextero brachio efficere ne-
» cessario debebat illos sinus, de quibus supra dixi.
» Doctissimus Buonarrotus in suis *Osservazioni sopra*
» *alcuni Frammenti di Vasi antichi di vetro* p. 36. satis

» probe describit ritum ferendi pallium ab hominibus; » cuius uices, ut iam monui, gerebat palla pro fe» minis, ut uidere est etiam apud Bottarium pluribus » in locis operis inscripti: *Sculture e Pitture sagre* » *estratte dai Cimiteri di Roma.* Buonarrotus autem sic » ait: *Questo raddoppiarsi di pallio accadeva quando* » *coloro, che lo portavano, posta una parte del mede-* » *simo sulla spalla sinistra, facevano girare l' altra* » *parte dietro alle spalle, e questa la facevano poi* » *riuscire sotto il braccio destro.* Profecto obseruandum » est, hanc partem pallii, quae sub brachio dextro » remanebat, eam esse, quae sinus supra expressos » efficiebat, eo quod pallium sursum ferebatur super » humerum sinistrum. *E quindi,* prosequitur Buonar» rotus, *la rimandavano per d' avanti sopra alla spalla* » *sinistra, soprapponendola su quella porzione di pallio,* » *che di già v' era; e da queste parti di pallio in questa* » *guisa congiunte, e soprapposte ebbe origine il dirsi* » duplicare il pallio. *Ciò ampiamente spiegato aveva* » *l' istesso Salmasio nelle note sopra Tertulliano alle* » *pag.* 364. *e* 365.

» Duabus hisce figuris descriptis, transeo ad earum » significationem. Itaque illa, quae pro galea gerit » elephantinum caput, Africam repraesentat. Haec enim » mundi pars exprimitur, ut mulier, cuius caput ele» phantinum caput ornat. Ita nempe eam repraesen» tant numi Hadriani, Antonini, et Seueri. Verum est, » Mauritania et Aegyptus, Africae partes (a), eodem

(a) Apud geographos recentiores reuera inter Africae regiones computatur Aegyptus; sed apud antiquos haec ad Asiam spectabat. Hinc ea dicenda erat potius Africae contermina.

» ornamento donari in capite, ut pro Mauritania ui-
» deri potest numus aeneus maximi moduli cum epi-
» graphe *Aduentui Aug. Mauretaniae* apud Pedrusium
» To. VI. tab. XXX. n. II., et pro Aegypto exstat nu-
» mus pariter aeneus Commodi apud Augustinum Dia-
» logo tertio, et etiam melius expressus apud citatum
» Pedrusium To. VII. tab. XXI. n. VII. De hac secunda
» etiam disserit Vaillantus To. I. *Numismatum Impera-*
» *torum in coloniis percussorum.* Attendendum est, Mau-
» ritaniam in supra indicato numo breui ueste indutam
» esse, et ferre uexillum pro peculiari suo signo. In
» alio autem numo pariter Hadriani cum epigraphe
» *Aduentui Aug. Africae* apud Pedrusium cit. tab. XXX.,
» necnon in altero eiusdem Hadriani ibidem expresso
» tab. XXXII., qui refert pro inscriptione *Restitutori*
» *Africae*, haec mundi pars, scilicet Africa induit
» longam tunicam, et manu sinistra gerit fasciculum
» spicarum, in signum suae fertilitatis. Romam enim
» pluries ex Africa frumentum aduectum fuit, quo
» illa aleretur. Quod uero ad Aegyptum attinet, ex-
» pressam in numo Commodi, est obseruandum, ibi-
» dem reuera eam prouinciam longa tunica indutam
» esse, et dextera gerere spicas, quas Commodo sub
» Herculis figura repraesentato offert, sed sinistra
» tenet sistrum, quod symbolum in numis tribuitur
» tantum Aegypto, uel suis numinibus Anubi et Isidi.
» Praeter quam quod Africa in numismatibus induta
» est longa tunica, quamuis aliquibus in numis, ut
» puto in illis Antonini, hanc uestem succinctam esse
» appareat ad latera (quod congruit etiam longae uesti)
» et caput elephantinum gerat, nec non spicas prae
» manibus, alia etiam sua signa refert. Ad pedes enim

» Africae in aliquibus numis uisitur leo aut scorpio, » et hunc saepe manu tenet. Nam iis animalibus eae » regiones abundant. Pariter illa loco spicarum manu » gerit cornucopiam, aut calathum, qui interdum est » ad pedes eius. Aliis quoque symbolis donatur Afri- » ca, ut testatur Ant. Augustinus in *Dialogis*, et auctor » libri inscripti *Instituzione Antiquario-Numismatica* lib. I. » cap. IX. p. 107.; sed illa symbola, quibus nunquam » caret, sunt caput elephantis in capite, et spicae » aut cornucopia prae manibus.

» Africa, ut iam dictum est, in nostro Fragmento » manu sinistra tenet aliquot spicas cum capite papa- » ueris. Quod ad hoc pertinet, nunc obseruare opor- » tet, raro inueniri frumenti spicas in numis, quin » eas comitentur papauera. Id conspicitur etiam in » antiquis lapillis insculptis, qui pro gemmis in anulis » inserebantur. Ex hisce lapillis plures possideo in » meo scrinio, qui repraesentant multa symbola An- » nonae propria uel Abundantiae, et inter illa unum » aut plura papaueris capita uisuntur. Alia uero huius- » modi symbola sunt cornucopia, aliquot spicae, uomer » qui terrae fertilitatem denotat, et gubernaculum » nauis, aut tridens, et saepius delphin; quae po- » strema symbola significant annonam mari aduectam. » Haud est inficiandum, plantam, quae papauer gi- » gnit, abundare in agris, ubi seritur frumentum; » sed potior ratio, ob quam ueteres semper papa- » uera cum spicis coniungebant, fortasse ea est, » quam affert eruditus Pluche in Historia Caeli (to. I. » p. 314. et 210. edit. Venetae apud Pasquali), qui » opinatur papauer, propterea quod celeriter crescit, » et propter multitudinem seminum suorum, fuisse

» plantam, quae melius apta esset ad alendum homines, » quam aliae: ideoque capita illius plantae, ut putat » idem auctor, saepe conspiciuntur in manibus Cere- » ris, quae dea erat frugum. Certior itaque ego factus, » hac figura repraesentari Africam, suppleui ex hac » parte Fragmentum, delineando ad eius pedes leo- » nem, et dexteram addendo cum corona, ita ut ui- » deatur eam capiti sacrificantis imponere.

» Hunc sacrificulum existimaui esse aut Hadrianum » aut Gordianum Africanum patrem; et idcirco in » duplici graphide adieci eorum capita, in uno nempe » Hadriani, et in altero Gordiani (a). Hanc figuram » esse cuiusdam Imperatoris nobis satis demonstrant » eius indumenta, idest tunica et paludamentum, qui- » bus induti sunt plures Imperatores in auersa parte » numorum: ex. gr. Antoninus in numo aeneo maximi » moduli cum litteris tantum *S. C.*, quem profert Pe- » drusius To. VII. tab. V. n. 2., ubi Imperatorem sic » indutum, ut est in Fragmenti nostri figura, sequun- » tur milites. Ita pariter aliae sunt figurae ibidem ex- » pressae, idest tab. XIII. n. III. M. Aurelii cum epi- » graphe *Iuuentus S. C.*, tab. XXVIII. n. IV. Caracallae, » tab. XXXII. n. VIII. Diadumeniani, tab. XXXVIII. n. VIII. » Maximi, et alibi aliorum Augustorum.

» In figura imperiali Fragmenti non exprimi putaui » Antoninum, nec Commodum, neque Seuerum, quo- » rum numi inueniuntur cum typo Africae in parte » auersa; quia Antoninus, quo tempore fuit Imperator, » nunquam uidit Africam, nec memini aliqua memo- » rabilia beneficia eum contulisse in illam regionem.

(a) Inuenta est ea tantum graphis, quae Hadrianum repraesentat.

» De Commodo reuera narrat Lampridius citatus a
» Vaillanto in opere supra laudato, cui titulus *Numis-*
» *mata Imperatorum in Coloniis percussa* To. I. p. 309.,
» classem instruxisse mittendam in Africam, ut inde
» triticum adueheretur Romam, si forte Alexandrina
» frumenta defecissent; propter quam principis soler-
» tiam Senatus cudere tum curauit numum supra ci-
» tatum cum epigraphe *Prouidentia Augusti:* sed ibidem
» monui eundem numum ad Aegyptum spectare. Se-
» uerus Aegyptum lustrauit, quae prouincia in numis
» repraesentatur cum symbolis diuersis ab illis, quae
» propria sunt Africae; nam exprimitur mulier fere
» iacens, et brachio sinistro innixa calatho, nec non
» tenens dextera sistrum, et ad pedes habens auem
» ibim. Si quis mihi obiectaret exstare Maxentii et
» Constantini Magni aliquot numos aeneos cum epi-
» graphe *Conseruator Africae suae;* ideoque Fragmen-
» tum, de quo uerba facio, spectare ad alterutrum
» Augustum: praesto mihi esset, quod responderem,
» nimirum in horum Augustorum numis Africae effi-
» giem discrimen aliquod habere circa symbola sua an-
» tiqua, sicuti uidere quisque potest apud Bandarium
» To. II. p. 151. 157. et 296. Passim enim prouinciae
» expressae in illorum numis uel carent symbolis, uel
» ea habent diuersa ab antiquis, quo tempore impe-
» rium declinabat, ut sub mox praefatis duobus Au-
» gustis. Quod ad Constantinum spectat, posset esse
» forsan alia ratio, quominus crederemus sub hac
» figura eius personam latere; nam is Africae dominus
» solummodo factus est post proelium contra Maxen-
» tium, ex quo superior euasit. Eam autem uictoriam,
» ipse testatus est, ut legitur apud Eusebium in eius

» *Vita*, obtinuisse a summo Deo creatore uniuersi;
« quoniam iamdiu abdicauerat a se deliramenta falso-
» rum numinum, et propensus euaserat erga Christi fide-
» les, quorum religionem plane cognouerat ut ueram ob
» relatam uictoriam. Quare non putandum esset, tunc
» illum Augustum effingi sacrificantem. Sed, cum con-
» stet esse inter Constantini numos nonnullos, in quibus
» *Pontifex Maximus* uocatur, ut est ille numus, qui
» praedicat eius consulatum VI., qui fuit post annos X.
» ab illius conuersione: idcirco nihili facio hanc meam
» positionem. Aliquis enim ethnicus sculptor potuit
» opus anaglypticum perficere iuxta suam supersti-
» tionem. Sed quod euincit Fragmentum meum nihil
» commune habere cum Maxentio uel Constantino Ma-
» gno, est, quod supra iam dixi; quia nempe Africa
» in parte auersa numorum, qui ad utrumque Augu-
» stum spectant, uel symbolis omnino caret, uel eadem
» habet ualde diuersa ab iis, quae uisuntur in numis
» priorum Imperatorum.

» Hunc uero Imperatorem sacrificantem esse Ha-
» drianum, tueri possem ob frequentia itinera ab eo
» peracta in Africa, ut testatur numus citatus cum
» epigraphe *Aduentui Augusti Africae*, et ut nouimus
» ex Spartiano in eius *Vita*. Quare putandum est eam
» Mundi partem gauisam esse ob honorem praesen-
» tiae sui principis, et eo amplius, si perpendatur,
» Imperatorem illum eidem beneficia contulisse, cum
» citatus Spartianus de hoc Augusto scriptum reliquerit:
» *Deinde Romam uenit, atque ex ea in Africam transiit,*
» *ac multum beneficiorum prouinciis Africanis attribuit.*

» Plures occurrunt numi, in quibus expressi fuerunt
» Imperatores corona redimiti tum a Victoria tum a

» prouinciis, tum ab urbibus. Huiusmodi autem obser- » uantiae ritus perficitur erga Augustos, dum ii sacri- » ficia peragunt, liquorem e patera effundentes super » aram: quod denotabat unionem utriusque potestatis » imperialis et sacerdotalis propter maximum pontifi- » catum. Nec mihi omittendum uidetur, apud Pedru- » sium To. VI. tab. XXXVIII. n. III. exstare numum » Graecum Hadriani, in cuius parte auersa Africa » osculatur manum Imperatoris. Ille auctor putat, illam » figuram, quae osculum porrigit, esse urbem Alexan- » driae, sed celeber Apostolus Zenus in suo *Giornale* » *de' Letterati* To. XXII. art. VI. p. 202. opinatur eam » esse Africam (a). Hic autem obsequii ac beneuolen- » tiae actus, quem hoc in numo Africa erga Hadria- » num ostendit, probat amorem studiumque, quo » prosequebatur illa pars mundi suum principem: et » ideo credere possem eandem prouinciam in hono- » rem huius Augusti fieri iussisse sculpturam, quam » illustrare aggressus sum.

» Est hic etiam obseruanda parua illa portio uestis, » quam uides post cubitum sinistrum Augusti, ubi » Fragmentum angulum efficit acutum. Ibi ea indumenti » portio nullo modo ad uestes Imperatoris pertinet, » sed ad aliam personam, quae ad sinistrum latus » principis aderat. Reuera in aliquibus numis uisitur » principi sacrificanti adstare plerumque unam uel plu- » res alias personas, inter quas in quodam numo uidi » adsistere figuram Romae, in altero militem, et in » aliis alios sacrificuli ministros.

(a) Fallitur tamen Zenus; nam nota chronica L IE in parte aversa euincit numum ad Alexandriam spectare, cui eum quoque tribuit Eckhel T. IV. *Doctr. numor. ueter*, p. 64.

» Hucusqne hoc meum Fragmentum consideraui
» ueluti partem operis anaglyptici ad Hadrianum spe-
» ctantis. Nunc illud considerandum est ueluti spectans
» ad M. Antonium Gordianum patrem. Anno Christi
» CCXXXVIII. imperante Maximino, Africa maxime uexa-
» batur propter assiduas mulctas et uiolentas exactio-
» nes procuratoris fisci, qui unice intentus erat ad
» congerendam pecuniam. Erat enim Imperator numo-
» rum auidissimus et deae Pecuniae ualde deuotus.
» Ideoque aliquot nobiles, coacta turba seruorum et
» rusticorum, irruerunt in Procuratorem, eumque tru-
» cidauere. Deinde Proconsulem M. Ant. Gordianum
» petierunt, conclamantes eum Imperatorem, et eius
» filium M. Ant. Gordianum Caesarem. Cum Romam
» peruenisset huius facinoris nuncium, Senatus confir-
» mauit electionem utriusque Gordiani, et Maximinum
» Reipublicae hostem declarauit. Iste autem continuo
» damna sua reparauit, nam Capellianus procurator
» suus in Numidia statim cum Gordiani exercitu ma-
» nus conseruit, et ex certamine superior euasit, in
» quo etiam supremus dux Gordianus filius uitam
» amisit. Cum uero id nouisset Imperator Gordianus
» pater, eodem die, desperatione actus, et ne in ini-
» micorum manus incideret, mortem laqueo sibi con-
» sciuit. Vide Capitolinum in *Vita Maximini* senioris.
» Plerique critici non plusquam unum mensem et sex
» dies imperii tribuunt Gordiano, et alii duos menses et
» aliquot dies. Confer Panuinii *Fastus Consulares.* Porro
» quam facillimum est existimare, aliquem ex proce-
» ribus Africae, ut significaret eam regionem dedisse
» imperio Romano suum caput, alicui artifici perfi-
» ciendum mandasse hoc opus anaglypticum, in quo

» repraesentaretur Gordianus pater ab Africa corona » redimitus. Hoc item potius ad Gordianum quam ad » Hadrianum referendum euincunt, ut iam innui supra, » tum informatio tum executio non plane perfecta. » Quod si bene perpenderis, id non obseruari in » sculpturis sub Hadriano absolutis nosces, sed potius » sub utroque Antonino, et post eos quoque.

» Cum autem agendum sit etiam de illa arae parte, » quae in Fragmento remanet, primum obseruari uelim, quomodo artifex opportune usus sit uarietate » colorum achatae, aptando nempe colorem onychinum » ad prospectum planum arae, et castaneum colorem » ad coronam nec non ad focum arae impositum, sicuti eiusmodi coloris est illa pars figurae, quae remanet in eodem plano prospectu. Arae antiquae » diuersimode conformabantur, nam aliae erant triangulares, aliae oblongae, quadratae aliae, uel rotundae: sicut uideri possunt in numismatibus aliisque » monumentis. Iuxta numinum quoque qualitatem, quibus dicatae erant, uaria fuit earum altitudo; quamuis fere ad umbilicum sacrificantis usque peruenirent. » Haec Fragmenti ara non pertingit usque ad medium » femur sacrificuli: quod apparet ex longitudine brachiorum eius, si extensa forent iuxta eorum naturalem figuram. Vide Saubert *De Sacrificio* cap. xv.

» Cum mentio hic a me facta sit de foco, aliqua » etiam de eo a me sunt tractanda. Hic est uelut ille » ferreus focus, qui etiam nunc adhibetur, in quo prunae accenduntur, ut quisque se calefaciat; et prorsus » aequat illum, qui apparet super aram in parte auersa » nonnullorum numismatum aeneorum Claudii Gotthici » cum epigraphe *Consecratio*. Huiusmodi focus uidetur

» disiunctus fuisse ab ara et mobilis. Alia antiqua mo-
» numenta repraesentant focum exstantem ex ara ipsa.
» Eruditi editores *Antiquitatum Herculanensium* To. II.
» p. 317. nota 2., de ara ibidem expressa Tab. LX.
» disserentes, haec proferunt: *Que' ripari* (de agge-
» ribus uel limbis loquuntur, qui supersunt ex ara),
» *i quali si osservano negli angoli di questa, e dell' ara*
» *precedente, potevano corrispondere ai lati delle* braciere
» *o* foculi, *o* arule: *anzi si notò, che su le are si met-*
» *teano tali vasi col fuoco. Si veda il Bertaldo* De Ara
» *cap.* 5. *Altri disse, che potevano quei ripari in qualche*
» *modo corrispondere alle* Corna *che ne' quattro angoli*
» *degli altari soleano farsi; si veda il Pottero* A. G. II. 2.
» *O anche può dirsi, che servivano per appoggiarvi le le-*
» *gna, che si bruciavano sulle are, e custodirvi il fuoco.* »

Hucusque patruum magnum Tuum, Cl. Ioh. Iacobe, audiuisti docte disserentem de pretioso Fragmento ab eo acquisito, et in selecto Museo nobilissimae domus Tuae adseruato. Pauca uero de eodem Cimelio adiicienda mihi sunt. Et primum uelim scias, non solum quae ille adnotauit de duplici zona, praecipue quod ad Gordianum spectat, ut iam in notula exposui, non satis constare ex accurata inspectione uestium, quae in Fragmento Gemmae reliquae sunt. Imo eadem nunquam usi sunt Augusti, ut constat ex omnibus monumentis, quae ad nos usque peruenerunt. Quod etiam hac eadem ratione dici potest de Africa. Sic quoque graphis fideliter ex archetypo et accurate expressa parum uidebis discedere aliqua in parte a descriptione, quae exstat in dissertatione superiori. Sed hoc nihil detrahit doctrinae archaeologicae auctoris. Imo sapienter in eius graphide exhibetur aperto capite sacrificans Augustus, ut reuera sic fuisse effictum in integra

achate constat ex reliquiis indumentorum, quibus ipse amicitur. Hac super re oriri poterat dubium; nam, ut notum est antiquitatis studiosis, plerumque sacrificuli uelato capite faciebant. Sic etiam Imperatores, utpote qui Pontifices Maximi etiam erant, uisuntur in pluribus eorum numis. Sed iidem comparent interdum quoque cum in numismatibus, tum aliis in monumentis sacrificantes aperto capite uel eodem tantum laurea redimito. Non uelato reuera capite Domitianus apparet in iis quatuor ex eius numis editis a Rainssant Cimelii Christianissimi Regis Custode in *Dissertatione super duodecim Numismatibus Saecularium Ludorum* eiusdem *Imperatoris, opere Gallice conscripto, quod Italice et Latine uertit N. N. Brixiae* 1687. Sunt ibidem numi V. VI. VII. et X., qui eundem Augustum repraesentant super *altaris focos pateram effundentem*, quin caput eius uelamento sit opertum. Hoc idem demonstrant aliquot sacrificia peracta ab Augustis, quae expressa fuerunt in Columna *cocliti* uocata et altera *Traiana.* In explicatione huius secundae Fabrettus p. 169. erudite disseruit: *cur sacrificantes uario habitu, et cur capite modo aperto, modo operto.* Eundem consulant, qui rem omnem penitissime cognoscere cupiunt. De paruis illis figuris expressis in prospectu arae, nihil reperitur in superiori Dissertatione. Fortasse oblitus est auctor aliqua etiam de iis adnotare; quia parum referunt ad explicationem argumenti, quod Gemma repraesentabat. Eae uidentur esse Horae, quae, cum tres appareant in prospectu arae, repetitae in tribus aliis lateribus finguntur a scalptore.

Sed tempus est, ut finem imponam Praefationi, cuius longitudine, plusquam par erat, Te, Cl. Vir, fortasse detinui; et ut Tibi me nec non labores meos commendatos uelim.

FLAVII CRESCONII CORIPPI
AFRICANI GRAMMATICI
IN IOHANNIDOS SEV DE BELLIS LIBYCIS
LIBRVM PRIMVM

PRAEFATIO
AD PROCERES CARTHAGINIENSES.

Victoris, Proceres, praesumpsi dicere lauros:
Tempore pacifico carmina festa canam.
Scribere me libuit magnum per bella Iohannem:
Venturo generi facta legenda uiri.
Omnia nota facit longaeuo littera mundo,
Dum memorat ueterum proelia cuncta ducum.
Quis magnum Aeneam? saeuum quis nosset Achillem?
Hectora quis fortem? quis Diomedis equos?
Quis Palamedeas acies? quis nosset Vlyssem;
Littera ni priscum commemoraret opus?
Smyrnaeus uates fortem descripsit Achillem,
Aeneam doctus carmine Virgilius.
Meque Iohannis opus docuit describere pugnas,
Cunctaque uenturis acta referre uiris.
Aeneam superat melior uirtute Iohannes,
Sed non Virgilio carmina digna cano.
Maxima ductoris, quod sim temerarius, acta,
Virtutesque uiri, uictaque bella canam.

Nutat in angustum discors fortuna poëtae:
Laureus inde furor, pallidus inde timor.
Concitat ad cantus series fidissima rerum:
Incalui gestis frigidus ingenio.
Doctorum ingenium, docto non carmine, canto;
Et retinet linguam torpor in ore meam.
Quidni, si ignarus quondam per rura locutus,
Vrbis per populos carmina mitto palam?
Forsitan ex fracto ponetur syllaba uersu:
Confiteor; musa est rustica namque mea.
Nempe admittenda est dicendae gloria laudi:
Fraudabor solus munere, nulla canens?
Concitat ora magis, pulsus de pectore, terror:
Laudibus immissis, sit fauor ore meo.
Quos doctrina negat, confert uictoria uersus.
Carminibus fessum gaudia tanta leuant.
Gaudeat in multis sic se Carthago triumphis.
Sit mihi rite fauor; sit, rogo, uester amor.
Rustica Romanis dum certat musa camoenis,
Ductorem nostrum fama per astra uehit.
Si placet, ut primi recitem mea dicta libelli;
Nunc meritis iussis carmina prima cano.

FLAVII CRESCONII CORIPPI

AFRICANI GRAMMATICI

IOHANNIDOS SEV DE BELLIS LIBYCIS

LIBER PRIMVS.

Signa, duces, gentesque feras, martisque ruinas,
Insidias, stragesque uirum, durosque labores,
Et Libycas clades, et fractos uiribus hostes,
Indictamque famem populis, laticesque negatos,
Vtraque letifero turbantes castra tumultu,
Turbatos stratosque cano populosque subactos,
Ductorem et magno signantem facta triumpho.
Aeneadas rursus cupiunt resonare camoenae.
Reddita pax Libyae, bellis cessantibus, astat;
Certior et geminis fulget uictoria pinnis.
Iam pietas caelo terras prospexit ab alto.
Iustitia comitante simul, concordia mundum
Laeta fouens reficit, geminis amplexa lacertis.
Has inter medius solio sublimis ab alto,
Iustiniane, tuis, princeps, assurge triumphis:
Laetus et infractis uictor da iura tyrannis;
Inclita nam cunctos calcant uestigia reges,
Laetaque Romano seruit iam purpura regno,
Sub pedibusque tuis uictus prosternitur hostis;
Et gentes fera uincla ligant, nodoque tenaci
Post tergum implicitas stringunt retinacula palmas,
Saeua superpositis plectuntur colla catenis.
* * * * * * * * * * * *

Oraque per centum producant pectora cantus:
Non mihi sufficerent sensus, non omne canenti
Ingenium lati uolitans per deuia mundi,
Summatim illa canam, summis et laudibus apta.
Africa sub magno nutabat fessa periclo;
Nam fera barbaricis rabies exarserat armis,
Insidiis, ferro, flammis, populisque superba,
Omnia succendens direptae moenia terrae,
Captiuosque trahens cunctis e partibus Afros.
Iam nullum discrimen erat: non uatibus ullis
Parcere, nec senibus potuit concedere fessis
Quisquis honos busti. Iacuit tunc omne cadauer
Confossum gladiis. Natis fas non fuit ullis
Corpora caesa patrum congestae subdere terrae,
Vulnera nec lacrimis permissum fundere iustis.
Dum pater opprimitur, nati coniuxque trahuntur.
Diripiuntur opes. Virtus premit improba martis,
Et pia desertae linquuntur funera terrae.
Nobilis et pauper casu rapiuntur in uno.
Luctus ubique sonat, terror tristisque per omnes,
It metus; et duris turbantur cuncta periclis.
Quis lacrimas, clades, praedas, incendia, mortes,
Insidias, gemitus, tormentum, uincula, raptus
Explicet; aut miseros possit numerare dolores?
Tertia pars mundi fumans, perit Africa flammis.
Iamque pius princeps uoluebat pectore curas,
Pensans, et nostras moderans quem uellet in oras
Ductorem mandare ducum, summumque magistrum
Militiae: tantam cupiens fulcire ruinam.
Cuncta reuoluenti solus uirtute Iohannes,
Consilioque placens, fortis, sapiensque uidetur.
Gentibus ipse feris concurrere posse putatur

Solus, et infensas acer prosternere turmas.
Quippe uiri decus, et praeclari signa laboris,
Victaque bella placent regni grauiora superbi.
Expulit ut Persas; strauit quo uulnere Parthos,
Confisos turbis, densisque obstare sagittis:
Tempore quo lati manarunt Nitzibis agri
Sanguine Persarum; Parthoque a rege secundos
Congressus nec habet. Fretus uirtute feroci,
Amisit socias, ipso superante, cateruas;
Effugiensque, suas, actus formidine, portas
Claudere uix potuit, mediaque in Nitzibis arce
Irrupit Romanus eques, uictorque Iohannes
Persarum excelsas concussit cuspide portas.
Principis ante oculos discurrunt cuncta fidelis
Fortia facta uiri: pensat, uersatque labores,
Theodosioypolin ut densus uallauerit hostis
Obsidione graui; noctis celer ille per umbras
Vt ueniens dubiae succurrit moenibus urbis,
Hostes per medios portas ingressus amicas;
Territus utque pedem muris subtraxit ab illis
Ingens Mermeroës; densisque ut saeuior armis
Ardua sidereo cingebat moenia muro,
Inde Daras ausus ductor, qui signa regebat,
Appetere, et bello Latias tentare phalangas.
Sed, postquam primam uigilans ex hostibus urbem
Eripuit ductor, fugientes inde secutus,
Occupat ante uias, atque omnes uindicat agros;
Neu popularet atrox, aut quemquam laederet hostis.
Primus et obtinuit celsi munimina muri,
Nec passus differre diu. Nam protinus hosti
Fortior in medios uisus concurrere campos,
Perculit innumeras felici marte cateruas,

Egregiosque duces, et iunctas foedere gentes.
Parthorum dominum uictum uersumque fugauit
Mermeroën. Acies Romanum effusa sequentem
Tunc metuens, manibus gladios phalerasque nitentes
Quisque suas medios fugiens proiecit in agros.
Indecus in cunctis ensis fulgebat harenis
Vaginaeque leues, hastae, clipeique, comaeque,
Corporaque, et mistus sonipes, telisque superbi
Armigeri iacuere ducis. Iacuisset et ille
Prostratus campis, ni uiuum prendere uellet
Ductor magnanimus. Victus tamen ardua uidit
Moenia Mermeroës, paucis comitantibus, intrans.
Tunc astans mediis Dominum benedixit in armis.
Vrbicapus sapiens, quem primum maximus orbis
Imperialis apex famulum rebusque fidelem
Tunc habuit lectum, quem ad multas miserat oras,
Noscere, quae saeui fuerant discrimina belli.
Hic ubi uictores Romanos feruere uidit,
Atque hostes uastos pauitantes ire per agros,
Extendens geminas pariter cum lumine palmas
Ad caelum, sic laetus ait: Tibi gloria semper,
Summe Deus; uictos tandem post tempora Persas
Cernere quod merui, nostri uirtute Iohannis.
Hos uersans princeps animo tunc saepe labores,
Hunc solum Libyam oppressam defendere posse,
Matura pietate probat: nec plura moratus,
Iussit ab externis acciri partibus orbis
Ductorem. Placidus finîs dimittit et hostîs,
Occiduas aditurus aquas; celerique iubentis
Impleuit praecepta die, uictorque recurrens
Aurea Romanae tetigit mox limina portae.
Principis ante pedes gaudens stetit ore sereno.

Respexit famulum. Pedibus celer ille benignis
Oscula laeta dedit. Paucis hunc orbis eoi
Acta referre iubet. Iussus, quae bella peregit,
Auribus insinuat placidis. Gauisus alumno
Imperialis apex optat sic uincere semper.
Illicet auxilio Libyam defendere mittit.
Principis imperiis onerantur milite puppes,
Impensis armisque simul; pugnasque docendus
Mittitur auspiciis domiturus bella magistri
Tyro rudis magni. Placidus iam tempore certo
Carbasa uentus agens moturas fecerat undas,
Nauigiumque: thetis suadebat prospera nautis.
Maximus at princeps, plena pietate, magistrum
Edocuit, sic uerba mouens: Res publica nostra
Praemia compensat merito condigna labori,
Principe me; cunctosque iuuat, gradibusque potentes
Esse facit, quoscumque uiros bene currere sentit
Pro terris populisque suis. Nunc accipe dicta;
Et causas cognosce libens, ac mente teneto.
Africa sub quantis iaceat miseranda periclis,
Auribus in nostris sonuit. Succurrere fessae
Compellit pietas. Placuit, fortissime, nostris
Et uisum est animis, Libyam te posse tueri.
Signa moue, et celsas uelox conscende carinas;
Ac miseros solitis releua uirtutibus Afros;
Languantanque acies armis prosterne rebelles:
Sub nostris pedibus subiectum flectere collum,
Compressum uirtute tua. Tu prisca parentum
Iura tene, fessos releua, confringe rebelles.
Hic pietatis amor, subiectis parcere, nostrae est:
Hic uirtutis honor, gentes domitare superbas.
Haec mea iussa tenens, ductor fidissime, serua.

Cetera Christus agat, noster Dominusque Deusque,
In manibus referens, et te per cuncta gubernet
Prosperitate sua: titulis melioribus auctos
Pro meritis nos rite tuos uideamus honores.
Procidit ante pedes, divinisque oscula plantis
Pressa dedit, lacrimisque rigans uestigia tinxit.
Ductorem ipse pater cernens discedere princeps,
Condoluit, pietasque animos concussit heriles.
Inde, petens classem, nautas hortatur ouantes
Magnanimus ductor; deducunt litore puppes.
Prima repercussis uerruntur marmora tonsis:
Soluunt uela citi, magnis clamoribus urguent,
Horrisonoque graues laxant stridore rudentes,
Expanduntque sinus: placidis iam carbasa flabris
Aurae impulsa mouent: abscondunt alta carinae,
Et latet angustum centum sub puppibus aequor.
Prospera maturis crebrescunt flamina coris,
Impelluntque rates: aeratis aequora proris
Proscindunt celeres: sulcantur marmora rostris.
Spumea sub longis immurmurat unda carinis,
Classis traiciens angusto litore fauces,
Seston Abydenus dirimit qua pontus ab aruis;
Sigeasque uolat uentis secura per undas,
Et legit antiquae litus lacrimabile Troiae.
Inclita tunc referunt Smyrnaei carmina uatis;
Significantque locos alta de puppe priorum:
Haec Priami sedes; domus haec Aeneia longe,
Arboribus quae septa iacet: hic saeuus Achilles
Traxerat Hectoreum, curru rapiente, cadauer:
Demoleum hoc uictor prostrauit litore magnum
Aeneas proauus; celsae quo moenia Romae,
Nomen et imperii praeclarum auctore refulget,

Atque tenet latum dominantis foedere mundum.
Cunctaque gesta canunt Argiui proelia belli:
Concidit Hectorea Patroclus fusus ut hasta;
Vtque niger Memnon Pelidae uulnere uictus;
Fleuit ut Aurora ingentis pia funera nati;
Corruit ut mediis bellatrix uirgo cateruis
Penthesilea suis; Rhesus qua nocte peremptus,
Troilus utque puer forti congressus Achilli;
Victor Apollinea cecidit qua lege sagitta;
Quo Paris occubuit confossus uulnere raptor;
Vltima post referunt exhaustae incendia Troiae,
Aeneaeque fugam: tunc clari nomine Iuli,
Vt puerum patremque, amissa coniuge, secum
Nauibus euexit, tot per uada caerula currens.

Audiit egregius narrantes proelia Petrus,
Audiit ut pueri praeclarum nomen Iuli:
Arsit amore nouo pectus puerile legendi,
Noscere bella uolens. Magna pietate mouetur:
Se putat Ascanium, matrem putat esse Creusam.
Filia regis erat; mater quoque filia regis.
Tunc pater Aeneas, et nunc pater ipse Iohannes.
Haec meditatur ouans: pertentant gaudia mentem
Haec patri, haec famulis, haec omnibus: ipse ferebat
Per mare ueliuolum genitoris gaudia magni,
Vnica Romanis rebus spes altera, Petrus.

Labitur Aegeum classis secuta per aequor;
Haud secus Adriacis undis uentisque secundis,
Ocius alta secat; Siculas mox contigit oras.
Deserit aura rates, uentisque silentibus omne
Immoto fluctu iacuit mare: lenior unda
Litora nulla quatit. Siluit tunc Scylla biformis,
Latratus siluere canum, non ora luporum

Compulit unda ciens ululantia reddere saxa;
Quamquam hic alternae coëant confinia terrae,
Angustoque freto litus turbetur utrumque.
Immotos fluctus numquam placata Charybdis
Continuit, liquidas reuomens nec sorbuit undas.
Lintea laxa cadunt, nulloque tumentia flatu
Arboribus iunxere suis. Tunc soluere funes
Praecipiens sociis, portus intrate quietos,
Ductor ait. Iussi celeres super omnia nautae
Armamenta uolant: currens hic uela resoluit;
Colligit ille sinus; socios hortatur ouantes
Dulcibus ille sonis, et cantu mulcet acuto.
Dant animos clamore uiri: uox ipsa labores
Adiuuat, et uires nautis et gaudia praestat.
Caucana Sicani iuxta iacet arua Pachyni,
Litora curua tenens, cuius tunc ancora portus
Romanae classis morsu perstrinxit obunco;
Et iam stelliferus maris asperat hesperus undas,
Inducens terris tetram caligine noctem.
Hic dux magnanimus securus puppe Iohannes
Carpebat somnos; cautus cum forte magister
Ipse ratis placidos persensit surgere uentos.
Discurrit puppes pubes festina per omnes,
Armamenta parans; soluuntque a litore funes,
Non expectato iussu ducis: omnia nautae
Vela leuant, totis pandentes lintea flabris.
Iam medium pelagus, uentis impulsa tenebat
Classis et extremo surgebat roscida caelo
Producens aurora diem; cum tristis imago
Ductoris stetit ante pedes. Cognata tenebris,
Maura uidebatur facies, nigroque colore
Horrida; et obductis contorquens lumina flammis,

Tunc sic orsa loqui: Quas classes tendis in oras?
In Libyam transire putas? Cui, uerba remittens,
Ductor ait: Cernis nostras transire carinas;
Meque rogas, uultu minitans? Tunc tristis imago,
Horrida sulfureis contorquens lumina monstris,
Non transibis, ait. Sensit quod mente. Malignus
Angelus ille fuit claro deiectus olympo.
Nec timuit tamen ipse feras imitantia formas
Ora uiri. Sequitur fugientem, et prendere certat.
Ille, manu densas aspergens ante tenebras,
Puluere commisto, tetrae caliginis umbra,
Ductoris turbabat iter. Sed rursus ab alto
Aspectu placidus, senior descendit olympo,
Candida sidereis gestans uelamina peplis;
Ac stetit ante oculos, quaerentis tela, Iohannis,
Continuitque manum, sanctoque haec addidit ore:
Non furor in tantas animos sic concitet iras.
Sperne malum bonitate tua: fuge: dira maligni
Iurgia ne timeas. Cui dux, Pater optime, dixit,
Virque Dei, cernis certantem, aditusque uiarum
Claudere nitentem. Senior tunc, mente benigna,
Haec ait: O felix, uestigia nostra secutus,
Me duce, carpe uiam. Sic fatus, lumine magno
Erexit placidus fulgentes lampadas ignis
* * * * * * * * * * * * *
Tunc uero omnis iners dubia stat mente magister,
Et uentis dat terga fugax, uitamque fatetur
Artis opem; nescitque miser, quo flectere puppem;
Nec breuiata sinu sustentant lintea flatus.
Non opus est uelis: deponunt omnia nautae
Vela simul, uentisque rates undisque relinquunt.
Sparguntur uario diuersa per aequora cursu,

Quo casus, quo uentus agens, nocturnus et error
Sorte trahit. Saeuum miseris fortuna minatur
Naufragium: nullam credunt superesse salutem,
Desperantque suam per aperta pericula uitam.
Ingemuit ductor, mentemque ad sidera tristis
Erigit; auxiliumque Dei, pietate magistra,
Vt metus ipse dabat, lacrimis inquirit obortis.
Pronus et exorans supplex his uocibus infit:
Omnipotens Verbi genitor, rerumque creator,
Principium sine fine, Deus, te cuncta fatentur
Auctorem et dominum, et factorem elementa tremiscunt;
Te uenti nubesque pauent, tibi militat aër,
Imperioque tuo nunc arduus intonat aether,
Magnaque concussi turbatur machina mundi.
Tu scis, summe pater, tu praescius omnia nosti:
Non auri cupidus, non ullo munere lucri,
In Libyam compulsus eo, sed scindere bellum,
Et miseras saluare animas. Haec sola cupido,
Hic animis amor omnis inest. Huc iussio tantum
Principis alma trahit: noster, te principe, princeps
Imperat. Ipse tibi meritum debere fatetur
Ordine seruitium. Tu illi nos subiicis omnes,
Et seruire iubes: tua sum praecepta secutus.
Aspice, sancte, fauens, et nostros cerne labores
Iam placidus tantaeque pius succurre ruinae.
Sin sua peccantem damnant delicta Iohannem:
Iudice te, quocumque alio me comprime leto;
Pro Petro nunc parce meo. Quo nomine dicto,
Haesit in ore sonus, tremuerunt pectora patris,
Frigidiora gelu ceciderunt crura manusque,
Membraque cuncta labant. Lacrimas tunc fluminis insta
Fundit, et ingentes gemitus ad sidera tollit.

Talibus orantis fletus et uerba recepit,
Suspiciens Dominus; ualidis mitescere uentis
Imperat, et clauso frangi sub monte procellae.
Effugiunt celeres, tenuato uellere, nubes:
Sol redit, et claro, rutilanti lampade, caelo
Emicat alta dies; explanat marmoris undas
Iussio certa Dei: uenti uenere secundi.
Consurgunt laeti, turbantes omnia, nautae,
Vocibus et placidis intendunt lintea malis,
Implenturque sinus. Socias tunc undique naues
Accipiunt, totoque refulgent carbasa ponto.
Iam propius propiusque uolant; et, prospera cursu
Caerula sulcantes, impellunt flamina puppes.

Prospexit tandem succensae litora terrae
Ductor, et indomitas martis cognouit harenas:
Nec dubium; nam uera ferunt incendia. Monstrum!
Voluebant uenti crispantes uortice flammas;
Et, fumo commista uolans super astra, fauilla
Scintillas tenues summam spargebat in aethram.
Surgit et in medio feruet iam flamma profundum,
Omnia conuoluens succensae robora terrae.
Vritur alma seges cultos matura per agros
Omnis; et augescit crescentem frondibus ignem
Arbor, et in cinerem se se consumpta resoluit.
Vertuntur miserae caesis cum ciuibus urbes,
Cunctaque diruptis conflagrant moenia tectis.
Haud aliter Phaëton cunctis e partibus orbis
Non bene concesso succenderat omnia curru,
Flammiuomis raptatus equis; ni fulmine summo
Omnipotens genitor, terras miseratus, anhelos,
Disiunxisset equos, restinguens ignibus ignem.

Exarsit ductor miserae succurrere terrae,

Plus solita pietate fremens, largoque rigauit
Imbre genas. Virtus solitis flagrauit in armis,
Iraque praecipites dictabat tendere gressus
In medios fluctus: prohibet natura uolentem;
Et mista uirtute modum, quo, cuncta regendo,
Inclita cum paruis pensans, commissa gubernat.
Ocius adductas ad litora uertere proras
Imperat; et notae laetus successit arenae.
Litora Byzacii paribus non alluit undis.
Tellure opposita saltim pars lenior aestu
Plana iacet, curuis statio concessa carinis.
Efficiunt portus nimium uada salsa quietos.
Hic uis nulla noti placidos extollere fluctus
Mota potest; uentus liquidum non territat aequor.
Pars pelagi quassatur aquis, ripaeque relabens
Confractum scopulis latrat mare; peruia saxis
Vnda sonat, nigramque super diffunditur algam.
Illic et boreas tumidus, grauiorque procellis
Eurus ab extremo conuoluunt aequora fundo:
Tunc pereunt miserae dirupto fune carinae,
Et pelagi duros tabulae iacuere per agros
Saepe ratis, putresque simul per gramina prorae.
Hinc est, quod metuunt, fugiuntque pericula nautae
Dira loci; portuque petunt uada tuta quieto.
Illo Romanae steterant in litore classes,
Tempore quo Libycas tetigit Belisarius oras,
Vandalicas capturus opes. Quos nomine portus
Alterna pro parte Caput dixere Vadorum
Antiqui nautae. Veniens hic uela resoluit
Dux quoque magnanimus simili uirtute Iohannes.
Felix ille locus, statio quo tuta Latinis
Classibus, atque secunda fuit. Tunc ancora morsu

Fixa suo tenuit securas litore puppes.
Agnouit portus ductor fortissimus illos;
Gauisusque locis, digito monstrauit ab undis,
Et sociis sic laetus ait: Dum prima tenerent
Vltrices haec arua rates, hoc litore primus
Ipse solum tetigi, fretus iuuenibus armis:
Ex ducibus namque unus eram. Cum sceptra tyrannus
Geilamir in Libycis tenuisset perfidus oris,
Has Romana manus primo pede pressit arenas,
Hic Libycas potauit aquas, hoc margine fossas
Tunc posuit primis ueniens exercitus armis.
Ille procul tumulus uicinis proximus undis,
Cernitis, ut molli congestus crescat arena
Mobilitate noti? Ductor Belisarius illic
Altius imposuit cunctis tentoria signis,
Quem circum posuere duces mistique tribuni.
Hoc ego, germano pariter comitante beato,
Castra loco tenui. Sors, heu, durissima fati,
Humanis inimica bonis! O gaudia fratrum
Quanta rapit subito ueniens mors saeua piorum!
Qua uirtute fremens germanus perculit hostes
Ille meus sociusque bonus, qua mente regendo
Continuit, quantumque uirum res publica fleuit!
Non belli rapuit fratrem fortuna potentem,
Cum toties uictor saeuo remeasset ab hoste.
Heu, superas mors dura pios! Genitoris imago,
Pampus eras, natique: mihi solatia tanti
Digna mali, uictor Stygias quod despicis undas.
Haec loca me fratris memorem fecere beati,
Et lacrimas mouere meas. Quae bella peracta
Prisca uiri, Deus ipse mihi meliora secundet.
Sit locus hic felix, illo felicior anno,

Prosperitate Dei. Tamen, haec quo tempore castra
Imperfecta manent, tanto in discrimine belli,
Quot populis subtracta salus, uictoria signis
Si faueat per bella meis, ego coepta replebo
Munimenta loci firmo solidata metallo.

Sic fatus, doluit, desertas ciuibus urbes,
Et uacuas tacuisse domos; Libycasque ruinas
Ingemuit miserans: soluique a litore funes,
Iussit, et optatis concessit lintea uentis.
Tertia lux Tyrios oculis post tempora muros
Obtulit, et fessae ductorem reddidit urbi.

Litora uix primus, figens uestigia, plantis
Contigerat: campis acies exire iubebat;
Praecipit atque duces densas componere turmas,
Signaque ferre iubet. Summus dolor incitat iram:
Terrae quippe dolens, quam uiderat ipse, ruinam,
Castra mouet. Iussis parens, excita iuuentus,
Deposito torpore, micat; omnisque resumptis
Bella petit miles gladiis. Tunc aere recuruo
Aspera raucisoni succendunt proelia cantus.
Iamque nouem latis erumpunt agmina portis,
Cunctaque ferratas effundunt moenia turmas.
Hinc equites ueniunt: peditum pars lenta mouetur
Mille uiis, pulsuque pedum gemit arida tellus.

Qualiter ille fauis pulcri regnator agelli
Castra mouens, apium densas exire cateruas
Imperat, et flauis agmen producere terris
(Siue parat pugnas, aduersi concitus ira
Forte ducis, fucosue uolens arcere malignos)
Accelerat; iussisque fauens festina iuuentus
Per cunctos aditus crebris aluearia linquunt
Exitibus, raucisque acuunt stridoribus hostes.

Haud secus in campos tota Carthagine miles
Exit, et erectis gaudet procedere signis.
Hinc seges aeratis horrescit spissa maniplis.
Hi pharetras arcusque ferunt, his lucida latis
Arma sonant humeris. Hastae clipeique refulgent,
Loricaeque graues, et stantes uertice cristae.
Voluitur inde nouus densa caligine puluis:
Ventilat assidue conculcans ungula terras:
Aëra sublatae conuoluit fumus arenae.
Ipse inter primos, exhortans agmina, ductor
Fertur equo, solitisque duces succendit in armis:
Dum ueteres memorat gestas in Perside pugnas.
Non aliter posset sensus flammare uirorum,
Ni martis laudaret opus. Sic Iuppiter ille,
Vt ueteres aiunt gentili carmine uates,
Saeua giganteo dum staret Phlegra tumultu,
Caelicolum turmas, quo uellent fata, mouebat;
Sternere terrigenas posset quo fulminis ictu,
Cuspide qua Mauors transfixos funderet artus,
Verteret in montes uisa quos Gorgone Pallas,
Arcitenens crebris quis ferret fata sagittis,
Quosque leuis torto fixisset Delia telo.
Iamque per extensos properans exercitus agros,
Byzacii carpebat iter, quo Antonia Castra
Nomine dictus auis locus est. Hic castra Iohannes
Mox posuit. Legati etiam uenere tyranni.
Hos dux egregius iubet intra tecta uocari,
Atque referre uiros saeui mandata tyranni.
Tunc, cui Romanae fuerat facundia linguae,
Iussus Maccus ait: Languantan gentis acerbae
Ductor magnanimus tibi nos Guenfeius heros
Antalas haec ferre iubet. Tu nempe, Iohannes,

Quem nouit Massyla manus, Solomonis iniqui
Tempore, dux, nostris fueras qui proximus oris,
Vicinaeque maris quondam seruator harenae,
Non Solomoniacas audisti marte cateruas
Tot pariter cecidisse gravi; qua flumina clade
Impleret Romana manus, campisque perempti
Quot uestri iacuere uiri, ductoris et ingens
Exitium per bella tui? Tu gentibus audes
Inuictis inferre manum? Non quantus Ilasguas
Notum est marte tibi, quem tantum fama perennis
Prisca canit? Cuius iam Maximianus in armis
Antiquos persensit auos, Romana per orbem
Sceptra tenens, Latii princeps. Tu, milite paruo,
Iam periture, meas audes uel cernere turmas?
Aut poteris sufferre manus, faciemque uirorum
Aspicies campis, ductor Romane, meorum?
Quin potius conuerte pedem, uel sumpta retrorsum
Signa refer, mortemque caue. Sin proelia mecum
Mittere posse putas; si te iuuat ire sub umbras,
Atque dies suprema uocat: cur signa fatigas?
Verba remitte mihi: quae sit tua certa uoluntas;
Et uenio quocumque uoles, nec fata morabor.
Haec mandata dedit ductor fortissimus ille.
Tu, quaecumque placent animo, responsa remitte.
Tunc placidus grauitate sua, nec motus in hostes,
Ductor ait: Mihi nunc saeuo responsa referre
Non opus est hosti. Certis sunt ista diebus
Maturanda mihi saeui mandata tyranni.
Post uobis mandata dabo. Sic ore locutus,
Ipsos priuato iussit custode teneri,
Fortia facta parans. Illis superesse salutem,
Quis potuit sperare uiris? Patientia magni

Quanta ducis! Quanta est pietas uirtusque regendi!
Barbara corda tument, insano accensa furore:
Hic clementer agit, moderans grauitate Latina;
Noluit ulcisci praesenti morte superbos,
Sed uoluit saluare humiles, fractosque leuare.
Sic uirtus Romana manet, semperque manebit.
Corripit et saluat; ueniam promittit ab ira.
Extulit ut radiis rutilantes lucifer ignes
Oceani prolutus aquis; tunc, castra moueri
Cuncta, iubet ductor, densasque exire phalangas.
Signa canens, gemit horrendos fera buccina cantus,
Aere cauo, dulcesque expellit pectore somnos.
Dant animos sociis (clamor tentoria miscet)
Hortanturque parem famuli. Tunc fixa reuellunt
Vela solo, alipedes ducunt praesepibus altis
Ornatos phaleris, atque omnia tela resumunt.
Ast ubi compositis coepit procedere turmis,
Victricesque aquilas aciesque ostendere campis;
Sic, bene solicito dispensans pectore ductor,
Admonet ipse duces, causas referensque docensque:
O Romana manus, spes o fidissima rerum,
O uirtus, orbisque decus, summumque leuamen,
Imperiique fides, et nostri palma laboris,
Certa licet uobis, quae sit fiducia genti, est:
Ipse tamen memorem insidias fraudesque dolosque;
Et metuenda cauens, et quae peragenda reuoluens.
Proelia dura dolis numquam caruere malignis.
Bella per insidias acies Maurusia gessit
Semper, et obscuris fidens subsedit in armis:
Solaque Massylas seruat fallacia uires,
Et timidos bellare facit; dum saxa latebras
Montibus in summis, aut altis flumina ripis,

Praestant; aut ubi glauca nemus distendit oliua,
Arboris aut altae frondoso uertice robur
Efficit occultis acies subsidere campis.
Fraudibus inceptat committere proelia Maurus,
Vt celer incautum subito perterreat hostem,
Ambiguumque premat, fretus numeroque locoque,
Et domitis confisus equis. Tunc belliger astu
Mittitur in planos rarus qui proelia campos
Prouocet, et uisos fugiens exaggeret hostes.
Ille leui cursu praefixo hastilia ferro
Vibrat, et incuruo nec cessat flectere gyro
Cornipedem domitum; sed cum properauerit hostis,
Arte fugit, comptas ut spargat callidus alas;
Dum sequitur numerosa manus, uictrixque putatur
Esse sibi, et totos agmen diffundit in agros.
His agit in bellis fingens certamina Mazax
Insidiis, donec medios perducat in hostes
Hostile obsessis conclausum uallibus agmen.
Tunc dolus ille patens saeuas effundit habenas,
Absconsasque ciet tota de parte cateruas.
Quem metus acer agit, primo fugit ille tumultu.
Hunc premit elatus saeuo sub uulnere Maurus,
Quem pauidum timor ipse facit. Sin robore firmo
Constiterint tunc forte uiri, non ulla sequetur
Audentes pugnare manus; sed colla reflectunt
Mollia quadrupedum. Versi sic bella relinquunt,
Sic acies fugitiua cadit, sic firma resistit.
Nam timidos fortuna premet, cautosque iuuabit,
Audacesque simul; multos nam saepe reuisit.
Et quanti ex ipsis palmam sumpsere periclis!
Vt decet esse duces cautos fortesque trucesque;
Pandite quisque suas belli in discrimine uires.

Sit labor ille animis. Acies componite turmis;
Cunctaque dispositis incedant signa maniplis.
Haec sit praecipue summi cautela laboris;
Has uigiles seruate uices: his uincitis hostes.
Ordine quisque suo, praecedant castra tribuni,
Interdumque duces, suspectas quaerere ualles,
Et faciles praestare uias. Exercitus omnis
His securus erit; cautum nec praeuenit hostis
Vallatumque. Suis at si Maurusia bellum
Fraudibus occultis acies assueta parabit;
Nuntius ante leuis nostras deportet ad aures
Vectus equo, cautasque facit properare cohortes.
Hoc seruate duces: ueram sperate salutem.
Dixerat haec ductor, latum cum uocibus agmen
Consequitur festis: laudant, plauduntque, fauentque,
Exultantque animis; et laeti iussa facessunt.

FLAVII CRESCONII CORIPPI

AFRICANI GRAMMATICI

IOHANNIDOS SEV DE BELLIS LIBYCIS

LIBER SECVNDVS.

Pellitur interea cunctis uastator ab oris
Maurus, et aduerso trepidus calcatur ab hoste.
Deserit obsessas fugiens conterritus urbes,
Turbatusque metu montes concurrit ad altos,
Castraque muniuit, posuitque imperuia siluis.
Implentur uallesque cauae, collesque supini
Gentibus innumeris; camposque et flumina late
Curua tenent. Latuit densis contermina tellus
Agminibus; montesque et celsis frondea siluis
Tecta latent, pendente casa. Fugit inde ferarum
Omne genus, saeui referens uenabula Mauri:
Nec potuit miserum tantas euadere pestes,
Sed iacet affixis resupino in pectore telis.
Non mitis uolucer ramis permissus in altis
Frondibus aut mediis dulces suspendere nidos.
Arboribus religant congesto culmine cannas
Omnibus; et nullo est uacuum iam in monte cacumen.
Qualiter infusae tellus contecta pruinae
Nube latet; campique, et montes, arbor et omnis
Albet; et ipse suis artatur motibus aer:
Eripitur crebris facies certissima rerum
Imbribus, et nullis noscuntur sidera signis.
Quis mihi tot populos gentesque et proelia uates
Ordinet arte noua? Tu, Iustiniane, fauendo

Cuncta doce: admisce blanda dulcedine musam,
Temperet insuetis nutantia carmina uerbis;
Nam fera barbaricae latrant sua nomina linguae.
Primus init bellum, fraterna morte coactus,
Maurorum princeps, Romanis subditus olim
Principibus, gratus ducibus, fidusque magistris,
Antalas; duramque, mouens in proelia, dextram
Erexit furiale fremens, qua turbidus omnîs
Impulit armatas bellorum ad proelia gentes.
Finibus in Libycis, suscepta pace, fidelis
Ille fuit; plenosque decem perfecerat annos.
Heu, ducis ignaui quale indiscretio bellum
Mouit! et extinctas fecit recalescere flammas!
Tunc furor incerti posuit plantaria martis;
Perfidiae crimen, uel tantae semina mortis
Ira dedit. Gentes Libyae commouit amaras,
Acrior et totum turbauit caedibus orbem.
Hunc consanguineis sequitur densissima turmis,
Frexes, et tumida laudant ceruice regentem:
Fortis gens, et dura uiris, bellique tumultu
Effera; seu pedes it campis praesumta per hostes,
Siue frementis equi pulsat calcaribus armos.
Inde leues equitum turmae, comitante Siclifan,
Arma ferunt (saeuus medium uolat ille per agmen
Fisus equo) armatasque mouent pulsantque phalangas:
Aor et indomitus latos discurrit in agros.
Hinc indiuise bellant per bella cohortes,
Siluacaeque truces, et saeuus Naufur in armis,
Silcadenitque ferus, celsis qui uiuida siluis
Bella dolis metuenda parat. Conterritat hostes
Fraude loci, caecisque furens praefertur in ausis.
Qui Gurubi montana colunt, uallesque malignas,

Mercurios colles, et densis infera siluis.
Quis grauis Autiliten, patriis non mollior Ausis,
Praefectus, bellique comes, nullique fidelis
Ibat, et in gentes scelerum laxabat habenas,
Succendens, praedansque ferus, mactansque, trahensque.
Siluaizan, Macaresque uagi, qui montibus altis
Horrida praeruptis densisque mapalia siluis
Abiecte condunt, securi rupis ad umbram;
Et quos flumineis fortes interserit undis
Silzactae, Caunesque leues, qua montis ab alto
Dirigit incuruis amnem per gramina ripis
Vadara, quem planos currentem fundit in agros.
Quas Agalumnus alit, uenere ad proelia gentes,
Nubibus in mediis celsum qui ferre cacumen
Cernitur, et lati sustentans sidera caeli
Macubius; grauidis quasque ipsa miserrima culmis
Dumosae nutrit perstringens ordea terrae
Sascar: et accitus longis conuenit ab oris
Astrices, Anacutasur, Celianus, Imaclas,
Zerquilis artatis habuit quos horrida campis.
Immittit polluta uiros mons Gallida tristes;
Nec cessant populos infausti mittere campi,
Quos Talanteis nutrix suscepit ab aruis,
Tillibaris iunctisque maris distendit arenis
Martamali genetrix: tristes quos cernere campos
Vitasset Romana manus, ni fata dedissent
Inuida saepe bonis, licet ultima, rumpere fila.
Sic tibi, summe Pater, placuit: sic iussa ferebant.
Nuntius extremas Libyae transuectus in oras,
Conuocat indomitas extrema ad proelia gentes.
Conuenit innumeris numquam superatus Ilasguas
Milibus, et totum uolitans conterritat orbem.

Cornipedum saeuus laxatis Austur habenis,
Viribus hunc sequitur fidens, et fortis in armis
Et numero superante modum. Nam belliger Austur,
Sollicitus dubias campis committere pugnas,
Collocat astrictis muros fossasque camelis,
Atque pecus uarium, densa uallante corona
Ponit; ut obicibus pugnantes implicet hostes,
Ambiguosque premat. Currens tunc saeuus Ilasguas
Mactat in angustis prosternens agmina muris,
Et campos securus adit; sequiturque premitque
Caede noua, miserumque furit uastator in agmen.
Est aries illis, infandi machina belli,
Comptaque dispositis ponunt tentoria signis.
Horrida gens, et dura uiris, audaxque triumphis
Innumeris, nullo bellis quae tempore cessat
Impia. Crudelis nullas timet ille ruinas:
Sed licuit timuisse tamen se; iure licebit,
Poeniteat saeuisse diu. Nam fortis Ilasguas
Quondam per latos prostratus uulnere campos
Inguina saeua dedit, praedis bellisque pepercit.
Ierna ferox his ductor erat, Gurzilque sacerdos.
Huic, referunt gentes, pater est quod corniger Ammon,
Bucula torua parens. Tanta est insania caecis
Mentibus. Ha! miseras fallunt sic numina gentes!
Ifarac infestis uenit consultus in armis.
Hic pedes insignis clipeo telisque resultat,
Et mucrone potens, saeuum dum tendit in hostem.
Macumiana manus calidis descendit ab oris,
Quae Tripolis deserta colit; Gadabisque maligna
Mittit ab arce uiros, et saeuis moenibus horrens
Digdiga uicinis acies dedit improba ripis.
Tunc, Velanideis uerrunt qui stagna faselis,

Conueniunt populi, qui currunt arte per aequor,
Infixos tremulis iactantes piscibus hamos.
Barcaei solito curant saeuire furore:
Deseruere suas, et nostras quaerere terras
Incipiunt. His arma furor bellumque ministrat.
Est genus acre uirum: clipeos gladiosque minaces
Non solito uinctos lateri, sed circulus ambit,
Perstringens modicum, complexus brachia gyro,
Vaginasque aptant nudis pendere lacertis;
Nec tunicae manicis ornant sua brachia Mauri.
Insita non ullis stringuntur cingula bullis;
Distinctique feras agitant in proelia turmas,
Binaque praeualido portant hastilia ferro.
Horrida substrictis dependens tragula membris
Ex humeris demissa iacet. Tunc lintea tetrum
Palla caput stringit, nodo suffulta tenaci,
Crudaque sub nigra calcantur Maurica planta.
Marmaridas gentes tot pertulit Africa bellis.
Quis miseram superesse putet? Non sufficit istud.
O superi! Iam audax alternis surgit ab oris
Aduersa de parte fremens dux ille ruinas,
Quas illi Romana manus per uulnera martis
Ante dedit: tantam inde ferus nunc colligit iram.
Innumerae gentes illum comitantur euntem,
Quae Geminam Petram, quae Zerquilis horrida rura,
Quaeque nefanda colunt tristis montana Nauusi
Desertosque locos; nutrit quos horrida tellus
Arzugis infandae: ueteres sic nomine dicunt.
Aurasitana manus celsis descendit ab oris:
Non pedes illa potest acies in bella uenire,
Praeualide sed pugnat eques. Tunc lancea duplex
Iuniperum ferro ualidam suffigit acuto;

Cetraque saepe leuis duro iacet horrida dorso,
Aut lateri suspensa cadit; substrictus at ipse
Mucro fulmineus laeuo dependet ab armo.
Quique Vadis tepide messes bis tondet in anno
Maurus arans, bino perstringit ordea culmo,
Heu! furit in sicca phoebi candentis arena.
Quantus amor praedae! Toleratur feruidus ardor;
Sufferturque fames, terrarum aestusque, sitisque,
Martis amore feri, turpisque cupidine lucri.
Iam fortis properans densos exercitus hostes
Montibus in summis et collibus esse uidebat,
Fumantesque locos flammis, siluasque latentes,
Agmine condenso, nullum monstrare cacumen.
Omnia tecta latent. Vox undique saeua per auras
Indiscreta sonat. Lucos siluasque sonoras
Tempestate putes nimia ueniente moueri,
Littore collisas frangentes aequoris undas.
Hinc iuuenum clamor, fremitusque ardescit equorum
Inde furens: tremulis ululatibus aethera matres
Concutiunt. Feruet trepido tunc terra tumultu.
Pastorum ecce uenit fugiens e uallibus agmen.
Hostis ab aduentu pecudum per prata balatus
Consonat, et densa puluis succrescit arena.
Iam sonipes campis laxis currebat habenis,
Primus et armentis praedam rapiebat ab altis.
Obuius ecce uenit saeuis de faucibus hostis
Rarus, et in nulla comptus procedere turma
Cernitur, aduersos nec poscere feruidus hostes;
Sed tantum clamore furit. Tum tragula crebris
Nutibus e siluis acies agitata requirit,
Auxilioque uocat. Maurorum more, cateruas
Conuocat ergo celer prima ad certamina Frexes,

Marte leui, tantumque fugax armenta tuetur;
Constans nam nullis acies componitur armis.
Non tamen inceptum fuso est cum sanguine bellum.
Geisirich ille potens nam dux praecesserat agmen,
Ductoris iussu, sapiens et Amantius una
Hostiles tentare locos, perquirere ualles,
Et solito planare uias. Huc aggere celso
Romanae sistunt acies, gentesque nefandas
Expectant oculis. Magno quae ferre magistro
Mente gerunt dubia: nequeunt tolerare tumultus,
Nec densos lustrare locos. Quis cernere posset
Milia tanta uirum? Vel sic locusta sub astris,
Austro flante, cadit, Libycos diffusa per agros,
Vere sub extremo; uel cum notus aethere ab alto
In mare praecipitem, magnoque a turbine raptam,
Ire iubet. Dubiis horrescunt corda pauore
Agricolis; segetes ne conterat horrida pestis,
Neu uastet fructus teneros hortosque uirentes,
Mollibus aut ramis florentem laedat oliuam.
Iamque, pedem retrahens, ibat Romana iuuentus,
Ductori responsa ferens. Hanc proximus hostis
Circumdat leuitate sua. Iam dura subibant
Agmina; cum ueniunt densi de montibus hostes,
Faucibus et cunctis campos funduntur in omnes.
Austur, et, indomitis ardens quae fertur in armis,
Macumiana manus. Succedit fortis Ilasguas.
Iamque sub hostiles acies transmissa cateruas
Innumero currebat equo: turbatque, premitque,
Et magis atque magis densum stipatur in agmen,
Exuperatque uiros. Ipsis artatur ab hastis
Campus, et ingenti quassatur terra tumultu.
Sic, ubi compellunt currentia nubila uenti

Murmure cum ualido, tot crebris ignibus ardens
Nimbus, et aduersa ueniens in fronte procella
Influit exactis uasto cum pondere guttis
Grandinis infandae; pluuiis uentisque subactus,
Tristia submittens iam frigidus ora uiator,
Dentibus infremuit: uictus sic terga reflexit,
Et, loca tuta petens, siluis tectisque cucurrit.
Non aliter Romanus eques, iam uictus abibat,
Hoste premente graui; surgens licet inclita uirtus
Fortia facta petat: nimius tamen imprimit hostis
Conueniens. Nec tela uiri, nec spicula possunt
Spargere lenta manus: solus uix sufficit ensis
Pellere marte uiros, clipei uix sistere contra
Vulnera sufficiunt. Tristis tunc aethera clamor
Pulsat: susceptis regemunt obstantia telis
Scuta uirum infandis. Agitatur uita periclis.
Tunc Romana acies paulatim excedere pugna
Nititur, aduersosque reluctat prendere colles.
Interea uelox placidas concusserat aures
Nuntius, ingenti conturbans castra tumultu:
Descendisse feros siluis et montibus hostes;
Innumeros campos acies implesse nefandas,
Obsessosque locos populis, armisque coruscis,
Iam potuisse duces tantae succumbere pugnae.
Illicet omnis eques campo decurrit aperto;
Nam cunctos ciuilis amor pulsabat et ardor,
Ductorisque metus compellit terga suorum.
Voce uerendus agens retro compulsat et hasta,
Quos cessare uidet. Populos excedere castris
Imperat, auxilioque suis succurrere dictat.
Vtque leues aquilas campis produxit apertis,
Praecessitque duces: illos per castra morantes

Increpat; et rauci sonitu conterritat aeris.
Buccina saepe ciens tremulo gemit horrida cantu.
Subsequitur crebris acies collecta maniplis.
Vngula sidereos contristat puluere campos;
Et solis pallescit honor, radiosque micantes
Colligit, oppositaque polus turbatur harena.
Praeruptis ueluti surgunt de montibus euri
Aeoliis feruentque graues, uerruntque procellae
Litus harenosum; tunc tristibus aëra turbant
Flatibus aduersis scindentia nubila flabris:
Sic campos acies densis Romana cateruis
Turbat, et absentes puluis iam comprimit hostes.
Cautus ab aduersa metuentes rupe Melangus
Vidit; et, ingenti turbans clamore cohortes,
Barbara signa dedit. Paulatim linquere campos
Incipiunt, et tuta acies per castra recedunt.
At ueniens fortis, uallatus et agmine, ductor
Montibus in summis adstantes conspicit hostes;
Incolumesque suos, gaudens, suscepit ouantes.
Hinc, fera quae saeuis et tristia bella periclis
Gesserat illa manus, referunt, faucesque malignas.
Praecipit ipse uiris, fossas, et castra locare
Haud procul aduerso nimium, sed protinus, hoste.
Perficiunt praecepta citi, planumque per aequor
Candida mox niueis figunt tentoria uelis.
Hic Romana manus positis fortissima castris
Per uarium discurrit opus. Pars arma reponit
Alta locis, pensat pharetras, arcusque retendit.
Ardua quae celsis sustentent uela columnis,
Ordine configunt pratis in mollibus hastas;
Atque hastis solite per campos scuta reclinant;
Loricasque graues, et conos pellibus aptant

Subpositis; glandes et cetera tela reponunt.
Alipedes meritos pars altera colligit ardens,
Pabula certa ferens. Epulis uolat ille parandis
Doctus: aëna locans, flammis alimenta ministrat;
Hic gelidos fontes portat, raptatque per herbas.
Incuruos parat ille toros, et fercula ponit
Comta focis aptans dapibus, mundansque fluentis.
Maximus interea curas sub pectore ductor
Voluebat, diuersa mouens: gentesque, locosque,
Captiuosque simul, bellum quos gentibus Afris
Miscuit, et miseros praeda raptante subegit.
Aestuat et curis, iterumque iterumque uolutat,
Quid faciat, dubius. Iam nunc committere pugnas
Virtus summa parat; pietas modo parcere dictat;
Quippe ut captiuos nullo discrimine quasset,
Pro quibus arma mouet. Sensus uigilanter oberrat.
Inter utrumque uolans animus decernit, et obstat.
Pectore pugna furit: pietas occurrit, et ira.
Ac uelut agricola immistis cum sensibus arua
Ferre uidens fruges; moerenti pectore curat
Impiger infestos agris conuellere sentes;
Vt monet ipsa ceres: pauitat, damnumque repensat;
Ne male dimissi perdant aut ordea uepres,
Aut bene non pereant tristes cum frugibus herbae:
Sic pater alternas pensabat pectore curas;
Omnia lance probans animus, quo pondere uergat,
Quidue gerat. Nec stare libet, nec dulce sedenti
Colloquium; tacita geminat suspiria lingua.
Dum curis agitur, pendens dum pectus anhelat,
Surgit, et in mediis mauult confligere castris;
Itque reditque uias, animum corpusque fatigans.
Hunc, paribus curis flagrans, comitatur euntem

Magnanimum, ductoris honor, nimiumque benignus,
Consiliique decus, lateri Recinarius haerens;
Hunc habet in saeuis fidum sociumque periclis,
Et uirtute uirum, et discreta mente leuamen.
Illum etiam summis, uicto mauorte, triumphis
Tot nimios gaudet secum tolerasse labores
Martis, et ad summam pariter uenisse coronam.
Et tunc ergo comes curis non impar anhelis
Ibat, et alterno placidus sermone leuabat.

Nutat in angustis omni de parte periclis
Sensus: ductor ait; curis et pectus anhelat;
Dum mouet in dubiis, quae sit fortuna salutis,
Maxima damna ferens, rerum uictoria non est;
Aut ea si pereant, pro quis ad proelia ueni,
Quid lucrum uictoris erit? Me namque fatigant
Omnia mista malis. Hinc damnum triste minantur;
Hinc laudem deferre uolunt, partosque triumphos
De nostris manibus, missa pietate, retollunt.
Captiui pereunt misti cum gentibus Afri,
Si pugnare placet. Quae nostri gloria facti,
Si miseros demus? Nullus iam uincitur hostis.
Consule, quid moueat duri in discrimine belli;
Atque gerenda refer. Placide haec Recinarius heros
Edidit in medio, plana cum uoce locutus:
Omnia dispensans miro moderamine uirtus,
Haec summa est, haec sola placet, haec uincere gentes,
Atque placare potest. Praestat, quod, maxime ductor,
Virtutem indomitam sancta pietate reuincis.
Quidquid deinde geras, nostrae est uictoria partis.
Sic ordo, sic cuncta docent. Modo mittere duro
Legatos opus est, promissa pace, tyranno:
Captiuos reuocet; nostris discedat ab oris

Ille furens Austur; saeuae seu gentis Ilasguas
Princeps ipse iugum solitae sufferre, coactus
Subiecta cervice uehat. Si cesserit ille,
Omnia salua fient: ignosces gentibus insons;
Et placide dabitur nostris uictoria rebus.
At si fors tumida steterit ceruice rebellis,
Tunc armis superandus erit. Nec poenitet unquam
Pro miseris, si marte cadant. Peccata Iohannes
Nulla feret. Pietas animis illaesa manebit
Coepta tuis. Placuere duci consulta fidelis
Iusta uiri; curisque pater resolutus ab illis,
Non uacat: alterna franguntur pectora cura.
Consilium maturum alit; et mandata superbo
Tunc iubet armigerum celerem perferre tyranno;
Talibus atque docet: Perfer mea dicta rebelli.
His monitis nostris aures contunde superbas:
Dum gentes peccant, pietas Romana remittit,
Cunctaque deletis donat delicta libellis:
Perdere non properat quamcumque in proelia gentem,
Poeniteat si bella tamen, si foedera rerum
Subiecti ueniamque sibi pacemque requirant.
Sed princeps clementer agens haec omnia mauult
Esse sua; ut cunctos saluetque habeatque regatque,
Subiectos releuans, frangens uirtute superbos.
Non tua sollicitus teneat modo pectora terror,
Peccatis obstricta tuis; namque omnia prosunt,
Si redeas, ueniamque tibi pacemque uolentes
Vltro damus. Discent, quae sit Romana potestas,
Tot populi; et quae sit pietas, uirtusque regendi.
Quae miserum fortuna tenet? Noster ne fidelis
Semper eras? Nostris solitus gaudere triumphis,
Tunc bene subiectus? Quae te mala fata superbum

Ad fera bella trahunt? Tandem iam desere facta
Turbidus, in miseris quae exerces tristia terris.
Quid iuuat, infelix, Romana lacessere signa?
Quidue paras miseros tanta iactare ruina?
Vincere nempe putas quascumque in secula gentes
Romanas tu posse manus? Nos Parthica regna,
Nos Alanos, Vnnos, Francosque, Getasque domamus;
Quaeque sub aethereo latum sparguntur in orbem
Axe ferae gentes nostris famulantur in aulis:
Principe subque pio laeti, iam marte relicto,
Iussa ferunt, suauique iugo sua colla reflectunt.
Suscipe dicta citus, saluans gentesque tuosque.
Non uelut imbelles nostrae mandata salutis
Mittimus, aut fugimus pugnas, pacemque rogamus.
Captiuis, uobisque timet, uestraeque saluti
Prospiciens, miseris pietas, quae continet orbem.
Haec mihi magna iubet perituris parcere castris.
Propter captiuos ueniam donare licebit.
Quod si ferre meis audes contraria dictis;
Crastina bella para, cingens munimine fossas;
Funde pecus solitum; rapiendos construe muros;
Balantum compone greges, fetasque capellas,
Et toruis medios clamantes uultibus hircos.
Ariete non altas adducto spargere turres
Est opus: adductos potius nudabimus hostes;
Inter ouesque tuas aries praedabitur omnis,
Et prope direptos ponemus prandia muros.
Sculptilis ille, tuis cuius munimine castris
Prospera danda canunt, disperso robore, Gurzil
Scinditur, ardentesque palam mittetur ad ignes.
Gentibus effusis, campo quaeretur in illo,
Montibus et cunctis quotquot Maurusia gessit

Impietas. Scelus hoc cum iusto marte piabit
Nostra manus, calidos prosternens aequore truncos
Verticibus raptis. Discet, quod proelia possunt
Nostra magis, miseros ensis dum uendicat Afros,
Et peritura cadunt dispersis agmina fossis.
Vix ea fatus erat, missus montana tenebat,
Castra adversa tenens, media in tentoria transit
Indubius, sedemque feri petit inde tyranni.
Humida nox caelo fulgentia sidera reddit,
Palantesque polo stellas; nam cinthia cornu
Iam uacuo, obscurae nec praebens lumina terrae,
Aequore mersa fuit, mensis tenuauerat ignes.
Sed non castra ducum noctis sensere tenebras.
Lumina densa focis per campos clara relucent,
Perque altos montes splendet contermina tellus
Ignibus, et densae radiant in nubila siluae.
Quis caelum a terris illa discernere posset
Nocte, ferens, quae stella nitens, quae flamma fuisset?
Omnia lumen erat: flammis hinc terra coruscat,
Inde polus stellis. Quotiens scintilla cucurrit
Igne uolans, sidus uadens in nocte, putata est.
Quisquis ab auersis uidit tentoria campis
Istius, intremuit, crescentia sidera credens
Insolite esse polis. Errauit nauita campis
Aequoreis, nullisque modis cognoscere signa
Tunc ualuit, cursusque reflexa puppe negauit.
Peruigil insomnem miles Maurusque trahebat
Armatus noctem: discurrens undique, fossas
Circuit; attonita sonitus explorat et aure;
Cuncta cauens, ne quis fraudes tentaret in usu
Noctis, et in dubiis inferret proelia castris.
Discurrunt, uicibusque suis tentoria seruant,

Et uicibus placidum ferrati pectore somnum
Carpunt, inque sinus flectentes colla reponunt.
Hi clipeos, pharetras alii ceruicibus aptant
Sopppositas, hastasque tenent arcusque, sedentes
Ensibus innixi, uultus in pectore curuant.
Somnus et aduerso uix tangit lumina cornu,
Effugiens; iterumque caput iam iamque remittunt,
Nec releuare ualent, oculos clauduntque mouentque,
Sollicitoque, cadens, quassatur pectore uertex.
Dum uigilant, uariantque uices, cursuque laborant.
Cetera iam somnos castris secura iuuentus
Pectore carpebat placido. Tantum improba martis
Facta gerunt mentes; animos insomnia turbant
Sollicitos, uariasque ostendunt nocte figuras.
Miles ut in tenero laxauit membra sopore,
Rore nouo primus madidis mox irruit alis
Somnus; et effuso flauerunt pectora cornu:
Castra aliena rapit celsis de montibus absens.
Corpore dormit iners, animo tamen ille laborat:
Bella gerens, uincitque, trahens, aut uulnerat hostem;
Aut uitat clipeo uenientia uulnera cautus
Opposito. Nunc diuiditur sensuque manuque;
Nunc utrumque mouet. Siluis bellare uidetur
Ipse sibi; nam membra uacant languentia somno
Lumina saepe uident saeuum concurrere martem;
Lumina clausa uident certamen; et horridus ira;
Vultque mouere manus. Languescunt fessa sopore
Membra uirum. Quotiens excusso dextera ferro,
Dum putat aduersum, socium ferit improba pectus:
Et risere uiri, referentes proelia, somnum,
Nec non in mediis acies Maurusia siluis
Praescia iamque suis agitatur in inuia fatis.

Castra rapi uidet, et somnos iam proflat amaros.
Languet: direptosque potest nec flere camelos,
Nec uindex surgit; totis sed currere campis
Agmina fusa uidet, frustraque attollere dextram.
Ast alios sterni uariis per deuia fatis.
Currere quisque uolet; languescunt membra timore,
Et somni grauitate ruunt. Perterritat hostis
Cuncta ferus saeuum geminans in uiscera ferrum.
Dum manu utraque parat uiolenti uulneris ictus,
Coniugis excusso concussit uertice pectus.
Eripitur tunc illa magis; nam praedo superbus,
Crinibus abstractam, siluis rapiebat ab ipsis.
Sic sibi quisque uidens, quassantes pectora somnos,
Horrebant, diram referentes nocte quietem.
Terrentur uisis; gaudent sed, falsa fuisse.
Donauit miseris modicum sua gaudia tempus.

FLAVII CRESCONII CORIPPI
AFRICANI GRAMMATICI
IOHANNIDOS SEV DE BELLIS LIBYCIS
LIBER TERTIVS.

At ducis inuicti iactabant pectora curae;
Sollicitusque suis, nullum per membra soporem
Accipit; et dulci non claudens lumina somno
Peruigil in mediis disponit lumina castris.
Circumquaque duces uallantes agmine denso,
Consilium pariter summis de rebus habebant,
Tractatu uario, noctem sermone trahentes.
Gaudia militiae referunt, tristesque labores;
Quasque Latinus agit uincens exercitus orbem,
Nunc bene commissas referentes ordine pugnas,
Nunc male gesta nouo memorantes bella dolore.
Dum diuersa canunt, ductor sic ore locutus:
Qualis in aduentu fuerat tunc Africa nostro,
O socii; saeuis esset dum maxima regnis
Vltio missa Dei, tristem quae rite tyrannum
Vandalicumque genus centeno perderet anno!
Geilamir infandus quamuis uexauerat Afros,
Perdideratque nocens, magnus quo tempore ductor
Sub iuga Sidonias misit Belisarius arces
Principibus captum praesentans urbe tyrannum.
Quam celeri cursu summis tot bella peracta
Viribus, aut quae digna uirum fortuna secuta est!
Ibat in adductas densis exercitus umbras
Arboribus, rapidi nec solis torridus ardor

Militiae nocuit feruens aestate perusta.
Quamquam autumnus erat, phoebi candentis et axe
Tristia bella magis calida inferrentur arena;
Nec minus, et capto, facta iam pace, tyranno,
Laeta fuit. Plenam Libyam cultamque reliqui;
Inque statu proprio, me discedente, remansit,
Et melior; sum namque memor. Foecunda, redundans
Frugibus, et fructus lumen fundentis oliuae,
Et latices laeti turgens referebat iacchi.
Pax erat alta locis. Quae tanta insania belli?
Quis furor exarsit miseris insanus in aruis?
Quae mouet immerito quatiens bellona flagello
Innumeras gentes? uel quae succedit erinnys,
Et, phaëthonteos commiscens gentibus ignes,
Omnia sic mergit, ualida labente ruina?
Dic age, quisquis es, quaesiti temporis index?
Gentius egregius, respondens uoce magistro,
Isque magister, ait: Digno, uenerande, fauore,
Rector summe ducum, nutantis destina terrae,
Spes Libyae, nostrique fauor uirtusque triumphi,
Impia quae fuerit belli nascentis origo,
Nos latet, obstructis penitus contenta latebris.
Vester Caecilides illa de parte tribunus,
Si iussus coepti referat discrimina belli,
Cuncta docere potest; cuius quippe omnia nouit
In patria commissa sua, gentesque, locosque,
Auctoremque mali, prisci seu temporis iram.
Praecipitur placide libratis dicere uerbis.
Paruit ille celer, plena sic uoce locutus.
Nitor, summe ducum, causas narrare malorum,
Et iussis parere tuis. Dum dicere tento,
Flamma nocens surgit, gelidus praecordia sanguis

Turbat, et attentae uix prodit fabula linguae.
Praecipis ipse meos iterum me ferre labores,
Dum refero saeuum, quod pertulit Africa bellum.
Sed, quia celsa premunt dominantis iussa magistri,
Hinc procul esto, dolor: magno iam uinceris ausu.
Parendum est iussis, humili pauore sequendum.

Principio geminas iam senserat Africa pestes,
Nunc iterum geminas sentit miseranda ruinas.
Finibus in nostris orta est, quae creuit in orbe,
Impietas. Guenfan miseris est tristis origo,
Antala nascente fero. Nam tempore prisco
Pax erat in cunctis Libyae tutissima terris.
Gaudebat miseranda nouis ornata coronis
Africa: nectebant flauis gestamen aristis
Agricolae; solitoque rubens in palmite bacchus;
Paxque suam laetam fulgens ornabat oliuam.
Vsque ad terdenos Antalae floruit annos
Nascentis, nostrique potens pars maxima mundi
Claruit: ut toto praefulgens lucifer axe
Stellarum flammas, flamma meliore, reuincit.
Quae dedit in nostris proles Guenfeia terris,
Summe pater, capiti ipsorum generique reserva.
Paruulus ille feris mox contigit ubera labris,
Terribili monitu iam iam, flammante megaera,
Fama uolat, metuenda canens. Namque Ammonis ipse
Templa petit simulata pater: tunc prolis iniquae
Fata tenenda rogans, mactat de more profano
Horrida sacra Ioui. Tristes et Apollinis aras
Inde petens, Phoebi tripodas laurosque requirit.
Funditur horrendis sanguis moestissimus aris;
Omnigenumque pecus mactat uittata sacerdos,
Fata mouens. Raptis primum quae saeuit in extis,

Inspiciens (series latuit longissima) fibris ;
Duraque perpetuis imponit uiscera flammis.
Inde ferox rapitur, subito correpta furore,
Terribilis ; mersosque simul per uiscera cultros
Imprimit ipsa sibi : multus de corpore sanguis
Influit ; et crebro geminat cum uulnere ferrum.
Erigit alta comas : tunc flammea lumina torquet,
Subsiliens ; saltusque rotat, flexusque malignos.
Corporis apta sui rubor igneus inficit ora,
Numinis icta noto : ludunt ceruixque comaeque,
Inque humeros utrosque cadunt: praecordia raucis
Flatibus alta sonant ; miscentur murmura uocis
Tunc dubiae, plenumque agitant suspiria pectus.
Non aliter primos surgens Vulcanus ad ignes
Follibus obductis tumidos concurrere uentos
Arta mouet, flammasque ciens, eurosque sonantes
Spirat, inexhaustas renouans fornace procellas.
Tunc, male facta canens, dictis respondit iniquis :
Vandalicasque, Guenfan, pariter Libycasque ruinas
Fata trahunt; Maurisque iugum frenosque resoluunt.
Antala crescente tuo, furor omnis et ira
Horribili miserum turbabunt lampade mundum.
Flammea tisiphone tortis saeuire chelydris
Incipit ; erexitque rigentes uertice crines
Aëra per uacuum. Nigris infusa uenenis
Ora madent, foedant oculis linguisque trisulcis
Temperiem, diroque horrescunt tempora tabo.
Sanguine Vandalico uideo decurrere riuos
Montibus. En Libycas exurunt ignibus urbes !
En praedam exhaustis Afris rapiuntque recludunt!
Cur tantum, o superi, regnum turbare paratis ?
Omnia mista simul. Quid multum crescere Mauris?

En iterum pereunt! Quid iuuit tempore paruo
Virtute indomita partam meruisse ruinam?
Hic luet, hic perdet multas cum nomine gentes
Infans; et uario rapiuntur tempora fato.
Africa namque suum factorem fessa rogabit,
Quem colit ipsa Deum, quem fas cognoscere dignos.
Tunc orientis opes Romani maximus auctor
Nominis, heu! nostros mandat praesumptus in axes.
Classibus ecce suis totum conterritat orbem!
Iam puer indomitus subito pallore tremescit
Classis in aduentu, iuga iam supportat anhelus.
Pondera magna domant: ardet dirumpere uincla,
Indigna ceruice ferens; ruptisque catenis,
En iterum bellum reparat! Concursus ad illum
Ecce uenit, mundumque puer subuertere curat!
Quid iuuat hic nimium perituras surgere gentes
Orbis ab occasu? Quid tantum surgit in altum,
Vnde cadat rursus nostris praesumptus ab aruis?
En spoliis oneratus abit, tandemque reuersus,
Proluit, heu, nostro concretos sanguine, campos!
Talia dicentis uultus in terga retorsit,
Concussa ceruice, furor; subitoque, tremiscens,
Conticuit; uastoque ad terram pondere fluxit,
Et dubium murmur defessa per ossa cucurrit.
Sicubi lymphigeros deducit fistula tractus
Aere cauo, liquidus dum currens funditur amnis,
Rauca sonans; placitum si fluctus sistere ductus;
Obice contorto, patulum celer arte magister
Obstruit amnis iter: uertex truncatur aquarum;
Obicibus clausis, ad fontem refluit amnis,
Et reliquus fessa transcurrit riuulus unda.
Responsis sublata nouis, gaudetque, siletque;

Namque humilis gens illa fuit: tamen omnis in illum
Spesque metusque coit, sacrum seruantque fouentque;
Promissoque sibi fatorum munere gaudent.
Septimus et decimus nascentem senserat annus,
Cum puer infaustis admouit brachia furtis,
Cacus ut Herculeis cariturus luce lacertis,
Noctis itus metuendus init; raptumque retraxit
Ductorem patremque gregis, colloque leuauit
Obnixus, portansque furens, et pergit in antrum.
Strangulat inde premens, constricto gutture, pugno.
Corruit ante pedes aries prostratus, anheli
Laniferi spes una gregis. Tunc ense reclauso
Diripit astrictam magno cum pondere pellem:
Viscera nuda patent. Frustis conciditur altis
Omne pecus, uerubusque trementes conserit artus:
Vritur horrendum, flamma torrente, cadauer.
Ignibus in mediis semiustum sorbet anhelans,
Et trepidus, totumque fero consumpsit hiatu.
Tempore iam ex illo saeuis adolescere furtis
Incipit, obscurisque fauentes pascere praedis.
Contrahit inde uiros, secumque ad furta nefandus,
In mediis tacitos exhortans ire tenebris,
Arte docet; totumque trahit iam raptor ouile,
Iamque armenta bouum; celsisque ascendere praeda
Montibus, abstrusisque latebras quaerere saxis,
Et lare capta parat tuta subsidere ualle,
Vandalicasque latens audet tentare phalangas.
Quantos ille duces, quantos truncauerat hostes,
Obsidione premens, mediis in faucibus ense;
Barbaricasque trahens peruerso numine turmas,
Impius in latis prostrauit cuspide campis.
Iam tempus miseros fatis urguebat acerbis,

Regnaque centeno properans iam fregerat anno:
Tunc primum in nostris urbes succendere terris,
Et populare casas, et campis currere Frexes
Coeperat, infensasque ausus committere pugnas.
Inde mouens uires ualidas tunc Naufur anhelus,
Atque omni de plebe uiros tunc Naffuga anhelus
Vicina de parte premit. Hos linquere terras,
Et dulces terrore lares sors impia pulsat.
Feruet praedo ferox: nullis iam uita salutis
Certa locis. Acti fatis urguemur iniquis.
Tempore Vandalici perierunt gaudia regni
Nostra: semel uersos miseris tunc flere penates
Contigit, et tutas indignis quaerere terras.
Hildimer infaustis gessit tunc praelia signis,
Insuetus conferre manum: non uiribus illum
Vincere, nec tantis poterat concurrere signis.
Illius aduerso rumpuntur stamina fato
Montibus in mediis. Casus quid terret iniquus?
Saepe irata piis seruat fortuna nocentes.
Constiterant nam signa iugis siluisque superba.
Desuper ab scopulis acies uallauerat hostem;
Nec spes ulla fugae pressis, nec fidere turbae,
Nec uitam sperare fuit, nec sistere contra
Iam poterant: tantum scopulis tardatur iniquis
Illa manus. Ruptis tegitur gens impia saxis
Vallibus et scissis muratus cingitur hostis.
Siluarum in medio locus est nemorumque malignus,
Vndique praecisis munitus rupibus ingens.
Arduus ipse licet, summoque cacumine ductus,
Emineat; densisque teguntur saxa relictis:
Per iuga siderei pleno cum uertice campi
Funduntur. Via nulla patet: uix semita, tortis

Vndique fracta uiis, celsi fastigia campi
Sola capit. Densae clauduntur deuia siluae.
Hildimer ut septos uidit munimine fossas,
Atque in praecipiti, nullo iam tramite, pugnae
Stare locos, saeuum timuit tentare periclum.
Tunc, acies propriis densas consistere signis,
Ipse iubet, septos dubius quo tendat in hostes.
Omnia peruersis ueniunt contraria fatis.
Axe premens medium phoebus iam lampade caelum,
Feruidus omnis erat: siccis exarserat ardor
Faucibus, et nimius miseros commoverat aestus.
Forte sitis quosdam gelidas deduxit ad undas:
Post tergum rediere uiri, nam longius amnis
Tunc aberat. Plenos portabant fontibus utres.
Haud procul inde caua spectantes ualle ministri,
Primus ut, infaustas contingens Vandalus undas,
Laudauit cessasse sitim; tunc cetera cursu
Ad latices iam turba coit: sic fata trahebant,
Sic fortuna nocens damnauerat agmina leto.
Signifer ecce super mutandum accedere signum
Ausus, de summis reduces contorsit habenas
Montibus: hunc sequitur densis exercitus armis.
Inuia rupta patent, quaerunt dum prendere cautes,
Post tergum redeunt fugientes. Credidit hostis,
Et summo de monte fugit; perterruit omnes
Casus et ille duces: raptantur signa retrorsum,
Versa fuga: non campus erat, quo currere posset
Liber equus, laxisque leuis transiret habenis:
Per rupes, scopulosque metu, perque ardua montis
Saxa cadunt, seseque suo iam pondere mergunt.
Fata premunt; miseros currens et territat hostis.
Ardet et insequitur: cunctis de partibus ingens

Turba cadit, seseque suis per pectora telis
Transfodiunt. Alii ueniunt in tela cadentum
Praecipites: alios pondus ciuile repellit.
Sic pariter turbata ruunt de montibus altis
Agmina densa uirum: mixtis uectator et armis
Fortis equus, rapidi iactatus turbine cursus,
Concidit, et dominum uasto sub pondere frangit.
Ceu glaucam ueniens grando destringit oliuam,
Arboris excutiens concusso uertice fructus.
Tunc pariter praeceps ad terram pondere nimbi,
Et tener excutitur, quassatus grandine, ramus.
Non uirtus inimica uiros, sed fata premebant
Inuida, quae tantam properabant perdere gentem.
Hinc acies confracta redit, regemque trementem,
Annorum fessum numero, casumque pauentem,
Deiicit; et sceptrum saeuo dedit inde tyranno.
Tunc doluit princeps dirupto foedere regni.
Tunc Libyam solitis quaesiuit Roma triumphis.
Sed tamen in modico perierunt tempore cladis
Multa: satis dirum senserunt omnia bellum.
Namque inter geminas pressa est tunc Africa pestes.
Hinc feruens bellum, spolians premit inde tyrannus.
Subtrahit a miseris almae fortuna salutis
Praesidium; mortemque, alterno marte, minatur.
Quem fugiant? qua parte cadant? Praedantur ubique;
Terror ubique uiris. Saeuas sic tota per illas
Maxima terrarum est Libyae nudata rapinas:
Vt perit in dubiis puppes, heu! naufraga uentis.
Poenorum has pestes solito miseratus ademit
More pius princeps, Afris solatia fessis
Summa ferens; uictorque malum deiecit utrumque,
Sidonios patres titulis melioribus augens.

Vestra manus miseros mortis de faucibus Afros
Eripuit, fessisque iugum crudele retraxit.
Africa surrexit uestris erecta triumphis.
Gaudia post luctus terrae donastis amicae.
Dum premitis gentes, totum dum uincitis orbem;
Intremuere feri uestra uirtute subacti.
Maurorum tunc bella duces, tunc proelia quisque
Vestra pauens, alacer frenos et iura cucurrit
Principis ultro pati. Florens haec gaudia sensit,
Nostra decem tellus planos laxata per annos,
Et, quamuis fuerint, fato pellente, rebelles,
Ante magis cecidit, quam praedam tolleret, hostis.
Non mentis consensit inops tunc Africa bellum.
Te uigilante, pater, spectabit Leucada pugnas
Virtutemque tuam. Pinguescunt sanguine campi,
Ossibus albescunt, feriuntur uomere rapta
Ex humeris capita, et sparsi per gramina trunci.
Ense tuo, cunctis notum est, quid gesseris illo
Marte, fauente Deo. Tantis signare trophaeis
Quis potuit campos, et magno ornare decore?
Et Solomoniacos auxisti saepe triumphos.
Asper et ille semel bellum tentauit Iaudas;
Et tulit, ante tamen campos quam uidit apertos;
Et mediis tremuit Romanos currere siluis.
At sensit prorsus nostra de parte duellum.
Haec nobis, haec ira fuit; haec addita rebus
Cura nefanda piis: bellum ciuile reuixit.
Tunc Carthago foras, dirupto foedere, praedas
Sensit, et infandum, non aequo marte, periclum.
Stutias hinc celeri deuictus tempore cessit.
Hunc Membressa suis uidit concurrere campis,
Hunc eadem petiisse fugam; cum maximus hostes

Fudisset mediis uictor Belisarius armis.
Te quoque per medias uidit uictoria pugnas.
Fortis et irruptis truncabas agmina castris
Ense graui, similique uiros uirtute necabas,
Germano spargente ferum uictumque tyrannum.
Te cultor Vatari miro spectabat amore,
Te Autenti saeuos mactantem uiderat hostes.
Tunc facta est nostrae requies pinguissima terrae.
Non bellum, non praedo rapax, non miles auarus
Rustica tecta subit; tentatur nulla supellex.
Omnia plena bonis: Libyae pax tuta per orbem.
Tunc foecunda ceres, tunc laetus pampinus uuis,
Pictaque gemmiferis arbor splendebat oliuis.
Miles et in propriis laetatur sedibus insons.
Cultor in omni parte suas plantare nouellas
Coeperat; et, ductos iungens ad aratra iuuencos,
Arua serebat ouans, placidusque a monte canebat:
Ausus et ad lunam laetus cantare uiator.
Diues opum pax, pinguis erat mercator: ubique
Quisque canit; resonant securis carmina terris
Dulcia; moxque leuis gaudens hinc cantat arator,
Inde uiator ouans. Mulcebant ergo camoenae,
Et uariis hominum releuabant pectora curis.
Libertas iam plena fuit, sed tempore paruo.
Inuida sunt misero fatorum stamina mundo.
Cur lachesis hominum tenui pendentia filo
Fata tenens leuiter pellis? Iam rumpitur orbis;
Fortibus aut aeris referens ferrique catenis,
Cuncta mouens, terror premeret, non rumperet ira.
Iamque nouas melior reparauerat Africa uires,
Atque hominum uastare genus, mundumque labantem
Coeperat. His nostris ueniens feruebat in oris.

Numquam audita fuit mortis tam tristis imago,
Non orbis nouitate rudis, non tempore Pyrrhae.
Nam, miseros monstris conturbans, letifer annus
Miscuerat superis manes; seseque uidebant
Vulnera diuinis homines hausisse sagittis,
Tum uarias pestes una consurgere terra,
Aspectusque feros. Iam nullus terror acerbis
Mortibus; haud leto metuens sua lumina clausit,
Aetas siqua ruit. Lacrimis priuatur amaris
Humanum genus, et plangentia lumina non sunt;
Dum sibi quisque timet. Nullis tunc redditur ullum
Funeris obsequium, sonuit non luctus in urbe;
Non sponsus sponsam fleuit, non nupta maritum;
Nulla parens natum doluit, natiue parentem.
O male corda nouam nusquam plangentia mortem!
Iustitium meruit; sed nullis lumina tectis
Effundunt lacrimas: uilis mors omnibus illa.
Iam Libycis uacuae cessabant ciuibus urbes.
Rarus, et in multis domibus uix unus oberrans,
Diuitias longa quaerebat lite parentis.
Immeritus iam plenus opum, qui mille parentum
Heres erat: non notus auis patrimonia, fructus,
Argentum, uestesque simul, flauumque metallum
Abstulit; et tantis impleuit praedia rebus
Insaturus. Magnis cumulata est arca facellis:
Et tamen ardor opum numquam satiatur auaris.
Coniugiis caluere nouis, uiduasque potentes
Accipiunt: nullis uirgo quaesita maritis.
Coniugis ob nummos defuncti quaeritur uxor:
Virginibus dos parua datur, si tempore diro
Nulla maritales curauit reddere luctus.
Hinc fera cuncta patent, et tristes surgere lites

Incipiunt. Saeuit toto discordia mundo,
Iurgia saeua mouens. Pietas omnino recessit;
Iustitiam nullus, compuncta mente, secutus.
Inde est, quod miseris, ira dictante, flagella
Omnipotens genitor, dilato tempore nullo,
Addidit; et lites cunctis iratus adauxit.
Erigit a nostris nascentem finibus hostem.
Hic fratris mortem, concussa mente, dolebat;
Sed uirtus non ulla fuit, qua surgere posset.
Dum tamen occultum conseruant pectora bellum,
Militis innumeras, fatum miserabile! sensit
Non minuisse manus. Gentes non laesit amaras
Martis amica lues. Metuens tamen ille cauebat,
Ne mala praedatae caperet contagia terrae.
Ast, ubi pulsa lues, martis succedere feruor
Coepit, et infandas acies ad bella coëgit.
Misit ad extremas Libyae sitientis harenas,
Sole ubi tellurem nimio siccauerat olim,
Fulmine deiectus, Phaëton; populosque malignos
Edocuit, nostrasque impleuit cladibus oras.
Iamque ferae gentes Libycum funduntur in axem
Raptor, ubique furens, per nostras currere terras,
Et uastare casas, ignemque immittere tectis
Incipit, et flammis succendere feruidus urbes.
Vt Solomon uidit tantum consurgere bellum,
Romanas acies, cunctis de partibus actas,
Contrahit; aduersis properans concurrere fatis.
Illicet infausto mandatur pagina cursu:
Et ruit, ecce, uolans, aequo non marte coactus,
Maurorum ductor, miseri Solomonis amicus,
Romanis rebus nimium semperque fidelis,
Cusina Mastracianis secum uiribus ingens.

Qui Tripolis tunc ductor erat conuenit et audax
Pelagius; sed, gentiles durosque Mecales
Secum ad bella trahens, fessis non uiribus ibat.
In fratres fictos suscepit nescius artis.
Mens obscura manet; quotiens, fortuna, minaris.
Heu, Solomon miserande, tuis hos iungere castris
Debueras! Tractus uersis contraria fatis
Semper agit. Nullus poterit uitare, quod instat.
Vltima iamque dies nostras peruenerat oras.
Iam Libyam minitans properabat perdere fatum.
Congreditur mediis commiscens proelia siluis,
Impauidus, fidensque suis. Iam uicerat hostes;
Iamque acies aduersa fugax aduertere terga
Coeperat; atque metu feruens iamque ipse per hostes
Currit, et euersas sequitur per deuia turmas:
Cum subito dirupta fides. Fortuna retorsit
Vultus retro suos. Lachesis tunc stamina rupit,
Laesaque peruersas retulit uictoria palmas.
Inuenere suum tunc tristia fata ministrum.
Guntarich infelix nostrum conterruit agmen.
Funditus hic potuit Romanas uertere uires.
Non uictum fortuna, minax non presserat hostis,
Non metus acer agens; sed, uertens, mente maligna,
Signa, refert clamore fugam. Quem, uidit ut omnis
Versa cohors trepidum, sequitur; campisque magistrum
Deserit, in mediis miscentes proelia fossis.
Haec fors dura nouas tunc hostibus addidit iras,
Virtutemque simul, nostris letumque metumque;
Obscoenamque fugam turbat, quae perdere gentes
Marte solet. Sequitur densis iam fortior armis
Hostis acerba furens. Ipso impendente tumultu,
Occidit, heu! duris transfixo pectore telis

Immeritus Solomon. Tunc omnis uertitur ordo:
Martis more furens, nullus iam rebus amicus
Mansit; sed, praedam rapiens, per bella cucurrit
Omnis amica manus. Fleuit tunc tristis arator,
Disiunctos, fugiens, hostes rapuisse iuuencos.
Tunc omnes periere domus, tunc cuncta supellex;
Nec solus pauper casu concussus in illo
Succubuit, diues pariter cum paupere mersus.
Post Solomonis opes libertas facta rapinis;
Nec pars ulla fuit belli secura maligni.
Raptor, ubique furens, urbes succendit et agros;
Nec seges aut arbor, flagrans quae soluitur igne,
Sola perit: quae peste carent, armenta peredit.
Omnis et a dominis calcata est Africa Mauris.
Pro dolor! In campis acies iam sistere nulla,
Nec potuit clausos miles defendere muros.
Irascente Deo, traduntur cuncta rapinis.
Perfidus et Stutias iterum per bella cucurrit,
Antala dominante suo; meruitque tyrannus
Omnia sub domino praedans discurrere Mauro.

FLAVII CRESCONII CORIPPI

AFRICANI GRAMMATICI

IOHANNIDOS SEV DE BELLIS LIBYCIS

LIBER QVARTVS.

Dum placet infandi nomen memorare tyranni;
Surgit ab internis, conturbans ossa, medullis
Durior, ecce, dolor. Confusa mente retardor,
Tot clades memorare ducum, casusque meorum,
Atque meos. Miles trepidos, non fidus, adegit
Tradere signa malis. Longum est narrare ruinam:
Sed memorem certis bellorum crimina uerbis.
Dux erat obsessus seruator Himerius urbis,
Moenia clausa tuens, et celsas milite turres.
E mediis miseros traxit fallacia muris,
Et Mauris seruire dedit. Namque urbe sedenti
Blandior infausto mandatur epistola uersu,
Nomine scripta ducis; milesque Sinonius intrans,
Esse Iohannis, ait. Legimus mandata tyranni,
Credentes mandata ducis. Nos saepe per illam
Hortatur mediis, ceu dux, occurrere campis,
Et pariter sparsas Maurorum euertere fossas.
Attollunt animos confusa mente tribuni.
Signa mouenda damus. Tacita uelocius aura,
Egreditur dux ipse simul; noctisque per umbram
Currit eques sociis festinus iungere signa;
Seque putant tardasse uiri. Tunc ante cucurrit
Impius ille Sinon; gentesque dolosque parauit.
Extulit igniuagos gelidis ut moestus ab undis

Phoebus equos, patuere doli. Tunc signa tyranni
Vidimus, heu miseri! nostris occurrere signis,
Et totis rabidos campis feruescere Mauros.
Nos pauidum reuocare pedem. Nam sistere contra
Quis poterat? Sequitur pauidas per prata cateruas
Antalas Stutiasque furens. Via nulla salutis:
Et densus, trepidos urguens circumuolat hostis.
Mors erat ante oculos, et opem fors dura negabat.
O utinam medio iacuissent funera campo!
Dedecus indignum nostris procul esset ab armis.
Erectus medius, felici marte, Iohannes
Occurrit: fastus domini non pertulit hostis,
Sorte pari enses nec timuit captiuus heriles.
Ergo per extensos, fugiens, compellitur agros
Currere fortis equus. Crebro sonat ungula cornu,
Atque feris pauidos urget de montibus hostes.
Ardua castra gerit: campis Cebar addit apertis.
Huc miseranda manus frenos deflexit equorum.
Cum miseri tenuere Mileu castella tribuni,
Dux erat et medius; nec nobis claudere portas
Cura fuit. Tutamus equos, pugnaque pedestri
Cingimur, et telis uenientes pellimus hostes.
Irruerant gemini, turba coëunte, tyranni,
Languantanque cohors, et densis Naufur in armis.
Tunc Stutias, saeuum fingens compescere bellum,
In medias acies stricto uolat igneus ense.
Admonet arte feros campis desistere Mauros,
Et cohibet sumptas infandis uocibus iras.
Discessere locis. Stetit improbus aggere celso,
Ceu placidus, blandis nutantia pectora uerbis
Impellens ad bella: simul promittit et urget;
Hortaturque uiros uariis ad bella figuris.

Nunc minitans, nunc blandus adest: terrore subacti,
Proiiciunt sua tela uiri, genibusque tyranni
Accurrunt celeres, et amica uoce salutant.
Iudicibus iam nulla salus. Quid cuncta referre?
Oramus ueniam: datur illicet. Egimus hostes
Per uitam iurare suam: fecere coacti.
Finximus infandis ueluti seruire tyrannis:
Iustiniana polis saeuis tunc tradita Mauris,
Sorte sub ancipiti. Sociorum flectere mentes
Post licuit per uerba mihi. Marturius una
Consilio maturus erat. Compellimus ambo
Nutantes animos propriis se reddere signis.
Assensere uiri: castris sensere malignis
Paulatim tentare fugam. Me noctis amicae
Eripiunt trepidum, turba comitante, tenebrae;
Perueniensque meas uidi cum coniuge sedes.
Deserit infandos, fugiens, Marturius hostes.
Post sequitur miles. Voluit quicumque, remansit.
Iustiniana polis nocturnis panditur armis:
Proditione pia cuius profecit amicus.
Hic iuga non potuit saeui sufferre tyranni.
Signa tamen clausis seruabant publica muris.
Nec potuit quisquam, campo congressus aperto,
Hostilem tentare manum; nec cedere ductor
Iam uoluit socios, Stutia uiuente maligno.
Africa dum tantis urguetur fessa periclis,
Ariobindi fulserunt aequora proris.
Aduentu stupuere ducis. Gens territa cessit
Languantan terris. Vtinam non ille penates
Poenorum uidisset iners! Tunc Africa clades
Persensit grauiore malo, saeuasque rapinas
Inter utrumque ducem. Nescit commissa potestas

Aequales sufferre duos: consortis amicum
Secula nulla ferunt. Sic nos exempla priorum
Ipsa docent. Primi sequitur pes mota secundus
Crura pedis; ritum capitis sua membra sequuntur;
Et proprii generis fructum dant arbore rami.
Mundus adhuc rudis, et paruis mox laetus aristis,
Non potuit portare duos; non maxima rerum
Roma, nouos proprio quae sanxit sanguine muros.
Aemula diuiditur, confusa mente, uoluntas;
Despiciensque parem, discors permansit uterque.
Diuiditur geminas inter res publica partes:
Quisque suos tenuere duces; dumque ille superbus
Se primum esse putat, non se tamen iste secundum.

Africa barbaricis planxit nudata rapinis,
Ductorum iussu, merito fortisque Iohannis.
Temptauere feros, aequis non partibus, hostes;
Sed uicti petiere fugam. Discordia mentis
Vicit amore uiros. Rursus dux ipse Iohannes,
Signa mouens, densos iuit moriturus in hostes,
Confisus uirtute sua, fortesque tribunos
Secum ad bella trahens, tantis concurrere monstris
Non timuit. Durae contempsit uulnera mortis
Pro patria contentus amor. Persensit ut, hostis
Aduentum properare feri: non segnior ille
(Sponte petit mortem) campis sua signa locauit,
Et sociis sic fretus ait: Contempnere uitam
Pro patria, haec est uita magis. Mors lege tonantis
Humano lata est generi, nec praeterit ullum;
Nam ueniet quocumque modo: sed mortis honestae
Summus honor, summusque fauor, dulcisque cupido est
Hostis adest, socii. Quotiens fugiemus amicum
Martis opus? Quotiens fugitiuos rideat hostis,

Inbellesque putet? Nunc est temptare quid instar,
Nunc uirtutis opus. Semper mihi cognita uirtus
Vestra, uiri, semperque fides. Consurgite, ciues
Romani, pro laude pii; gentesque superbas
Frangite. Iam tantum ducibus remouete pudorem.
Fac nos uelle fugam. Fugitiuos conterit hostis
Feminea nunc morte uiros. Conuertite mentes;
Et procul a nostris discedat dedecus umbris.
O utinam ferus ille meis occurreret armis
Nunc Stutias, ipsumque mihi fortuna dedisset!
Aut semel alterno patuissent pectora ferro,
Et raperet fors saeua duos; aut corpus arundo
Vulnere letali fixisset saeua tyranni;
Vel mecum pariter, si sic mea fata minantur,
Crimine ciuilis careat res publica belli.
Dum mouet ille uiros, inimicis improba signis
Ecce acies Massyla ruit; ripisque propinqui
Fluminis, arte doli, longo stetit ordine compta.
Tunc primum uolucres pugnam mouere sagittae.
Impia pennato figuntur corpora ferro.
Trans fluuium cedens acies inimica retrorsum,
Flexit equos; sequitur densis et flumina telis.
Prorumpit leuitate sua. Non ille periclum,
Non mortem metuens, iter inremeabile transit,
Inuaditque uiros. Veluti uastator acerbus,
Diripiens armenta, leo, taurosque feroces,
Hunc fugat, hunc mactat. Currit dispersus ubique
Grex pauitans, pastorque fugax. Furit ille cruentis
Dentibus, et latos frangit manditque per agros.
Massylas acies sic dux uirtute Iohannes
Turbabat, mediis prosternens funera campis:
Hunc imitata cohors ingens fugitiua perurguet

Agmina transfodiens: uolat igneus aequore toto
Cum sociis dux ipse furens, Maurosque fugaces
Persequitur, ceu uictor ouans. Iam sanguine multo
Arma calent: rubrum gestat iam dextera ferrum
Pugnax militis atque ducis. Pro sortis iniquae
Triste nefas! O grande malum! Iam cesserat hostis
Victus; et aduersas passim per prata cateruas
Sternebat Romanus eques, uictorque necabat:
Cum subito Stutias mediis e uallibus atrox,
Signa mouens inimica, ruit; crimenque Latini
Nominis, Hermogenes pariter, Taurusque feruntur.
Hos sequitur Romana manus, non nostra, rebelles.
Tunc iterum miseris pariter concurrere telis,
Et bellum ciuile datum est. Cognata petuntur
Pectora: cognatis funduntur uiscera dextris.
Magnanimus Stutiae cognouit signa Iohannes
Primus, et inflexo contra stetit acrior arcu;
Ac socii petiere fugam faciemque furentis
Nec potuere pati. Neruo tamen ille sagittam
Imposuit, ductamque sua grauitate remisit;
Perque femur duri transiuit arundo tyranni
Confringens os pulsa feri, mollesque medullas
Contigit, et mersae rubuerunt sanguine pinnae.
Emicat inde cruor, uestesque aspergit heriles.
Saucius at Stutias letali uulnere uictus
Flexit equum post terga fugax. Hunc morte cadentem
Suscipiunt socii, densaque sub arbore ponunt.
Respiciens uictor socios, per prata fugaces
Vidit; et immensus duris dolor ossibus arsit.
Tunc tristis, casumque dolens, est uoce secutus:
Quem fugitis, socii? Vestra est uictoria ciues.
Iam Stutias, nostra confixus arundine, bellum

Deseruit, prostratus humi. Conuertite signa.
Quo ruitis? Quo uos fatum miserabile ducit?
Heu, uirtus Romana peris! Sic uocibus ille
Culpabat pauidas fatorum sorte cateruas.
Sed nullus post terga redit. Maurusia uirtus
Persequitur, trepidosque super tot milia currunt.
Alueus amnis erat mediis praeruptus in aruis,
Vtraque cognatae dirimens confinia terrae.
Incidit hic fugitiua manus, mortisque pauore
Per ripas fossasque cadit. Miserabile letum
Nascitur. Heu, miseros pondus ciuile perurguet,
Hostilisque metus! Multos in tela cadentum
Impetus ipse dedit: propriis modo pectora contis
Transfodiunt; dominumque super, crepitante ruina,
Fortis equus ueniens immani pondere frangit.
Sic periit miseranda manus, uictique tribuni.
Dux simul e mediis postquam Marturius illis
Vix potuit tentare fugam moriturus in hostes
Cum parua ruit ille manu. Fortuna salutem
Praestitit audenti, duraque e morte leuauit.
Interea Stutias, anima fugiente, dolebat.
Poenituit bellasse ferum, suspiria ducit
Cum gemitu; seseque, dolens, sic increpat ipse:
Quae mihi bellandi fueras tam dira uoluptas?
Cur rerum ingratus domino, numquamque fidelis?
Infelix uirtute mea! Modo poenitet ista,
Dum miserum, mors saeua, trahis. Reddam, improba, poenas,
Quas merui. Furiis socius Catilina cruentis
Exagitatus adest. Video iam tartara fundo;
Flammarumque globos, et dira incendia uolui.
Perfidiae meritum, cum durae crimine mortis,
Hoc mihi bella ferunt. Doleant caueantque Latini

Has poenas, rebusque fidem dominisque reseruent.
Dixit: et infelicem animam mors impia clausit.
Occidit ut Stutias; quamquam ducis esset acerbus
Morte dolor populo, Romanis crescere uirtus
Coeperat, et campos acies iam nostra petebat.
Guntarich en iterum peruersa mente malignus,
Perfidus, infelix, atrox, insulsus, adulter,
Praedo, homicida, rapax, bellorum pessimus auctor,
Ductorem incautum crudelibus occupat armis,
Obpressumque dolo rapuit, iuransque fefellit.
Principis haud illum tanti reuerentia mouit;
Sumere nec timuit bellum, nomenque tyranni.
Quas Tyrii clades, quae saeua pericula passi!
Sub gladio iacuere graui, sed tempore paruo;
Nam breuiata dies infanda et pessima regni est.
Nam pater ille bonus summis Athanasius Afros
Consiliis media rapuit de caede maligni.
Hic potuit Libyam Romanis reddere fastis
Solus, et infestum leto clamare tyrannum.
Armenius tanti fuerat tunc ille minister
Consilii. Hunc placidus cana grauitate coëgit,
Immitem mactare uirum. Tentare periclis
Non timuit genitor pro libertate senili.
Guntarich infelix, cupiens fera regna tenere,
Armenios enses saeua inter pocula sensit,
Et male consessas maculauit sanguine mensas.
Africa, per tantas periens, non ulta, rapinas,
Sic mersa est. Te expectat inops. Succurre gementi,
Namque potes, uirtusque tibi iam nota per orbem est;
Et uigilant sensus, et claris dextera factis.
Talia commemorans, referebat bella tribunus,
Lumina conturbans lacrimis; Libycasque ruinas

Fataque cuncta ducum luctu deflebat amaro.
Ingemuit ductor, concussa mente, benignus.
Congemuere duces: animis in proelia surgunt
Indomitis. Dolor atque pudor fera corda fatigat.
Tunc maculis tinxere genas: pallentque, rubentque;
Nec latet ore furor. Cunctantem surgere lucem
Iam cupiunt, tardumque iubar noctemque requirunt.
Caerula sulcabat, dirumpens luce corusca,
Phoebus; et, errantes radios per nubila uibrans,
Lumina sub tremulis spargebat lampadis undis:
Surgebatque dies miseris gratissimus Afris.
Iamque duces, uariis turbantes uocibus agmen,
Vrguebant fortesque uiros, clarosque tribunos.
Quisque suos hortatur agens: his castra mouere,
Arma parare iubent, iussum spectare magistri.
Signa ferunt ornantque uiri, gaudentque tuentes
Prospera discussis ludentia flamina uelis.
At pater exurgens, compuncta mente, Iohannes,
Corde pio, genibus nixis, et poplite flexo,
Suppliciter geminas tendens cum lumine palmas,
Ore canens haec uerba refert: Tibi gloria, Christe,
Summe parens hominum, linguis et pectore puro
Rite datur, laudesque libens gratesque resoluo.
Non alium laudare uolo. Tu, conditor orbis,
Tu gentes et bella domas, tu conteris arma
Impia; tu, nostris solitus succurrere rebus,
Aspice succensas duris a gentibus urbes,
Omnipotens, agrosque uide. Iam nullus arator
Arua colit: lacrimas nullus per templa sacerdos
Cum populo iam ferre potest; nam noctibus omnes
Vincula dura ferunt, palmis post terga reuincti.
Aspice, sancte pater; nec iam tua flamina cessent.

Sub nostris pedibus Maurorum sterne cateruas:
Eripe captiuos saeuis a gentibus Afros;
Romanosque tuos solite miseratus alumnos
Cerne pius, nostrisque fauens, fac gaudia luctus.
Haec memorans lacrimis siccas infundit arenas:
Quippe dolor pietasque mouent, mentesque benignas
Conturbant, densisque agitant singultibus artus.
Vt bene complacitis consummans omnia uerbis
Conticuit: tunc surgit ouans; riuosque fluentes
Luminibus tergens, placidis iam uultibus heros
Respicit, armatasque iubet properare cohortes.
Ipse capit tumulum; quo, summus et altior astans,
Consilio cunctos releuaret more ministros.
Conueniunt lectique duces, fortesque tribuni;
Atque, suo ueniens condenso ex agmine, miles.
Vndique ductorem uallant, stipante caterua.
Non aliter quam examen apes per mutua nexis
Efficiunt pedibus, regem dum saepe secuntur.
Arboris aut apicem ductor, summumque cacumen,
Aut mediam tenuit contentis frondibus ornum.
Ipse sedet, primusque locum stridore uerendus
Eligit; ac circum densis exercitus alis
Colligitur, regisque sui praecepta capessunt.
Armiger interea, ueniens de montibus altis,
Ecce uolat; densasque uidens astare cateruas,
Et celso medium fulgentem colle magistrum,
Alipedis celeris dextra contorsit habenas;
Ductoremque petens, uolucres per gramina cursus
Corripuit; densum et dirumpens concitus agmen,
Flexit equo, pedibusque boni tunc more magistri
Oscula pressa dedit feruens. Iamque omnis in illum
Turba coit, causas cupiens cognoscere rerum,

Responsumque feri referentem audire tyranni;
Et metuunt, ne pacem oret. Cum dicere iussus,
Paruit, et placido sic coepit Amantius ore:
Omnia, quae dominus famulo praecepit, adimplens,
Gentibus in mediis, portans mandata, cucurri;
Peruieniensque, ferum uidi sub rupe tyrannum
Montibus in summis. Tunc euocat ille rebelles,
Aere ciens: cursu rapido Maurusia turba
Confluit, et nigrae facies tentoria complent.
Vt quondam ditem moturum proelia diuis
Concilium fecisse ferunt, et mille per amplas
Monstra uenisse uias, hydram, tristemque Megaeram,
Ac Charonta senem deserta currere cymba,
Tisiphonem ualidam flammis et pondere pinum
Quassantem, Alecto tortis saeuisse chelydris,
Quaeque sub ingenti facies monstrantur auerno.
Vtque ducem ueniens densum circumstetit agmen,
Obtulit ipse sedens consessum ex agmine dignis.
Ille tamen medius sedit praefectus; et omnis
Aspiciens rapido tumidus sic intonat ore:
Legatos, proceres, dura et mandata Iohannis
Suspiciens, uos nosse uolo, cunctisque loquentem
Mandatum monstrare uirum. Vos auribus illum
Intentis audite palam; et decernite, si quid
Est animo fixum, pacem bellone petamus?
Permisere loqui, digitisque silentia linguis
Imposuere suis. Docui praecepta iubentis
Principis, et morem: pietas ut magna regentis
Omnia contineat, crebro sermone cucurri:
Virtutem indomitam mista bonitate refoui:
Saepe minas addens, Romanos parcere, dixi,
Sed tamen et gentes semper fregisse superbas

Funditus, et ualidos bello periisse tyrannos;
Enumerans, quos Roma potens, postque ipse subegit
Noster ab extremo temptantes praelia mundo
Princeps, asserui: bellum pacemue recurrens
Edocui; tandemque silens, responsa petiui.
Illi inter sese, fracto sermone, furentes
Latratus uarios, stridentibus horrida linguis
Verba ferunt, seseque nouo terrore reuincunt.
Monte lupi medio ueluti, cum nubila latis
Incumbunt terris, ululatibus aëra crebris
Pulsant, perque cauas resonant latratibus umbras.
Vt requies facta est animis, tunc ille superbus
Talia uerba mihi dictis respondit acerbis:
Ista mihi satis est Romani cognita regni
Nuper rupta fides; ultra nec fallere quisquam
Antalan se posse putet. Iam sufficit istud
Armenio, necuisse semel, quos fingit amicos,
Arte noua. Non uester eram? Non saepe cucurri?
Non iussus merui? Cautus non proelia gessi
Pro ducibus, Romane, tuis? Res publica certe
Fida satis! Sanguisque tuus, germane, fatetur,
Guarizila, ducis iussu qui fusus iniqui est.
Armeniique tui docuit mihi reddita merces,
Frangere quod, nisus nostra uirtute, tyrannum
Guntarich hic potuit. Paci sic fidus amicae,
Sic meritis, uestris quod faui saepe triumphis,
Haec ego digna tuli; uobis quia bella peregi.
Haeccine uestra fides? Tales referuntur amici?
Artabanum modo grata mihi fortuna dedisset.
Sorte noua fortis pariter cum noster Ilaguas
Castra regit, gentesque fere de finibus austri:
Quas tamen ecce parat ductor tentare Iohannes

Milite cum paruo; pacem qui quaerere nostram
Non humili cum iure putat, sed callidus arte,
Poscere quos decuit, uanis terroribus artat.
Tot mihi post meritos, subiecto marte, triumphos,
Dextera quos tribuit ducibus uirtute peremptis;
Post Solomona ferum, Primi post fata Iohannis:
Antalan cuiquam bello tentare licebit?
Terreat ergo lupum, pascens in uallibus, agnus;
Et leo iam metuat surgentem in cornua ceruum:
Viuidus ore canis leporem, damamque pauescat;
Et ferus accipiter mitem sub nube columbam:
Armiger ipse iouis, liquida tremefactus in aethra,
Effugiat raucamue gruem, cygnumue canentem;
Omnis et inuersis pereat natura figuris.
Romanis totiens iterum concurrere uictis
Ecce placet. Rursus redeant, et proelia temptent.
Vix ea legatus: media inter uerba cucurrit
Perque duces uarium, perque agmina feruida, murmur.
Turbine ceu ualido, prima surgente procella,
Aequora pulsa gemunt ruptis crepitantia ripis:
Congeminat tunc unda sonos, et litora lapsu
Cuncta fremunt, crebroque resultant aspera fluctu.
Imperat erecta mutaque silentia dextra
Ductor. Conticuere citi, intentique magistrum
Suspexere uiri. Facies tunc omnis in illum,
Mensque coit; cupidique uolunt audire iubentis
Consilium: apponunt sensus auresque loquelis.
Hortatur placida rector tunc uoce cohortes
Attonitas; auidasque mouens in proelia mentes,
Talibus incendit dictis, et firmat in hostes:
Romanis, socii, creuit sic gloria rebus;
Resque simul totum regnauit publica mundum.

Dum gentes, dum bella domat; non arma ferentes
Romanus timuit populos, aut agmina miles
Quanta forent, metuens, conuertit terga retrorsum.
Fidus quippe suis, et multo peruigil astu,
Et uirtute potens martis sufferre labores.
Sed quotiens dirupta fides, nec principis ullus
Vicit honor mentes iam sese ad bella parantes;
Dum raptus, dum praeda placet, dum praemia miles
Martia mente cupit, nostris contraria signis:
Tunc Romana manus, propriis conterrita dextris,
Terga dedit, gentesque feras uicisse putauit.
Non tamen his longos tenuit fortuna labores,
Perfida, sed se laeta ferens, meliorque reuisit.
Diligit illa suam fatorum numine Romam.
Hanc propter, multos perdens omnino nocentes
Contriuit, rebusque dedit sua gaudia nostris.
Profuit insano nomen quid ferre tyranni
Guntarich, Armenia iacuit qui ex caede uolutus?
Nonue epulas inter uel festae pocula mensae
Exoluit meritas pro fracto foedere poenas?
Quid Stutiam referam profugum, tot partibus orbis
Errantem, dum multa cupit, dum uana requirit,
Nomen habere uolens, iniusto marte, tyranni?
Quas Libyae clades, quos gentibus ille furores
Addidit! Aut quanto maculauit sanguine ferrum!
Tardius ille licet, digna sed morte peremtus
Occubuit; crimenque simul, poenasque resumpsit.
Cernitis ergo, uiri, quantum fortuna laboret,
Principibus seruare fidem; quantumque, secundo
Marte, gerat totum Romanis subdere mundum.
Ergo agite, et, belli socii, ciuesque fideles,
Pandite quisque suas in aperta pericula uires,

Romano de more pii; gentesque malignas
Rumpite. Cognoscant populi regesque subacti,
Quae rebus uirtus, et quae sit gloria in armis.
Cernite sub quantis iactant nunc signa periclis;
Et uigilate, uiri. Mediis tentoria Mauris
Vallantur. Virtute salus gladioque petenda est.
Coniuncti lateri nostro, quos credis amicos,
Pacatosque putas, casu speculantur in isto.
Si uictor Romanus erit, famulantur, adorant;
Et sola hos faciet uictrix fortuna fideles;
Conceptusque timor. Nunc nunc insurgite, ciues;
Haec est, quae geminas franget uictoria partes.
Hi gladio pereant; hos uirtus terreat hostes.
Ite, duces; numerosque locis componite uestris
Quisque suos. Propriis incedant signa maniplis;
Et bene compositas acies in proelia ferte.
Dixerat, et saltu sese super ardua terga
Composuit sublatus equi. Sonuere uerendi
Arma uiri: cassisque nouo splendore coruscans,
Sole repercusso, radios in lumina misit;
Loricaeque iubar rutilum per castra cucurrit.
Non aliter nubes conuexo margine caeli,
Murmure mota nouo, medium dum tangit olympum,
Intonat, et subito flammas per nubila uibrat.
Tunc omnes siluere duces, omnesque tribuni.
Post imitata cohors ualidis incumbit in hastis,
Quadrupedesque premit. Saliens pars ardua celsi
Colla retentat equi. Sonipes celer aequore toto
Oppugnat frenis, dextra laeuaque per herbas
Subsiliens; colloque manus dum sentit heriles,
Gaudet, et in latos laetatur currere campos.
Direxere acies. Dextro regit agmina cornu

Gentius electis circumdans signa maniplis.
Ipse magister ouans, rutilato uertice fulgens,
Fertur equo; cristisque decens, auroque coruscus,
Per medias uolitans, succendit proelia, turmas,
Componitque acies, digna fortissimus arte.
Magnanimus iuxta iuuenum Putzintulus ingens
Arma mouet, densasque trahit post signa cohortes.
Belliger ipse supercristata casside celsus,
Loricaque micans, et longa pulcrior hasta
Arduus ibat equo, sociosque ex more monebat
Voce suos, superans; quoniam sapientia forti
Pectore semper erat. Felix, si fata dedissent
Longaeuos in luce dies: maturus ut ille,
Cana aetate foret quantum maturior, esset!
Tertius ille furens rapta Gregorius hasta,
Atque leui clipeo, telo fulgebat Ibero.
Geisirich hunc iuxta numeros et signa mouebat
Ante tubam cupiens aduersas rumpere fossas,
Conscius ipse sui. Cunctis fulgentibus armis
Ardua tela gerit. Ferrato corpore toto
Ipse nitet: squamas maculis distinguit in auro.
Aurea cassis inest, commisto flammea ferro.
Inde apicem cristasque iuba componit equina;
Cingula gemmiferis stringit fulgentia bullis:
Vagina gladius latus exornarat eburna.
Tunc suris ocreas, multo quas uinxerat auro
Parthica pellis, habet, rubroque includit in ostro,
Depingens gemmis, et multa callidus arte.
Omnia signa placent, meliorque et maxima uirtus.
Inde, per extensos componens agmina campos,
Consiliis melior, fortis Marturius ibat,
Atque tribunitia socios uirtute regebat;

Martianusque potens densos perfertur in hostes,
Misturus proprio Barcaei sanguinis amnem;
Nec non egregius clara de stirpe Senatór
Fertur equo, comptisque nitet felicior armis.
Hos sequitur fidus, densa stipante caterua,
Cusina Massylis deducens agmina signis.
Ille animo Romanus erat, nec sanguine longe,
Moribus ornatus placidis, grauitate Latina.
Non illum aequiperans iaculis aut uiribus esset
Vel Veneri dilectus Adon, uel fortis Achilles.
At parte ex alia, cornu fulgente sinistro,
Nomine ductoris, ductor fuit ille Iohannes,
Iam senior, grandisque annis; cui cruda senectus,
Et uirtus iuuenilis erat; quam maximus hostis
Frangere non minimo potuit sudore laborans.
Discolor hunc portat maculis uariatus in albis
Parte niger sonipes, gemmis auroque superbus,
Ore fremens; camposque leuis discurrit in omnes.
Ferreus ipse suas componens ordine turmas,
Itque reditque uolans, socios et firmat euntes.
Fronimuth erectis iuxta mouet agmina signis
Impiger, et campis socians coniungit apertis.
Ipse licet medius, cristis et casside fulgens,
Emineat, ferrique nouo splendore coruscans,
Altior aduersi radios et lumina phoebi
Suscipiens, frangat de se: tamen undique septum
Circueunt acies, clipeis galeisque micantes.
Proximus inde, ciens numeros, Marcentius urguet:
Iussaque per latos discurrunt agmina campos.
Illius et fuluos cassis premit aurea crines
Ingens, cristisque grauis; thoraxque tremendos
Suspendens humeros squamis fulgentibus ambit,

Dum sonipes gradibus componit crura superbis.
Lumbis tela gerit pharetramque arcumque sonantem
Cinctus, et auratas referens in bella sagittas;
Signaque terrificis munit uallata tribunis.
Hinc Liberatus erat longa praestantior hasta.
Hinc Vlitan pulcher uariis depictus in armis:
Hic melior pilo, curuo nec segnior arcu.
Flectere cornipedem placidis bene doctus habenis,
Ibat Ifisdaias gentis praefectus, et auctor;
Quem fera gens sequitur, nato comitante Bitipten.
Gens numerosa uiris, et gentis uiuida uirtus:
Ingenioque ualens fuerat dux ipse fidelis,
Militiae ducibusque placens, magnoque magistro.
Natus et eximius sumptis praesumptior armis,
Nec genitore minor, iaculis qui uincere posset
Persarum teneras neruo pellente, sagittas.
Commissas acies dux Tarasis ante pedestres,
Ardua signa mouens, uariis componit in armis.
Ipse per obliquas distinguit proelia turmas,
Vectus equo clipeosque suis coniungere dictat.
Tenditur in longum, nexis umbonibus, horrens
Martia per latos acies densissima campos.
Murorum in morem celantur corpora densis
Tegminibus. Solae apparent post scuta bipennes,
Et summae galeae cristis conisque micantes;
At super erectis horrescit ferreus hastis
Campus, resplendetque nouis terroribus aër.
Sic pater ipse, suae componens cornua pugnae
Armipotens medius componit signa Iohannes;
Ordine cuncta regens, aequansque per agmina turmas,
Et bene quis medius, totis pugnaret ut armis;
In manibusque suis fortis dictator ut esset,

Arma mouens. Populi ueluti uigilanter oberrant
Cauta, reluctantis media inter cornua tauri,
Lumina; bellantemque parant qua uulneret hostem
Parte, premens, dextroque rotat, laeuoque minatur,
Vulnera congeminans uariato uerbere cornu;
Quaque iubent oculi, configunt cornua uulnus.
Sic acies ductor, perpensis partibus aequis,
Bella subire iubet. Sic disponuntur et arte
Organa plectra lyrae, digitis pulsanda magistri.
Quam mouet ille, sonat contactu fistula uento.
Non cordae, non aera gemunt; ni sponte regentis
Carmina percussis resonent expressa cicutis.
Non aliter iussu ductoris cuncta mouetur
Discretis acies concurrens ordine signis.
Iunctus erat lateri clarus Recinarius, armis
Fulgens, et paribus disponens agmina curis.
Ipse, animo matura gerens, grauitate modestus,
Magnanimus, mitis, sapiens, fortissimus, insons,
Armipotens, belli domitor, pacisque minister,
Corde humilis, quod Christus amat, pietate benignus,
Et qui dignus erat tali propiare magistro;
Corpore nam geminos animâ iunxere sub una,
Non natura parens, summi sed signa fauoris,
Castus amor, pietas, bonitas, sapientia, uirtus.
Ergo inter medias acies praeclarus et armis
Ibat equo, et placido socios sermone mouebat.
Ipso disposito, felicia signa regentem,
Forsitan intuita est acies inimica Iohannem.
Bellorum at princeps nocturno tempore Ierna,
Sollicitus curis, muros per castra camelis
Construit, octono circumdans ordine campum.
Inde boues iungit, bis terno cornua gyro

Cornibus arte ligans; et multo callidus astu
Implicitas errore parat per deuia fraudes;
Notus et inde uolans currit per proelia Maurus,
Ignarumque premit subeuntis castra per ipsas
Insidiae formas infensi militis agmen.
Non labyrintheis Minoia cura latebris
Flexerat ancipites tantis anfractibus orbes,
Distorquens errore uias; quas, callidus arte,
Inuenit, tento reuocans uestigia filo
Aegides, monitus. Pectus tunc ipse biforme
Ense ferit: misti generis uomit ille cruorem,
Et ruit obscurae confringens cornua terrae.
Tertia constructi formans munimina ualli
Circumdat; spargitque pecus, uincitque, minutum,
Impediens: medios densis astringit asellis
Arte locos; finesque, ligans, extendit iniquos:
Et tribulos per castra locat, furcasque bicornes;
Exacuitque sudes, et magnas obice cautes.
Antalas pariter pugnas determinat arte,
Egrediturque suis uallatus cornibus: ardet
In medium, confisus equo; pugnaeque pedestri
Composuit solido iunctas umbone phalanges:
Sed propius tenuit munitis agmina castris,
Nec pedites uoluit tristes committere pugnas;
Longius expertus totiens, quid terror in armis,
Et uirtus Romana potest. Tamen ordine certo
Processit geminis acies Maurusia signis.
Ante uolans sonipes totos concurrit in agros;
Languantanque leuis, campos collesque propinquos,
Atque cauas ualles, siluasque et flumina complens,
It, Ierna comitante fero, Brutenque superbo.
Ille secundus erat; Camalus quos deinde secutus

Ardet in aduersos multis cum milibus hostes.
Hisdreasen, Ialdasque ferox, et Suietira feruens:
Quosque referre parans, comprendere nomina nullus
Mente potest, saeuasque uolens tot dicere gentes.
His medius, fomes belli rectorque, Sidisan
Acer erat; dextrosque equites, et signa regebat.
At socius laeuo Carcasan agmina cornu
Condensas acies campos effundit in omnes,
Ifuraces in bella mouens; pariterque Melangus.
Signa regit Gantal, Guentanque, Alacanza, Iutungun
Dirus, et Autiliten uelox, fortisque Catubar,
Et quos mille duces misere in proelia Syrtes.
Iamque propinquabant aduersis hostibus hostes,
Signaque. Compositis arcus uolucresque sagittas
Depromunt pharetris, et ferrum missile uibrant.
Finierat spatium uacui pars obuia campi,
Accessumque uiris acies aliena negabat;
Inque suis, obstans, uenientes fecerat hostes
Stare locis, pressisque haeserunt agmina frenis.
Prospiciens acies, uidit Guenfeius hostis
Ductorem, Antalas media inter signa Iohannem;
Dignouitque procul celsa per tela suorum.
Egrediens, tunc fertur equo, magnique magistri
Transiit ante oculos, domini post terga reflectens
Cornipedem frenis. Hosti tamen obuius iuit,
Congressus uacuis ductor fortissimus armis.
Arripit ille fugam, quem dux sic uoce secutus:
Quo fugis Antalas? Haec sunt minitantia uerba?
Milite cum paruo ueniens, uocat ecce Iohannes!
Quo uelox deflectis iter? Modo iudicet ille,
Qui caelum terramque mouet, qui fulmina torquet.
Talia narrantis, seseque in bella uocantis

Erubuit, moerensque suis se immiscuit armis.
Cum magica subito taurus demittitur arte
Maurorum e medio: taurus, quem Ierna sacerdos,
Atque idem gentis rectorum maximus auctor
Finxerat, Ammonii signantem numine Gurzil
Omina prima suis. Celsis tunc cornibus ille
Inter utrosque furit, dubius, qua rumperet hostes.
Agmina dum trepidant, cursus per Syrtica rupit
Ingrediens iterumque ferox sua castra poposcit.
Hunc sequitur Romanus eques, tremulumque sub armo
Missile contorquens, mediis prostrauit arenis.
Proelia raucisono cecinerunt cornua cantu.
Tollitur inde nouus fractis ad sidera clamor
Vocibus, et magnis ululatibus ardet erinnys.
Concrepat omne nemus: tunc omnis consonat echo
Gentibus, et uarias imitatur reddere linguas.
Hinc, Sinifere, uocans, acies Maurusia clamat,
Mastimanque ferum: Mastiman assonat echo.
Inde ferunt, Gurzil: Gurzil, caua saxa resultant.
Hinc Romana manus, conturbans uocibus aethram,
Intonat, et quassis resonant montana pharetris.
Vox ueneranda canit; clamatur nomine: Christus,
Iustiniane, tuis pugnet fortissimus armis.
Principis imperium nostri, Pater optime, serua.
Ad nomen tremuere poli; tremuere gementes,
Concussa tellure; iugis et uertice siluae
Commotae paruere quati, montesque lacusque
Rauca gemunt: orbis tremuit compage solutus,
Auctoremque suum linguis elementa fatentur.
Additus hinc furor est; cunctique in bella calescunt:
Exhortantur equos; effundunt tela lacertis
Spissa uiri, densisque iubar pallescit ab hastis.

Sub iaculis nox atra ruit, carpitque tenebras;
Et super arma diem ferrum disiunxit utrumque.
Obuia contortis densantur tela sagittis,
Alternaque hinc inde uolant. Tunc tristior omnis,
Obscurusque subit tantis hastilibus aër;
Quantaque torserunt, totidem modo uulnera partes
Suscipiunt. Mortem, ueniens, telum omne minatur:
Sed dispar fortuna regit; nam missile tortum
Saepius, aduersa uulnus dum currit in hasta
Inueniens, gemino consertum pondere, campo
Corruit; ac duo rapta simul mors uulnera perdit,
Inque aliis mors ipsa rubet. Tunc sanguine misto
Terra madet. Strident missis hastilibus aurae.
Mars furit, et media permistus caede uirorum,
Exanimes conuoluit equos. Coit improba uirtus,
Alterna de parte ruens: caecique tumultu
Atque furore, uiri aduersis dant pectora telis;
Quique aliis inferre parant in uiscera ferrum,
Suscipiunt, dulcesque animas per uulnera fundunt.
Asper in obnixos rumpens Recinarius hostes
Irruit, aduersasque acies et signa fugauit,
Eilenare occiso: primus qui proelia miscens,
Romanas acies, ausus tentare petebat,
Fisus equo, fretusque suis. Hunc maximus heros
Excipit: opposito uenientis pectora ferro
Transfodiens, fractis rupit uitalia costis,
Hastaque per tergum magna uirtute cucurrit.
Vertit equos, fugiens gelida formidine Mazax.
Insequitur Romana manus, turbatque premendo,
Dorsaque per latos feruens Maurusia campos
Comprimit, et uersos facili iam caede fatigat.
Vt pedites socios stantes a fronte paratos

Fractus eques uidit, rediens in pectore uirtus,
Flectit equos; campumque feris clamoribus implens,
Currit, et in medios aduersi militis ensis
Quaerit iter. Summis ductor sed uiribus obstat,
Confirmansque suos, dictis hortatur amicis:
Romani proceres, rerum nostrumque leuamen,
Experti totiens belli portare labores,
Optastis pugnam. Tandem data copia pugnae est:
Vnius puncti nutantis causa pericli.
Hoc spatium summis impellite uiribus omnes.
His labor unus erit, nostrae uictoria parti.
Quo manifesta datur: summos portamus honores
Militibus, qui bella domant, gentesque superbas
Frangunt, Romanisque nouant sua gaudia rebus.
Dixit: et, in medium dirumpens concitus agmen,
Pulsat equum, magnaque fremens it uoce per hostes.
Consequitur densis acies fortissima telis.
Puluere cuncta latent; at campis ferreus imber
Confluit, et neruis uolitans pulsatur arundo.
Mantysinan primum ductor transmisit ad umbras,
Ense caput rapiens: nec sensit uulnus acerbum
Magna uiri ceruix, nec tardus in ossibus ensis
Sanguine tinctus erat. Iacuit per gramina uertex
Luminibus patulis: truncum leuis aequore portans
Currit equus; sanguisque micat, quo colla metuntur.
Laumasan inde ferit, ualido per timpora ferro;
Ossibus et fractis, pariter per molle cerebrum
Ensis abit; galeamque simul pellemque secutus,
Luminaque et longos secuit cum fronte capillos.
Guarsutiaeque leuem, coniecta cominus hasta,
Fundit equum. Laeuo tremuit confixa sub armo
Fraxinus, et calido currens per uiscera ferro,

Perque pedem dextrum domini conserta pependit.
Corruit ob uulnus sonipes; dominumque ruina
Comprimit ipse sua, et letali pondere quassat.
Manzorasen medium rigido mucrone tremendus
Diuidit; inque latus gemina deflexit utrumque
Parte cadens. Iugulum rapiens, deiecit inertem
Armatamque manum: ferrum tenet illa retractans.
Frigidus ille cadit: terrae tremor ingerit ictus,
Excutiens calidis morientia brachia neruis.
Mazana prospiciens feruentem caede Iohannem;
Obuius, adducto tentans hastile lacerto,
Irruit; inque uirum ueniens, ut missile torsit,
Flectit equum domitans: fortis sed uulnera ductor
Nulla pauens, clipeo contentam deuiat hastam;
Suscipiens ipsumque petit, non territus, hostem,
Et ferit intrepidus. Virides cruor inficit herbas,
Exiliens; tantumque iacet per rura cadauer.
Viderat ingentem, deiectum uulnere, fratrem
Gardius: exitiumque parans defendere fratris,
Ecce uolat, tectus clipeo, telisque superbus,
Ductoremque petit. Compellit conscia uirtus,
Germanique dolor. Ludit dum poplite flexo,
Subsiliens, tremulam per costas accipit hastam,
Tegmine transacto, ceciditque infixus arenae.
Quem bonus affatur uictum iam morte Iohannes:
Hoc erat, infelix, quod nos uirtute petebas,
Nescius, an fratri potius comes ire parabas.
En perfecta tua est, consumta parte, uoluntas,
Dura magis; praedamque simul mortemque secutus,
Finibus a Libycis pariter cum fratre recedis.
Protinus aduersa Cullan petit arduus hasta,
Persequiturque uiros. Campos dat terga per omnes

Maurus eques, magno fugiens conterritus hoste.
Perfurit ipse sequens, missis configit et hastis
Terga uirum: multusque infundit sanguis arenas.
Corpora densa cadunt, latum reuoluta per aequor.
Terror Languantan impellit martius hostem.
Agmina cuncta tremunt. Inuadit pectora gentis
Insolitus uirtute pauor. Mirantur et horrent,
Effugiuntque uirum. Sic contremuere tonantem,
Fulmine deiecti, fracta ceruice, gigantes:
Sic Troiana manus fortem fugiebat Achillem.

Bruten ut, expulsas campis, iam uertere gentes
Terga fuga, insolitumque suos auxisse timorem,
Vidit, et euersis acies succumbere signis,
Castraque tuta metu Mauros intrare fugaces;
Vltima fata suam credens concludere uitam,
Euocat, errantesque instigat uoce cohortes;
Talibus et dictis timidos ad bella reducit:
O miseranda manus, nunquam quae uicta recessit,
Vnde metus gelidas, aut qua uirtute, cateruas
Acer agit? Quisquam ne fuga defenditur ista?
Aut castris securus eris, quum, marte superbus,
Rapturus iam uictor adest? Qua territa pugna,
Languantan gens dura fugis? Quo uictus ab hoste,
Austur, equo fidens, tanta formidine curris?
Non pudet (heu miseri!) campis cessisse relictis?
O uirtus, o corda uirum! Nudos ne reuerti
Desertosque libet? Calidas sic cernere Syrtes
Vaditis? O fugitiua manus, uel prisca memento
Bella senum, pugnasque truces, et nobile robur.
Imperium uicere patres: non uincere nostros
Maximianus auos, Romani fortia regni
Sceptra tenens, potuit. Turbet nunc agmina, perdens,

Militibus quantis, aut qua cum plebe, Iohannes:
Respicite; et tandem uestris succurrite, natis.
Talibus exarsit dictis Maurusia uirtus:
Atque acies conuersa redit, pugnamque resumit
Acrior, et densis conturbat nubila telis.
Turbine uicta, ratis cursu seu saepe recussa
Fertur in aequoreas, auster quo dirigit, undas:
Dum miseros turbant infensa pericula nautas;
Obuius optato ueniat si flamine uentus,
Assurgit laetus magno clamore magister,
Exhortans socios, puppem conuertit et altam,
Velaque placatis intendit prospera uentis.
Sic uictos populos praefectus uoce refecit,
Atque truces animos uerbis ad proelia torsit.
Bruten in aduersum contorsit missile Paulum,
Perque uiri calidum transiuit lancea pectus,
Acta tremens, rupitque uias pulmonis anheli,
Et ualido geminas confregit uerbere costas.
Ense ferit Ialdas, miscentem proelia, Largum.
Sinzora Crescentem, Seruandum mactat Ilasan;
Martianumque petens, infausto marte, tribunum,
Hisdreasen, summis excussam uiribus, hastam
Torsit, et aduersi frontem ferit, horridus ira,
Fortis equi. Sonipes letali uulnere uictus,
Corruit, atque hastam nimio sub pondere fregit.
Consurgit uelox, magna uirtute, tribunus,
Amisso nec fractus equo, campisque pedester
Constitit, et galea celsus clipeoque refulsit.
At ferus Hisdreasen, uisu tremefactus eodem,
Continuit sese; solus tentare nec hostem
Ausus, retro redit. Nudo tunc ense tribunus
Insequitur. Domitum, ferrata calce fatigans,

Hisdreasen contorsit equum; sociumque per agmen
Effugiens, trepidus, densis se miscuit armis.
Vt uero ille sequens auctorem attingere teli
Non potuit, medium sternit mucrone Merasgun,
Suartifanque super celerem, Montana, Gamasdrun
Eripuit: mortemque miser suscepit Isaguas.
Inde furens uictor uictis rapit hostibus arma
Turbidus, et sociis fugientes conserit hastis
Acer et intrepidus. Sternuntur corpora passim
Densa uirum, alipedesque simul, quos missile tortum
Inuenit medios casu, dum currit in hostes.
At procul Antalas celso de colle uidebat
Omnia prospiciens. Non se committere primis
Voluit arte uiris: astu sed proelia tentans,
Auxilio uenturus erat. Tunc caede tribunum
Non tulit ardentem. Mauris succurrere fessis
Incaluit, sparsasque acies de colle petiuit.
Ergo inter socium dirumpit saeuior agmen,
Martianumque petens, turmas per prata sequentem,
Vt leo, uenantum magno clamore coactus,
Montibus in mediis, stimulis et uerbere caudae
Aspera terga ciens, in proelia suscitat iras,
Ore fremens, frangitque uiros uirtute potentes.
Congreditur, uiso nec territus hoste, tribunus.
Irruit, infensoque uirum mucrone petebat
Ante, sed oppositam transiuit lancea parmam,
Inque uiri costis lato stetit improba ferro.
Nascitur inde fragor: magnis montana resultant
Vocibus, et fracto crudescit pugna tumultu.
Antalae uirtus uenientis suscitat iras,
Spemque dedit uictis. Iterum concurrere certant:
Agmina densantur campis, aciesque nouantur.

Ipse ut collectis firmauit robora turmis,
Per medios enses quatiens acerrimus hastam
Irruit, et densos uolitans perfertur in hostes.
Obuius ardenti primus sese obtulit Ornus,
Romulea de gente satus, quem Persica mater
Edidit ad bellum, rapuit tamen Africa matri,
Antalae superante manu; namque arduus, hastam
Viribus intorquens, clipeum transfixit et hostem.
Protinus infelix, fatis oblatus iniquis,
Arsacis occurrit, crudo quem feruidus ense
Antalas medium truncat, qua cingitur arcus,
Extaque per geminas secuit spirantia partes.
Inde ferit pauidum conuersa cuspide Malcum;
Artemiumque, furens, et duro nomine Maurum
Transadigit; socioque infixus deiicit ictum
Zudius eximiis longe praesumptior armis.
Contempto pedes ibat equo, turbasque tribunus
Hostiles sternebat ouans; iamque ille Nusantan
Fuderat, et Tiseran: Tiseras de plebe rebelli.
Mansitalas pinnatus erat. Tunc mittit ad umbras
Immittem Sangrin: tumidum compressit Amarum;
Et Garafin Tilifanque duos per uulnera fratres
Strauit humi. Frater morientem uidit uterque
Germanum moriens. Doluerunt pectora matris,
Tempore tam longo tristes passura dolores.
Hunc procul ardentem cernens a colle Sidafen,
Obuius ire parat. Tunc Syrtica contrahit arma,
Magnanimumque petit, feruentem caede, tribunum,
Quem numerus uirtusque premit. Circumfluit hostis
Densus, et iniectis perturbant undique telis:
Infigunt, feriuntque uirum. Tunc morte peremptum
Hostes uulneribus media strauere per arua.

Verterat expulsis acies per deuia signis;
Impuleratque duces terror post terga redire.
Sed ductor properans, fidis concitantibus una
Armigeris, uictos socios uirtute leuauit.
Hic primum ensipotens rumpens inimica Iohannes
Agmina, fulmineo Madden per pectora pilo
Transfodiens, prostrauit humi, fortemque Magargun,
Et Taden, et Meilan. Tum toto corpore Fugen
Ariarith ingentem detruncat uulnere, Mestan
Ense rotat magnum, et uertens per gramina collum
Corruit Altiserae. Vultus in pectora Zambri,
Percussa ceruice, ruunt; stomachoque peremptus
Flumina rubra uomit Roffas; atque ilia pulsans,
Extremis Athiman singultibus ore uocabat.
Haud procul inde Ziper medium currebat in agrum,
Turbabatque uiros, cogens in castra redire.
Ille neci Ialdan, Tusdrunque, Arcanque, Nadosque
Morte dedit uaria; sed ualle secauit in una.
His celerem coniunxit Ilan, contoque superbum
Conunian mediis feriens effudit arenis.
Signiferum uocitans Vitulum, Recinarius ardens
Compulit in medios signum committere Mauros.
Ipse uolans pariter densos uirtute per hostes,
Effera castra petit. Sequitur tunc cetera pubes,
Defenduntque uias, et fossas rumpere tentant.
Quis dolor ille fuit, quo sic Recinarius ardens
Ibat in hostes, prosternens media agmina, muris
Rumpere castra parans? Non sic uirtute tremendus
Alcides miserae turbauit moenia Troiae,
Laomedontiadas agitans, regemque tremendum.
Persequitur, mactatque uiros hic. Caede furentis
Missile dura ferit contorquens pectora Lanzi.

Tunc mucrone caput terrae deturbat acerbi
Masguen, et rigida Nacusan ferit eminus hasta.
Macurasenis equum media prostrauit arena,
Vulnere confossum ualido; dominumque ruentem
Desuper ipse premit. Ruptis praecordia uenis
Purpuream fundunt animam. Tunc calcibus ipsam
Tundit humum moriens, herbasque et gramina quassat.
Hisbulun ut fortis densos inuaserat hostes,
Is mactat Cullen, concurrentemque Iutungun
Sternit humi. Iugulat pressum mucrone Meurren
Laltin, equo deiecit agens; fortemque Sinisgun,
Varrinnumque ferit, quem nondum fata trahebant.
Tegmina diuisit gladius, palmamque sinistram
Contigit, et summos dirupit uerbere neruos.
Victus at ille fugit, pereunte per agmina parma:
Sauciatum digitis dependit laeua cruentis;
Currentisque cruor madidus uestigia pingit.
Geisirich ardentem Mificum campisque furentem
Deiicit, aduersumque ferit per pectora Ceucrum.
Pinnata Antifan Dorotis arundine fixit.
Protinus inflexum curuat fortissimus arcum,
Excussaque ferit fortem Maggite sagitta.
Voluitur ille cadens: cursus seruauit arundo
Pulsa suos, saeui fugiens per timpora Cambri.
Cambrius infelix, alieno uulnere raptus,
Corruit in frontem. Armigerum Barsippa petiuit.
Protectus clipeo, et librata concitus hasta
Subsiliens, dum ludit magnum umbone per hostem,
Pinnigerum Barsippa leuis per uiscera ferrum
Suscipit, et magno ad terram cum pondere fluxit.
Praecipitem Vulmir Zisacum, per bella ruentem,
Consequitur, missaque infixit cominus hasta.

Hinc nigrum Manonasen agit, sternitque cruentum
Ense uirum. Rapto moritur Vascina lacerto.
Bulmizis mucrone ferox, fortisque Tamazu
Sternitur, et duro confisus Marczara pilo.
Ast Tor, acerba furens, germanus comprimit Arzen.
At Salius Meniden, Mestanque in rupe Iohannes.
Tanala mactat Iten, Vitalis arundine Tizen,
Fisculaque ingentem deiecit uulnere Frecten.
Iam grauis incumbens mauors, compulsa timore,
Agmina cogebat fidis succedere castris;
Miles et in mediis Mauros truncare camelis
Coeperat, obsessasque grauis dirumpere fossas.
Hic tamen ingenti concurritur undique pagna:
Romanique simul fortes, Maurique rebelles,
Pacificique ruunt; frater nec cognitus ulli
Puluere concretus, carum nec notus amicum
Cernere tunc potuit, ciuemue agnoscere ciuis.
Miscuerant acies nullo discrimine turmas
Marte graui, densisque incurrunt agmine telis.
Vix sinit obnixas, confuso marte, cateruas
Turba mouere manus: confringunt pectore pectus,
Et clipeis clipeos, et conis proxima quassant
Fortia colla uirum. Iam nescius accipit hostis
Saeua per occultos confossus uulnera cultros.
Mortua condensis stipantur corpora turbis.
Funera mille cadunt. Sanguis perfundit arenas:
Contiguo riuo pedibus calcatur et amnis
Purpureus, rubroque madent uestigia luto.
Ierna premit miseros, urguens in proelia, Mauros,
Antalasque fremens: compellunt agmina castris
E mediis exire suis; murosque per omnes
Arma ferunt. Misti senibus densantur ephebi;

Omnis ad obsessas aetas concurrere fossas
Cogitur, et crescens succendit bella tumultus.
Romanis uirtus, Mauris locus addidit iras.
Insidiis martem fallax agit undique Mazax.
Currit; et in mediis intrantes castra camelis
Obseruat, fugiensque ferox, modo cominus hostes
Missile contorto, nudo modo percutit ense,
Implicitosque premit. Facto nunc agmine, muris
Egreditur, fortesque intentat pellere turmas.
Horrida nec solum uolitans dat uulnera ferrum.
Nunc lapides torresque cadunt; modo missile robur
Spargitur; inde sudes, et fracto monte molares
In galeis clipeisque tonant; modo pondere plumbi
Corpora dant animas. Cernuntur, fulminis instar,
Saepe faces rutilis ardentes currere flammis,
Alterna quae parte uolant. Stat robore summo
Miles; et, inuicti fretus uirtute magistri,
Castra aduersa premit. Certat tamen hostis acerbus,
Expugnatque uiros, et fossas uindicat arcens.
Et socios ductor pulsans firmansque Iohannes,
Voce tonante iuuat. Conturbans, territat hostes
Ille sonus; faciemque uiri uocemque tremescunt.
Horrificos ueluti cum Iupiter excitat ignes,
Aethere commoto, et tonitru conterritat orbis
Omne genus, fractisque tremunt praecordia membris:
Marmarides acies sic, magni uoce Iohannis,
Conturbat gelidus, quassato pectore, terror.
Agmina mota pauent: conuertunt terga retrorsum.
Insequitur Romanus agens, sternitque per ipsos
Corpora densa locos. Hortatur rumpere fossas
Ductor ouans, laetisque incendit pectora dictis:
Vicistis, socii: faciles nunc rumpite muros,

Ensibus et gentes gladiis truncate cruentis;
Vindictae dum tempus adest, dum letifer hostes
Terror agit, uirtus animis dum maxima uestris.
Nunc tempus: pretium, iuuenes, deposcite belli.
Hostibus extinctis, praedam sperare licebit.
Iussa per imperii; uideam sic lumina Petri
Incolumis dilecta mei; Carthaginis arces
Cernere sic uictor merear! Mercede laborum,
Omnia militibus donamus castra, uolentes.
Nam mihi non ullis ductorum auferre licebit
De praeda sociis. Habeat sua gaudia raptor
Miles, et in propriis laetetur fortior ausis.
Eia agite, o iuuenes! Hominem, pecus, obuia quaeque
Impediunt, mactate truces, et limite largo
Implicitas planate uias. Ego primus inibo;
Quod uidet, ut faciat securus miles in hoste,
Exemplo iam quisque meo. Sic fatus; et ipse
Castra petens primus, magnum ferit ense camelum,
Quo pedibus uis iuncta feri latet insita neruis.
Tunc per utrumque femur uulnus transiuit acerbum,
Et geminas secuit, conciso robore coxas.
Retro ruit reuolutus humi stridore camelus
Horribili, geminosque impressit pondere Mauros,
Ossaque contriuit quassis male mista medullis;
Qui ducis horrifico celsam terrore sub aluum
Condiderant sese. Cecidit resupina duobus
Cum genitis Gaetula, supraque cadentes
Sarcina lassa ruit. Cecidit calatusque lapisque,
Quo cererem frangit. Dirupit uincula pondus;
Dissoluitque moras. Turbantur castra repente,
Atque uno scissi patuere uulnere muri.
Subductis ueluti moles excelsa columnis,

Cum sonitu deiecta cadit; resolutaque saxis
Fabrica magna iacet latos diffusa per agros.
Gentius aduersas alia de parte cateruas
Sternit humi, et ruptos condenso milite muros
Turbat acerba furens. Pariter Putzintulus ardens
Horrida fulmineis sternebat corpora telis.
Ceu duo turbantes currunt armenta leones,
Persuadet quos dura fames: sic saeuus in hostes
Ibat uterque, suam dirumpens uulnere partem.
Fronimuth oppositum scindens ruit impiger agmen,
Castraque cuncta mouet. Densis Marcentius armis
Ardebat mediis prosternens agmina fossis;
Atque simul feruens roseo furit ense Iohannes.
Aduersas alia truncabat parte cateruas
Cusina Romana consanguinitate propinquus,
Atque fidus: largum fundens super arma cruorem,
Corpora per latos sternit Maurusia campos
Densis missilibus: duro rotat ense lacertos;
Collaque multa uirum, neruosque obtruncat equorum.
Rescindunt fossas omni de parte tribuni.
Tarasis in medios contra furit arduus hostes;
Pectora dux fixit: fractis undantia costis
Viscera rupta natant, calidoque in sanguine torpent.
Fortis Ifidaias summis cum uiribus ardens
Ibat, et aduersas acies per prata necabat
Syrtica, prosternens feruenti funera ferro.
Accendit socios ductorum maxima uirtus,
Conceptusque furor gladiis tunc cetera miscet.
Dirumpunt, mactantque uiri, rapiunt feriuntque,
Effugiuntque, uiis sternuntque cadauera passim;
Atque truces currunt. Feriunt discrimine nullo.
Non aetas animos, sexus non mitigat insons:

Omnia prosternit Romanus corpora miles.
Fit sonus armorum: fractis montana resultant
Tegminibus. Gemitus raptis dant pectora membris,
Mistaque per latos densantur funera campos.
Qualiter, antiquae sternentes robora siluae,
Innumeri agricolae steriles succidere plantas
Certatim insistunt. Tot per nemus omne bipennes
Congeminant ualidos, siluis regementibus, ictus.
Sic fera dirupit Maurusia castra Iohann
Cum sociis. Cunctis stridunt de partibus enses,
Atque cruore rubent. Animas in uulnere reddunt
Cum gemitu; mistique ruunt per prata cadentes,
Nunc senibus iuuenes, nunc pressae pondere matres
Ardua cum natis inter pecuaria paruis.
Innumeros fundunt, gladiis feruentibus, hostes;
Sternit et innumeras morientium lapsa ruina.
Crinibus adductae pauitant fera uulnera Maurae,
Dum trahit hostis, ouans. Infantes ille reportat
Direptos ex hoste uolans, mandatque ministris;
Et redit ad medias conculcans funera fossas.
Ille camelorum gaudet dirumpere uincla,
Diripit ille boues, ouibus redit ille reductis,
Hic pulsat tardos conuersa cuspide asellos.
Omnia iam pereunt Maurorum tarda moueri.
Solus equus currit iam campis nudus apertis.
Effugit ille ferus, confracto robore, Ierna,
Et simulacra sui secum tulit horrida Gurzil,
Huius et auxilio sperans se posse tueri.
Cornipedem infelix geminato pondere pressit
Impediens, mortemque sibi miser ipse resumit.
Quis, quisnam est, quem, uane, colis? Quod gentibus ille
Praesidium, quae digna tibi solatia praestat?

Dum tu morte cadis, dum frangitur ille per hostes;
Dum conflat nitidum, flamma soluente, metallum.
Syrtica per latos fugiebant agmina campos,
Quae circumfusus densis exercitus armis
Insequitur, terrens uariis per deuia fatis.
Nec potuit quisquam Romanos ferre sequentes,
Morte grauis: faciemue fugax oculosue retraxit.
Proiiciunt enses, gelido terrore subacto;
Praecipitesque cadunt, facili iam caede trementes.
Miles acerbus agit. Solomonis signa retollunt
Prisca uiri, Iernaeque simul captiua reducunt.
Horrida per cunctos sternuntur funera campos:
Per ualles scopulosque ruunt. Iam flumina complent
Corporibus densis; supraque cadauera calcant
Quadrupedes, quassisque rubet leuis ungula membris.
Dant gemitus miseri. Sanguis per gramina currit,
In manibusque uirum concretus glutinat enses,
Aspersus super arma cruor: ferrum omne rubescit.
Occubuit princeps multa inter milia Ierna.
Marmaridum rex ille ferus, quondamque superbus,
Confossus iacuit mediis bene nudus arenis.
Ille dies cunctis supremus gentibus esset,
Si mora praecipitem tenuisset prospera solem,
Fecit ut ante semel. Iam pronior, ordine certo,
Axis, in occiduis summersus flammiger undis,
Ex oculis gentesque fuga, bellumque tenebris
Eripuit, fortesque acies in castra reduxit.

FLAVII CRESCONII CORIPPI

AFRICANI GRAMMATICI

IOHANNIDOS SEV DE BELLIS LIBYCIS

LIBER QVINTVS.

Victores placidam Romani nocte quietem
Non omnes petiere simul; sed castra uicissim
Conseruant laeti et uigiles, nec lumina claudunt.
Laeta per insomnes discurrunt gaudia mentes.
Militis indomiti nullus post proelia membris
Torpor inest: quassos reficit uictoria neruos,
Virtutemque nouat captae spes addita praedae;
Et releuant animos fidi promissa magistri.
Maurorum interea, noctis defensa tenebris,
Agmina currebant cunctis per deuia terris,
Sparsa metu. Nox ipsa iuuat, nox ipsa fatigat:
Eripuit mediis cunctos de faucibus orci
Occultans obscura uiros; sed rursus easdem
Sollicitat dubias, incerto marte, cateruas.
Effugiunt pauidi, nullo post terga sequente.
Dum trepidant: strepitusque suos, sonitusque suorum
Esse putant hostes; turbatique ardua quassant
Ilia cornipedum. Crebris montana flagellis,
Nocte silente, crepant. Socium terroribus, agmen
Exagitat, solidum quatiens leuis ungula campum.
Altera phoebeos cogebat currere cursus
Oceano reserata dies. Turbatur anhelis
Aequor, et ardet, equis: feruescunt stagna profundi;
Aestuat unda tumens, et sacros parturit ignes.

Consurgens solita primum pietate magister
Laetus agit grates, Dominum uirtutis adorans,
Et meritas reddens tali pro munere laudes.
Tunc laeti uenere duces, fortesque tribuni,
Et primi procerum; medius quos ipse magister
Sic prior alloquitur: Quae gens durissima uestros
Corruit ante pedes, socii! Sic mortis amicam,
Sic iugulos inferre neci, sic currere in hostes,
Non Albis populos, saeua non Perside uidi;
Nam quotiens uictos hostes dare terga subegi,
Intrepido totiens uultu rediere minaci,
Cum fremitu saltuque fero. Tamen, ordine summo,
Et nostri uirtute Dei, confracta recessit.
Nunc Libycos fines solito custode tueri,
Accelerare placet, felicia regna referre.
Ocius in proprias numerosque reducite sedes,
Et munite locos: celsos indagine montes,
Antra, nemus, fluuios, siluarum laxa, latebras
Cingite; et obsessas cauti concludite fauces.
Tempore sub modico periet gens impia Maura,
Deficietque fame. Aut nostris se protinus armis
Subiiciet, pacemque petet; si, milite pulso,
Non ualeat populare casas: aut ultima mundi
Appetet arua fugax, et nostras deseret oras.
Byzacii geminis ducibus sit maxima cura,
Massylas acies acie turbare sequaci,
Sollicitis tristes gladiis urguere phalanges,
Et procul a nostris expellere finibus hostes.
Dixerat: et cuncti dicto parere fatentur.
Digressus, proprias florens exercitus arces
Inde petit: subeunt urbes, castella, locosque.
Soluitur a longo miserabilis Africa luctu,

Et placidum, gaudens, cantat, uicisse Iohannem.
Plausibus assiduis felix Carthago magistro
Iustiniana fauens, geminis excepit in ulnis.
Panduntur portae multo iam tempore clausae.
Ingreditur uictor, populo gaudente, triumphans
Vrbem per mediam: palmas laurosque uirentes
Sidonii patres referunt: concurrit ab omni
Turba uia, expectans acies intrare Latinas.
Conueniunt fessique senes, pauidaeque puellae,
Visendi studio: stantes per moenia matres
Aspiciunt, uariisque modis per gaudia plangunt.
Contingunt animos saeui tot tempora belli.
Feminea pietate dolent; casusque priores
Commemorant, narrantque feri mala fata tyranni:
Gentibus ut dubias patefecit in ordine portas,
Foedere dirupto: miseram, quam mente fefellit
Feruidus, aut quantis turbauit cladibus urbem!
Laudibus immensis pueri, iuuenesque, senesque
Imperiale canunt, ductoris munere, nomen;
Exultantque animis: omnis miratur et aetas,
Bellica signa uidens, concretas puluere uestes,
Terribilesque uiros quos fecerat aspera caedes.
Loricas, conos, clipeos, gladiosque minaces,
Cingula, frena, comas, arcus, pharetrasque sonantes;
Pilaque purpureum spectant gestantia ferrum
Sanguine Massylo. Captiuas cernere Mauras
Ire iuuat: celsis inscripta ut fronte camelis
Impauidae sedeant, paruosque sub ubere natos
Contineant, ausae geminis ambire lacertis
Sarcinulas super, et parui cunabula lecti.
Heu miserae matres! Vultu moerente laborant.
Impia corda gerunt: miseris modo matribus Afris

Iam seruire uolunt. Didicerunt corda dolores
Impia, poenituitque malum: sensere, quod essent
Bella cauenda nimis: damnant sortesque deosque.
Nec color ipse fuit captiuis omnibus unus.
Concolor illa sedet cum nigris horrida natis.
Coruorum ueluti uideas nigrescere pullos,
Matre sedente super; solitas cum porrigit escas
Ore cauo, pansisque fouens complectitur alis:
Horribiles uultus paruis ostendere natis
Dum patres matresque libet. Sic limina templi
Magnanimus ductor, signis comitantibus, intrans,
Orauit Dominum caeli terraeque marisque;
Obtulit et munus: summus quod more sacerdos
Pro redituque ducis, pro uictis hostibus, arae
Imposuit, Christique Patri libamina sanxit.
Syrticus interea Carcasan agmina ductor
Finibus e cunctis, terror quae sparserat ingens,
Contrahit, et tristes lacrimis affatur obortis:
Non ita deiectos sperabam cernere Mauros,
Indomitae gentes! Numquam superatus Ilasguas
Nudus adest, uictusque redit. Matresque nurusque
Perdidimus, natosque simul. Quid denique restat,
Ni mors sola uiris? Quid nunc placet, esse quietos?
An melius bellis armisque lacessere duri
Militis arma placet? Turpe et miserabile crimen,
Confractos cessasse semel. Non omne deorum
Sublatum auxilium campis discessit in illis.
Non ita uult Ammon; non umquam numina Gurzil
Sic uiolata dolent. Non sic fortuna minatur,
Quae uoluit seruare uiros: pecuaria tantum
Perdidimus; nam robur adest. Discernite, quanti
Occubuere uiri. Veluti cadus hauriat undas

Aequoris oceani: numquid decrescere possit,
Aut damnum sentire thetis? Tot et, igne recusso,
Astra cadunt: signis plenum tamen omnia caelum
Sidera semper habet. Sic nostram laesio gentem
Contigit: haud tamen omnino fortissima sensit.
Consulite, et rebus celeres succurrite uestris.
Bruten, ut emissas persensit ore querelas,
Mente ferox, rapuit bellum. Pater optime, dixit,
Ingeminans bellum, nostros reparare labores
Vxores, natosque potes. Cum funere uitam,
Et bellis finire placet. Quae fama per omnes
Gentis erit populos, si nostrae iniuria caedis,
Indefensa manens, latum referatur in orbem?
Absortas melius, subito telluris hiatu,
Mors rapiat gentes: extendant tartara fauces
Et nigrae pallore domus. Proserpina regnum
Patris inops teneat, nigri per bella mariti.
Sunt acies, sunt arma tibi: surge, arripe bellum.
Te duce, confossus ponam sine crimine uitam.
Haec est certa salus. Tu nostrae gloria gentis,
Tu uirtutis honor, tu spes fidissima Mauris.
Vix ea Bruten ait: cuncti clamore sequuntur,
Carcasanque fremunt, Carcasan omnibus unum
Gentibus esse ducem, linguis animisque fatentur.
Ille ut conceptum populis auxisse furorem
Vidit, et insani rabiem succrescere martis:
Marmaridum fines, habitat quo corniger Ammon,
Inde petit; durique Iouis responsa poposcit.
Semper amat miseras deceptor fallere mentes.
Iuppiter hic (quem, uane, rogas) in sanguine gaudet
Horridus, et cunctas quaerit disperdere gentes.
Asper in aduersa percussus fronte bipenni

Taurus ut occubuit, manibus tristissima uates
Tympana rauca rapit, saltusque altaria circum
Cum strepitu lymphata rotat. Salit ardua ceruix,
Igne micant oculi, consurgunt fronte capilli,
Ac facies, testata deum, feruore rubescit.
Nunc maculat pallore genas, nunc lumina torquet,
Nunc caput alta fremens; saeuos dum colligit ignes.
Vt uero toto percepit pectore numen,
Suspicit excelsam nocturno tempore lunam
Lumine sanguineo, scrutatur fata recensens.
Ardet, anhelat, hiat, pallet, rubet, aestuat, alget;
Fatidicum dum quaerit iter. Vox improba tandem
Prodidit ore fero fatorum arcana sub auras:
Victor Languantensis acerbo marte Latinos
Conturbabit agens. Aeterno tempore Mazax
Byzacii campos magna uirtute tenebit.
Tunc erit alma quies. Celsas Carthaginis arces,
Carcasan ductor, portis ingressus apertis,
Altior et placidus, populo comitante, feretur
Vrbem per mediam. Vultus mirabitur Afer
Terribiles: lauros current palmasque ferentes
Huius in aduentu. Felix Carthago per omnes
Dicetur populos. Carcasan terror acerbas
Subiiciet gentes; et foedera pacis amabunt.
Dum canit haec uates, conturbans spiritus ora
Obstruit; et miseras mentes errore fefellit.
His gentes fallax decepit fraudibus Ammon
Massylas; dum uera, canens, caligine uestit,
Insidiasque parat. Nam Mauri tempore cuncto
Byzacii tenuere quidem, semperque tenebunt
Ossibus arua suis; magni uirtute Iohannis
Quae modo fracta iacent. Celsas Carthaginis arces

Carcasan ductor, populis comitantibus, altus
Per medias ibit; tunc cum, ceruice recisa,
Infixum rigido uidit caput Africa conto.
Mentis inops nimium responsis fisus iniquis,
Horrida bella parat. Discurrens fama per omnes
Et populos, regnum cecinit quod gentibus Ammon;
Excurrunt celeres calidis a Syrtibus alae,
Inuitantque feras regni sub imagine gentes.
Barbara turba coit: numeris augetur et armis.
Tunc equites pedites quaerunt, altisque camelis
Maurorum qui more sedent. Nec solus Ilasguas,
Aut gentes tantum, egerunt quae bella, priores
Conuenere sibi; sed quisquis Syrtica rura
Asper arat Nasamon, et qui Garamantidos aruis
Proximus arua colit. Pinguis qui margine Nili
Stagna bibunt, uenere uiri. Quis dicere gentes,
Aut numerare queat? Numeres aut aequoris undas,
Nimborum aut guttas; aut quantas litus harenas
Alluit; aut pelagus pisces, aut terra uolucres
Omnis habet; uarius quot gignit campus aristas
Vere nouo; uel totum ornant quot sidera caelum.
Viribus inde suis bellorum ductor aceruum
Securum fortemque putans, simulacra nouauit
Signaque; et extremis acies commouit ab oris,
Plus solita uirtute fremens, ac pergit in hostem.
Victus ut Herculeis Antaeus saepe lacertis,
Contacta lapsum reparabat corpus arena,
Sponte cadens: uictor donec Tirynthius artem
Nosceret; et, summis complexus uiribus hostem,
Prensasset pronum cum magno pondere corpus,
Guttura saeua premens. Vt terram tangere matrem
Non potuit, uictrix miseri mors lumina clausit.

Sic uictus uires Carcasan innovat omnes
Syrtibus a propriis; sic et, moriturus in hostem
Nescius, arma parat. Tunc liquit pectora terror
Martis, et obscurae tot saeua pericula noctis.
Peruolat ecce leuis, magno mandante Rufino,
Nuntius; et fama Libycas conterritat urbes
Iam placidas, uictas iterum bellasse cateruas;
Finibus occiduis equitum iam currere turmas;
Et Tripolis uastare agros: Carthaginis altae,
Carcasan ductore, feras ad moenia gentes
Ire docens, nomenque sibi promittere regni.
Missus Sidoniam miles uix contigit aulam,
Ductori mandata ferens; concussit acerbus
Corda furor, narrante uiro. Sed mentis honestae,
Virtutem indomitam melior sapientia uincens,
Consilium quaerit. Voluuntur pectore curae,
Nec mouet obtutus: mentis discurrit acumen.
Omnia prospiciens, pensat discrimine causas,
Et uidet infandum cuncta de parte periclum.
Tunc proceres de more uocans, consulta requirit.
Talibus edictis animos curasque retexit:
Victus bella mouet, rursum uincendus, Ilasguas.
O socii, expertis audens concurrere signis,
Hic Tripolis iam rura premit; praedasque rebellis
Diripit, in nostros promittens tendere fines.
Signa mouere paro, tot gentibus obuius ire,
Externis cupiens committere proelia terris,
Et procul a nostris prosternere finibus hostes;
Africa ne, propriis iterum concussa ruinis,
Plus pereat. Turbant animos impensa, locique,
Difficilesque uiae; sterilis nam cernitur annus.
Perdidit ipsa suas bellis prouincia uires.

Heu nimium defessa iacens! Exercitus ingens
Non poterit sufferre famem. Si admittimus, hostes
Byzacii extremos tantum contingere fines;
Iam properare uolent: disperdent cuncta rapinis,
Atque iterum fessam turbabunt proelia terram.
Consulite, et dubios animos firmate docentes.
Vix ea ductor ait: populis placet omnibus ire
Longius, atque ipsos Libyae sufferre calores
Occiduos se posse ferunt; promittit et omnis
Turba manus, mentesque feras; magnosque labores
Pro patria tentare uolunt; gentesque rebelles
Despiciunt, animosque truces, uirtute feroci.
Ductor, ut erectas acies uirtute feroci
Vidit, et intrepidas sese promittere bellis,
Signa mouenda canit. Tunc raucos buccina cantus
Aere gemit, ciet armatas uox saeua cateruas.
Conueniunt cunctae propriis a sedibus alae,
Et pedites iussi, comitesque ducesque Latini;
Massylasque trahens acies in bella magister
Cusina, Romanis semper fidissimus armis,
Pergit in australem ductor fortissimus axem,
Qua feruens loca sicca dies sub sidere cancri
Sole perusta tenet, nimium semperquę laborant
Arua siti, zephyrisque carent. Namque africus illic
Omnia flammiuomis exsiccat rura procellis:
Illic et sitiens calidis exerrat arenis
Afer anhelus, inops Stygias rimatur et undas.
Fama, per innumeros spargens praeconia linguas,
Ante uolat, fortem referens properare Iohannem
Cum ducibus cunctis: Abylae Tingensis ad arua
Improba tendit iter. Fines iam raptor iniquus
Byzacii uastabat eques. Sic pectora rumor

Nominis incutiens magna uirtute Iohannis
Terruit: innumeras acies post terga reflexit.
Iam super esse putant: acti terrore magistri
Experti, trepidant; uultus memorantur acerbi,
Signaque cuncta uiri: siccas superare Gadaias
Nec dubitant, tristesque locos, quîs nullus eundi
Viuendique modus. Non illis finibus ulla
Aëra per calidum tranat suspensa uolucris.
Armiger ipse iouis, portat qui fulminis ignîs,
Vix impune potest feruentis margine caeli
Flamina posse pati, quae terror iussit adire.

Ductor, ut hostiles sensit cessisse cateruas
Per deserta metu, solita uirtute fugaces
Insequitur. Calidas terrae sitientis arenas
Acrior ingrediens, iussit tantum omnibus undas
Ferre suis cereremque. Sui praecepta magistri
Perficiunt celeres. Sed quantum posset in illis
Tot populos satiare locis, quantisque diebus
Agmina tanta aleret! Vacuantur fontibus utres,
Iamque ceres nusquam. Siccis tunc faucibus ardent,
Deficiuntque fame. Heu! miles bacchatur anhelans,
Et, solis feruore rubens, exaestuat, ardens
Ignibus immensis; et nullis flumen arenis
Inueniens, scrutatur aquas, uanumque laborat.
Vt Danaum quondam Thebanos inclita campos
Agmina dum peterent, siccatos numine Bacchi
Expetiere lacus fontesque; et flumina ductor
Adrastus latis sitiens quaesiuit in aruis.

Deposuit miseras, erumpens uoce, querelas
Miles Romanus: Si tristia fata minantur,
Tempore nunc uno Romanam perdere gentem;
Sunt enses, sunt bella, ferae sunt gentibus irae:

Lancea transfodiat; ueniant, uel fulminis instar,
Omnia tela simul; contortum uiscera ferrum
Transeat, atque animas tantum per uulnera fundat.
Cur nos dira fames ardorque sitisque coartans,
Segnibus, heu! fatis, longa sic morte fatigat?
Sit gladiis sacrata manus. Conuerte retrorsum
Signa. Rogat ieiuna fame haec te, o summe magister,
Turba. Simul miserere eius, nostrique tuique.
Respice, magne, tuos. Macies iam contrahit artus,
Ossaque nuda rigent, siccis tenuata medullis;
Stringuntur nerui; cutis aret; lumina mersa;
Infectae pallore genae: iam mortis imago
Corpora nostra tenet, sitiens et spiritus ardet.
Vix ea uulgus inops: populos pater ipse dolentes
Continuit, fessosque bonus sermone refecit,
Talia saepe monens: O spes Romana, decusque
Atque salus patriae, nimios ne sperne labores.
Vince sitim, diramque famem. Nunc dura memento
Facta patrum. Vires populi sensere priorum.
Sic domuere patres propriis uirtutibus orbem.
Aspera dum tolerant, summa est patientia uirtus.
Hanc metuunt gentes, alios haec territat hostes.
Dum necat hos, geminis acies inimica laborat
Exitiis: hinc sicca sitis feruorque famesque
Exagitant, hinc terror agit Romanus, et instat.
Solis iter tentate, duces, partesque negatas.
Vestros zona rubens referet testata labores.
Confirmante polo, magnoque Catone, secundum
Me tentasse, legent, quoque et hanc petiisse, minores
Vincat amor patriae mortem, et sitis improba cesset
Flumine purpureo, ac uester satiabitur ardor.
Sic Latias placida mulcebat uoce cohortes

Egregius ductor, ceu pectora flumine dulci
Cuncta rigans, uariis epulis aut uiscera replens.
Accidit infelix rebus fortuna Latinis,
Quassato ualidas quae fregit robore uires.
Quadrupedes cunctis, quaerentes pabula, campis
Errabant; nam dira fames, atque ardor habebat
Omne genus: non herba uirens, non frondibus ullis
Arbor erat; densis subito cum palluit herbis
Campus, et aduersi rubuerunt floribus agri.
Longius optatas cernens grex improbus herbas
(Pulsabat nam dura fames) discurrit, et omnes
Tundit ubique locos: nudas iam lambit arenas.
Nec potuit satiare famem, mala gramina pastus,
Quadrupes; ipsis nam cecidit densissimus aruis,
Morte noua, pressans gelidis sub dentibus herbas.
Funere cornipedum fracta est Romana iuuentus.
Concidit ira ferox: it tristis et anxius omnis
Miles, et ingentes conturbant pectora curae.
Corruit, hoc uno nimium conterrita casu,
Virtus magna uirum. Primo tunc castra tumultu
Turbauit fortuna nocens: hoc pondere pressit.
Vidit ut hic ductor tantam euenisse ruinam,
Et uires minuisse suis: ad litoris oras,
Castra mouens, pergit; cupiens releuare dolentes,
Et reparare uiros. Facilem iam iam aëra sentit
Miles, et adpropians uitales inuenit herbas,
Flumina nulla tamen. Siccis tunc faucibus ipsi
Impressant flores, succisque ardentia tinguunt
Ora nouis, epulisque famem uiridantibus implent:
Nec tolerare queunt. Captato tempore noctis,
Innumeri redeunt; alii sparsere per arua,
Pabula dum quaerunt; alii pro fontibus errant;

Saeua fames alios diuertere terga coëgit,
Cunctaque destituunt contemti signa magistri.
Castra locat ductor monstrati ad fluminis undam.
Incubuit ripis sitiens Romana iuuentus
Et liquidis solatur aquis. Hinc undique miles
Confluit ad latices, et dulcia flumina potat.
Panis inops tondet flores herbasque uirentes:
His cupiunt satiare famem. Mandata per urbes
Litoreas dux ire iubet: deducere puppes,
Vectantes alimenta suis. Pro, tristia fata!
Aduersos habuere notos. Fors dura negauit
Puppibus aequoreas uelis transire per undas:
Proxima seiunxit. Sed tunc, malefida Latinis,
Vrceliana manus Romanis addita fatis.
Astrices illis longo iam tempore terris
Errantes habuere domos: gens aspera bellis,
Et numerosa uiris, multosque illaesa per annos.
Haec, ubi persentit uenientis signa Iohannis
Finibus esse suis, aduentu territa, primo
Mittere legatos humilis pro pace cucurrit.
Accipit hos placidus media in tentoria ductor.
Poscentes ueniam, pacem, gentique salutem,
Summissi fudere preces: Tua, maxime rector,
Fama potens, animique uigor, uirtusque, fidesque
Ante uolans, gentes pariter conterruit omnes;
Et gratos ad iura trahit. Ceruice reflexa,
Subiicit ipsa tuis sese, fortissime, iussis
Astricum gens, clara uirum. Tua foedera patres
Gentis amant, optantque simul seruire uolentes.
Ad iuga colla parant. Poscentibus, inclite, parce,
Oramus pacem, et placidam post bella quietem.
Has inter uoces ignari murmura uulgi

In castris sonuere ducis: Quonam usque necabit
Agmina multa fames? Vitae spes nulla salusque.
Contrahimur, miseranda manus! Ductoris ut aures
Contigit ille sonus, grauiter commotus, in aurem
Sic Recinari ait: Infaustas nunc arce querelas
Militis ignaui. Quaenam dementia cordis
Praecipitat miseras confusa mente cateruas?
Cernunt legatos. Poscunt mea foedera gentes:
Stant humiles, precibusque rogant. Hi nostra retexunt
Intima, secretumque malum. Pro, pessima uentrem
Turba colens ritu pecudum, uel more ferarum!
Illicet egrediens placidis celer omnia uerbis
Murmura compressit, referens praecepta magistri.
Postquam facta quies, legatis gnauior ipse
Ductor ait: Noster quas nunc exercitus iras
Fuderit, audistis. Cupidus fera proelia miles
Per gentem transire parat; sed nostra potestas,
Parcere subiectis, semper studet: arma tenentes
Conterimus populos; humiles ascimus amicos.
Ite, uiri: si certa fides mea foedera poscit,
Tradite uestra meis natorum pignora castris,
Et pacem retinete meam. Genus omne manebit
Securum Astricum nostro sub principe pollens.
Haec fatus, donis onerat. Seruire fatentur
Romano imperio, natos pro pignore pacis
Polliciti praestare suos. Virtute Latinos
Et probitate probant: laudant uiresque fidemque
Principis atque ducis: composta pace recedunt.
At procul in campos squalentes fessus Ilasguas
Errabat sitiens; nec tantos ferre labores
Iam poterat, duramque famem. Via nulla salutis,
* Et nullum monstratur iter: post terga Iohannes,

In faciem nimius solis calor: undique gentis
Mors erat ante oculos; nec usquam tendere rectum,
Nec potis est reuocare gradum. Confusa periclis
Anxia turba gemit: mortem orant. Ire retrorsum
Persuasit fortuna nocens, gentisque nefandae
Infaustum diuertit iter. Redit improba martis
Syrtica sorte manus telis in proelia, poscens
Sed dubiam tentare fugam. Explorator ubique
Romanus currebat eques, mistusque Latinis
Fidus erat Mazax, pariter uestigia gentis
Inquirens, qua parte forent. Nec fama, nec ullus
Proximus hostis erat: tecta cum nocte repente
Ardentes uidere focos; dubiique uolutant,
Astrices ne forent, an retro uersus Ilasguas.
Fluctibus oceani nigros aurora iugales
Tristior, extollens radios, tendebat in axem,
Luctificum titana trahens, et fata ferentes
Impia solis equos: abscondunt nubila cursus,
Obscuratque diem squalenti lumine phoebus.
Nuntius ecce uolans retulit, sub nocte silenti
Se procul a fossis late uidisse suorum,
Innumeros lucere focos. Seu rursus Ilasguas
Conuersus post terga redit, seu proxima tendit
Astricum gens castra locis. Manifesta relatu
Non fuerat uox illa. Suo dum pectore ductor
Perquirit solers angusto tempore causas,
Et stupet in dubiis: ueniens super ecce repente
Cusina fidus adest, multa stipante caterua;
Atque duci sic laetus ait: Fugitiuus Ilasguas
Hinc furtim transire parat defectus inermis,
Languida castra mouens. Tempus uenit. Arripe signa,
Maxime ductorum; fessam modo perdere gentem

Namque est militiae facilis labor. Amnis opacus
Alluit umbriferas uiridanti margine ripas,
Arboribus septus uariis et arundine glauca.
Huc gentes tendunt. Primi ueniamus ad undam,
Atque omnes teneamus aquas. Placuere loquentis
Verba uiri populo: ductor tamen ire uetabat,
Defessi retinens iamdudum murmura uulgi
Pectore sollicito. Sed quis praecepta iubentis
Certa Dei superare queat, uel sistere contra?
Castra mouens, ductor comtas iubet ire cohortes
Per numeros turmasque suas. Tunc puluis in altum
Conglomerat nubes, atque aethera turbat arenis.
Infandum carpebat iter, collesque malignos
Tristis et infaustos monstrabat Gallica campos.
Conscendens titan altum flammabat olympum
Curribus igniferis, medium cum fluminis alueum
Alternae posuere acies. Sed Syrticus hostis
Continuit terrore gradum, retroque reuertens,
Deseruit ripas, optataque flumina liquit.
Praecipit hic ductor fossas et castra locari,
Ac martem differre mora, pugnamque sequenti
Luce mouere parans: labentia flumina tantum
Et sumptis latices iussit defendere telis.
Vtile consilium: si nunc Romana iubentis
Implesset praecepta manus. Miserabile fatum
Audaces dedit esse uiros: passimque iuuentus
Per campos diffusa ruit; primique lacessunt
Agmina prima uiri. Concurrunt ordine nullo,
Non acie comti, subito clamore Latini:
Non tuba belligeros cecinit clangore tumultus,
Praeceptis contacta ducis; non ardua pugnae
Signa locis statuere suis incomta per hostes.

Heu! male fisa manus fatis currebat iniquis.
Territa cesserunt, primo certamine, retro
Agmina Marmaridum. Sequitur Romana iuuentus,
Aspera condensis permiscens proelia telis:
Corpora certamen fugientum conserit hastis
Per campos Latiaris eques, figitque premitque;
Et subicit uictos inter timor ire camelos.

At procul armipotens munibat signa Iohannes
Ordine cuncta suo, fossasque et castra locari
Praecipiens, seruandam tantum ob fluminis undam.
Rectores iuuenum hostes expugnare iubebat.
Composuere acies. Dextrum latus ipse tenebat
Cusina, Massylis septus telisque Latinis.
Fronimuth hunc iuxta, Romanis fortis in armis;
Et dux ille potens, felici nomine comtus,
Ductor erat peditum Felix, non sorte, Iohannes.
At laeuum tenuere latus Putzintulus ingens;
Geisirich arcitenens et celsis inclitus armis.
Ipse loco medius ductorum maximus auctor
Stabat, et incassum socios sermone monebat,
Iam fato incumbente graui; quem Tarasis ante
Condensas peditum cingens umbone phalanges,
Veloci uolitabat equo, turmasque parabat.

Nuntius interea uenit celer, Ecce, magister,
Turbatos hostes, referens; iam uicta per agros
Vertere terga fuga. Sed non his uocibus illum
Consilio iuuenis ualuit depellere iusto.
Mens immota fuit. Sed non sic iussa tremendi
Nunc uoluere Dei. Cunctantem bella subire
Armigeri suasere ducem: fortissimus olim
Ariarith, et Ziper melior: duo maxima belli
Fulmina, Massylae quos tunc tenuere phalanges,

Et uirtute pares, et fatis compar uterque.
Tunc Ziper securus ait: Succurre Latinis,
Maxime ductorum: socii fera proelia campis
Miscent; sed denso rari turbantur ab hoste.
Imprimit hos numerus: socios in bella sequamur.
Arma cape, et succurre tuis. Hic fortis amore
Ariarith exarsit pugnae, cogitque morantem
Signa mouere ducem. Fidi qua uoce ministri
Ductoris compulsi animi, gemit horrida cantu
Buccina letifero, turmasque in proelia cogit.
It bene comta manus, frustra quae fata premebat.
Sic placitum tibi, summe pater, dum laedere uelles
Peccantes Libyae populos. Delicta fuere
Tanti causa mali; fuerat non culpa regentis.
Carcasan longe glomerari puluere nubem
Prospiciens, proprium Nasamon ciet impiger agmen;
Talibus et dictis trepidantia pectora firmat:
Indomitae gentes, quarum me cognita uirtus
Romanas acies armis tentare suasit,
Haec est illa dies uobis, qua corniger Ammon
Promisit fatale solum. Nunc ite per hostes
Intrepidi telis: patrias modo pandite laudes;
Quisque manu pugnate truces, et fidite fatis.
Numina magna iuuant: dabitur uictoria nobis,
Credite, certa, uiri: turpem remouete pauorem,
Et solitas uires animosque in proelia ferte.
Vix ea Carcasan: clamor per castra cucurrit
Syrtica terrificus, saeuo crepitante tumultu:
Marmaridae fremuere acies. Sors dura furores
Incitat, et saeuas stimulat bellona cateruas,
Barbara sanguineo compellens terga flagello.
Tunc rabie fera corda tument. Iam linquere castra

Coeperat innumerus sonipes, camposque tenebat.
Amnis erat medius, bellorum fraudibus aptus
Massylisque dolis: densum nemus impedit arma
Frondibus implicitis: steriles tenuere myricae
Inuisas ualles, foliisque oleaster amaris.
Marmaridae hic acies, acies in parte Latinae,
Aduersae stabant, et tristia bella ciebant.
Militis arma nemus ferrumque uolatile ramis
Impedit oppositis, tenuis nec transit arundo
Praeualida compulsa manu, nec flectit in hostes
Liber equum domitor, longo nec ludere pilo
Implicitus strictis miles ualet undique ramis.
Sollicitos locus ille duces, cautumque magistrum
Abstinuit bellis, aciesque ibi stare coëgit.
Continuere gradum: non se committere quisquam
Ausus, in abrupta tenuit uestigia ripa.
Ductor adit uirtute locum * * * * * *
Armigeris tentare parans * * * * * * * *
Qua ualeat transire uia * * * * * * *
Condensos saltus * * * * * * * * *
Occultus Nasamon * * * * * * * * *
Et tutum seruatur iter * * * * * * *
Fida manus compressa fuga * * * * *
Aduentu properate feri, nec missile torsit.
Aduersum Nasamona uidens, fugit illicet austro
Ocior, et somno uisa non tardior umbra.
Certior ecce uolans magno tunc fama magistro
Pacificos retulit iam linquere proelia Mauros,
Compulsos terrore graui; iussuque Iohannis
Consilio Paulus sapiens, et Amantius una
Accelerant releuare uiros. Vestigia nusquam
Maurorum tunc uisa; metu nec proelia Mazax

Respexit fugiens, faciem nec torsit in hostem.
Tunc uersi fugere duces; pauidique tribuni
Discedunt cuncti, dimisso ad bella magistro.
Insequitur sparsas acies tunc uictor Ilasguas.
Clamor it, alta petens. Tunc pars inimica resoluit
Vallibus e mediis per latos agmina campos.
Dirupto, credas, subito telluris hiatu,
Subrexisse uiros. Circumdant signa, ruentes
Hinc atque hinc, sparsosque super tot millia currunt
Densa duces; iunctisque dies excluditur hastis,
Et campos late noctis pressere tenebrae.
Dat gemitum miseranda manus, telisque cruentis
Per campos funduntur equi: furit impiger hostis
Asper et immitis. Posset genus omne Latinum
Illa dies una pariter quassare ruina:
Ni pater omnipotens, caelo miseratus ab alto,
Romanas acies tanta inter millia seruans,
Saluasset magni fugientes uoce Iohannis;
Namque, uidens socias campis desistere turmas,
Talibus, ore tonans, dictis exaggerat iras:
Si morimur, socii; si fors suprema Latinos
Sorte trahit, saeuisque parat prosternere bellis:
Feminea cur morte cadam? Si uita superstes:
Cur timidus fugiam? Frenos iam flectite, ciues:
Figite signa, uiri: furias consternite gentis;
Et pugna tentate truces. Aut uincimus hostes,
Si Deus ipse uolet: uel si delicta resistunt
Partibus aucta meis; propria non laude caremus,
Dum morimur. Reuocate fugam: iam stringite ferrum.
Me, faciat, quod quisque uidet. Sic fatus, acerbo
Dentibus infremuit uultu; capulumque coruscum
Corripuit, gladiumque furens ad uulnera traxit.

Ad uocem pars certa redit. Tunc proelia surgunt
Aspera, et assiduo discurrit lancea nimbo.
Loricae galeaeque tonant, gemit ictibus umbo
Aereus; et, ruptis inter praecordia uenis,
Purpuream fundunt animam. Virtute superbus
Ziper, acerba furens, ibat per tela, per hostes,
Syrtica letiferis prosternens agmina telis;
Et Sulumur pariter, fato sed impar uterque,
Pectora multorum contra uenientia longis
Transfodiunt contis; trepidum iecur inserit hasta,
Corque uirum; uolucri fundunt caua tempora ferro.
Diripit ille caput, medium femur amputat ille.
Non aliter geminos spectassent ora leones,
In medios saeuire greges. Tunc unguibus atrox
Diripit ille gregem; nunc dentibus ille cruentis
Frangit molle pecus, tepidoque in sanguine gaudet.
At parte ex alia Bulmitzis, et Ariarith ingens,
Dorotisque ferox, ac armiger ipse Iohannis
Funera per latos contra uenientia campos
Vulnere fundebant. Vario mucrone superbus
Ille furit; pilo melior ualet arduus ille.
Hic torquet rigidas neruo stridente sagittas;
Hic fremit arte potens, et telis pugnat utrisque.
Ipse inter medios ductor mucrone coruscat
Fulmineo hostiles arcens terrore phalanges.
Carmina non aliter referunt, per bella gigantes
Armatum tremuisse Iouem, cum fulminis ictus
Perderet horribiles flagranti uulnere fratres.
Vinceret illa manus, ni nunc fortuna negasset
Successus irata tuos. Iam crescit iniquis
Innumerosa manus: peditum uenere cateruae
Marmaridum. Densum circumuolat undique ferrum,

Stipitis et grauidi robur, lapidesque minaces
Fulminis instar erant. Latet atrox puluere campus:
Vix sua tela potest pressus iam cernere miles.
Obnixus ductor contra omnia tela resistit,
Vertere terga uetans. In agro, impendente tumultu,
Armigeri cecidere duo: cadit Ariarith ingens
Missile non uno, et centum per uulnera Ziper.
Magnanimus duro uenientis cominus ictu
Ductoris transfixit equum: quod missile, dextra
Acris equi rapiens fortis de corpore ductor,
Fregit, et in faciem furibundus dirigit hostis.
Hic fusos socios, et iam sua uulnera cernens,
Infremuit ductor: tunc se per ardua terga
Composuit sublatus equo, uultuque minaci
Terribilis densum dirupit concitus agmen.
Efficit ense uias inimica per agmina ductor
Cum sociis: acies pulsat terrore magister:
Post tergum redeunt. Spatium sibi uindicat heros;
Atque suis iter in medios tunc dirigit hostes,
Disponens per signa uiros; arcetque sagittis
Massylas acies. Nulli temptare furentem
Iam potuere uiri. Sequitur quicumque magistrum
Vulnera conuerso redeuntia suscipit arcu.
Aduersus quis forte petit per pectus anhelum,
Longius erecta transfixus funditur hasta.
Qui lateri ueniunt, iaculis uolitantibus, acres
Dant animas, utrumque latus diffindit arundo.
Tunc, metuens Nasamon ductoris iungere signis,
Cessit, et in latos ferus ex indagine campos
Spargit equos; illosque necat, qui signa fugaces
Deseruere, uiros, et primi martis acerbas
Extimuere minas, ac uersi terga dedere.

Dux erat egregius, ductoris nomine fulgens,
Nec uirtute minor, Romanis clarus in armis.
Hunc procul ut ductor, fugientem proelia, latis
Prospexit campis, tali sic uoce secutus:
Haec est uestra fides? Sic proelia mouimus (inquit)
Vt pereat Romana manus? Nunc deseris arma?
Quo ruis, infelix? Per te miseranda iuuentus,
Famaque nostra perit. Ductoris uocibus ille
Erubuit, durisque dolor simul ossibus arsit.
Tunc pudor infaustus, gentes spectare sequaces,
Impulit. Hostiles cupientem rumpere turmas,
Vrguebat mors saeua uirum. Defendere certat
Oppressos socios: uictor iam sternitur hostis:
Eripitur uictus: mutantur fata cadentum.
Audentes fors prima iuuat: iam caede superbus
Perfurit, et uariis prosternit corpora fatis.
Mater ut Hyrcanos catulis furit orba per agros
Tigris anhela suis, raptos quos forte cubili
Caucasio subtraxit eques. Spectacula Persis
Regibus ille ferens, ferrata calce fatigat
Cornipedem pauidus. Similis tunc illa marito,
Et leuior zephyro, teneros dolet aspera foetus,
Atque uolat. Sic dux populis concurrere certat.
Hic rapit ense caput morientis; missile torquens
Eminus, hunc sternit; ualido per pectora conto
Percutit hunc; minitans, tremula transuerberat hasta
Alterius clipeum pariter, palmamque, latusque.
Ille femur moriens despectat uulnere raptum,
Parte cadens, iuxtaque dolet sua membra superstes.
Saucius ille iacet, casu confractus equino,
Confossusque super sonipes: cruor emicat alte
Spumens, et tepidis currens miscetur arenis:

Mille modis feruens spargebat uulnera uictor,
Fortuna praebente uias: iam lassus anhelans
Fumat equus, cursusque negat. Maurusia crescit
Adueniens acies: Camalusque, Cerausque sequuntur,
Stontaus atque ferox. Ingens exercitus hostem
Ambit; et anterior conturbat lancea campos,
Densa uolans: iaculis clipeus uenientibus obstans
Aere gemit, raucumque tonat: clamoribus instant,
Conturbantque uirum. Fixsus contexitur umbo
Missilibus densis: ipso iam tegmine subter
Pondere telorum premitur, fessumque fatigat
Silua grauis, turbaque super ueniente laborat.
Paulatim excedens, uicinas litoris oras
Arte petit, dextrumque latus subuendicat undis
Aequoreis, laeuum gradiens umbone tuetur
Tergaque. Tunc telis faciem defendit iterque.
Vt leo uenantum, trepida uallante corona,
Impauidus uirtute fremit, rictuque tremendo
Murmura conciliat, saeuas dum concitat iras,
Erecta uirtute furens: nec currere contra
Est animus uirtusue uiris; sed uocibus hostem,
Et tantum in tectis pertemptant longius hastis.
Non secus ille furens, turbis compressus, abibat,
Litora curua tenens, clipeoque hastilia uitans.
Est locus in mediis longe praeruptus arenis
Fluminis in morem; pelagi quem margine fluctus
Alluit, atque undis agros concludit amaris,
Egrediens; quibus alga locis limusque relabens,
Atque altum tremulo nutrit sub gurgite coenum.
Huc ubi peruenit, nigras equus horruit algas,
Et pauidus post terga redit. Tunc naribus afflans,
Erexit geminas (signum formidinis) aures;

Datque latus, fumatque ferox, oculosque retorquet
Prospiciens; nec dirum audet temptare periclum.
Finierat spatium uitaeque uiaeque, repugnans,
Dux, heu! magnanimus. Sequitur clamoribus hostis
Densus, agens turbansque uirum. Tunc calce frequenti
Pulsat equum, geminos et magnos concutit armos.
Extulit impulsus sonipes, cursuque negatam
Temptat adire uiam, absortusque uoragine mersit
Ipse cadens, dominumque super gluttiuit hiatu
Terra nefanda fero, rapuitque ex hoste receptum,
Suscipiens fortuna uirum; ne staret inermis,
Aut humilis precibusque rogans; tribuitque sepulcrum,
Ne nudum in Libycis iacuisset corpus arenis.

FLAVII CRESCONII CORIPPI

AFRICANI GRAMMATICI

IOHANNIDOS SEV DE BELLIS LIBYCIS

LIBER SEXTVS.

Interea ductor, munitis agmine signis,
Iam tutum carpebat iter; sociisque reductis,
Successit paruae defessus moenibus urbis.
Hic populi satiata fames; post bella salutem
Hic licuit sperare uiris; hic ardor equorum
Pulsus aquis, tristisque fames per pabula cessit.
Fouit equos olim sitiens per flumina miles,
Optatis gauisus aquis; casusque priores
Commemorans, gelidis infundit corpora lymphis.
Percipiunt epulis paruo post tempore uires,
Laetificumque bibunt post tristia bella lyaeum.
Nox terris nunc acta ruit, mundique labores
Distulit, obscuro confundens omnia caelo.
Hanc sequitur madidus curis solatia somnus
Dulcia tunc referens, tacitisque amplectitur alis.
Soluerat effuso nutantia lumina cornu
Noctis amica quies. Tunc corda, oblita malorum
Atque sui, iacuere uirum; nimioque labore
Cetera defessis proflabant corpora membris.
Dux tamen insomnem, turbato tempore, noctem
Protrahit, innumeras uoluens sub pectore curas.
Concussus pietate pater, tot funera deflens,
Ingemuit, lacrimasque dedit. Recinarius illic
Solamen ductoris erat, sociusque laborum.

Hic mala mista bonis, partem semperque ferebat,
Non humili cum plebe iacens, grauitatis amicus,
Et uirtute potens, animamque exponere numquam
Pro patria timuit. Nouit ferus omnia Perses
Facta uiri, ingenium, uires, consulta, labores,
Martis opus clarum, pacemque, fidemque benignam.
Nouit in infensis quae fecit et Africa Mauris.
Nouit et ipse pater secum tolerasse labores
Saepe uirum. Sic creuit amor, sic grata uoluntas
Inter utrumque manet. Patrem putat ille Iohannem;
Iste putat genitum proprio de sanguine natum.
Ergo inter sese tristis narrabat uterque,
Peruigil infausti referens pia funera campi.

Dux prior haec: Vana est hominum uigilantia certe,
Non uigilante Deo; propriis non uiribus ullus
Vincere bella potest; solus, qui conterit hostes,
Omnipotens, qui cuncta mouet, uertitque, ruitque,
Non tantum celso nimium Romana propago
Inuisa est Domino tanta inter milia, pressos
Quod uoluit saluare meos. Reparare ruinam,
Accelerare placet, pugnam tentare repente;
Dum uictor securus adest, uictumque fugacem
Esse putat. Victi quotiens uicere superbos
Marte uiros! Datur et paucis uictoria maior.
Consule, care: magis nostris quid competat armis.

Tunc placidus grauitate sua Recinarius ora
Soluit amica duci, referens consulta, iubenti:
Diuinum spectare, pium est, o summe magister,
Auxilium. Pugnas iterum tentare, quid instas?
Virtus nota mouet, magnaeque potentia dextrae:
Non tamen ambiguis caput obiectare periclis
Nunc opus est. Hostes fecit fors saeua superbos

Audacesque iuuans: fugientum proelia semper
Frigent corda metu; mortis confracta pauore
Virtus magna timet; belli sufferre tumultus,
Paucorum est: post bella magis, quae caede recenti
Concussere uiros. Sparsa est pars maxima nostra,
Sed manet incolumis. Nunc fortes collige, ductor;
Et uires reparare iube; gentesque require:
Alterna de parte ciens, quae nostra fideles
Foedera semper habent. Has motis praecipe cannis
Et signis se aperire suis: exercitus omnis
Conueniens sic tutus erit: uenalia quippe
Inueniens, quaecumque uolet: pecuaria secum
Multa trahunt gentes. Venient ad litora puppes,
Et cererem bacchumque ferent: iam tempus apertum
Aequor habet. Quassas reparabunt agmina uires,
Oblitaeque metus renouabunt proelia turmae.
Consilium placuit; fidique magister amici
Optima dicta tenens, celeres mandata ministros
Ferre iubet cunctis. Sonipes discurrit ubique,
Ductoris praecepta ferens, gentesque suosque
Praecipitanter agunt. Nullus per bella repulsus.
Sic potuit renouare celer fera proelia ductor,
Quiuit ut, egregius uigilanti corde Iohannes.
Non illum fortuna prior, mauorte secundo,
Inflatum erexit; nec nunc contraria fregit,
Immotum uirtute sua. Iam roscida surgens
Oceano gelidas aurora remouerat umbras.
Ductor, ut albentem uidit consurgere lucem,
Lauit aquis geminasque manus, uultusque gerentes
Puluere concretos, hesterno marte, capillos;
Orauitque ferens palmis haec uerba supinis:
Omnipotens genitor, uirtus et gloria rerum,

Certa salus, mundique sator, qui foedere certo
Omnia disponens, uertisque regisque mouendo,
Tempora permutas, nec tu mutaris in illis;
Quatuor explicitum uoluens successibus annum,
Bissenisque diem claudens aequalibus horis;
Ordine cuncta nouas, nec tu renouaris ab ullo,
Idem auctor dominusque manens, et conditor orbis:
Credo, summe pater, tua sit quod magna potestas,
Et fateor. Miseras gentes sua pessima fallunt
Numina, quae credunt: permittis saepe probari
Ipse tuos; pietate tamen celer erigis idem.
Appropia, fessisque tuis solatia praesta.
Erige Romanas acies; prosterne superbas
Massylas, quae bella uolunt; nostraeque ruinae
Festinus succurre, precor; et consule, rector.
Haec orans, uultus lacrimis implebat inundans.
Concussus pietate pater; Libyaeque periclum
Sollicitus pensans, iterumque iterumque gemebat.
Hic pater omnipotens lacrimas et uerba dolentis
Suscipiens, Latias uoluit recalescere uires.
Adueniunt socii, martis quos sparserat horror
Hostilisque metus. Multos tunc esse magistro
Incolumes referunt, uictos sperare salutem.
Gaudia parua salus sociorum audita creauit,
Solamenque mali. Ductor tunc contrahit omnes,
Aere ciens. Rara trepidi cinxere corona.
Circumstant tristes, lacrimasque in pectore fundunt.
Quos bonus affatur miti cum uoce magister,
Exhortans, releuansque uiros; et talibus infit:
Non lacrimis, iuuenes, animos confringere fortes
Est opus in bello. Numquam Romana iuuentus
Frangitur aduersis. Nimium cur fletis, amici?

En socii ueniunt mediis ex hostibus omnes
Incolumes! alios autem superesse docentes.
Si uiuunt socii, nihil est, quod quisque sub hoste
Amisisse putet. Praedam quam forte doletis
Nunc uobis rapuisse uiros, seruata manebit,
Augeturque magis. Tumidos quos cernitis, hostes
Caede leui discent grauiter, quid proelia possunt,
Romanusque uigor: tunc uestras tollere praedas,
Maurorumque simul, solita uirtute, iuuabit.
Soluite moerentes animos, expellite curas,
Indignosque metus uestris arcete, Latini,
Pectoribus. Veniet rebus uictoria uestris.
Laetificans alios, referebat talia ductor;
Ipse docens uultus hilares simulabat amicis;
Spem dabat aspectu, curas nam corde premebat.
Inde petens campum, Romanum contrahit agmen;
Disposuitque duces, numeros, fortesque tribunos
In proprios remeare locos, reparare fauendo
Quadrupedes fessos, pugnam sperare sequentem.
Corripit ipse uiam, gradiens per litoris oras,
Quo socios posset uictu reparare diurno.
Inde superna petit contemtis moenia ripis.
Vrbs Laribus mediis surgit tutissima siluis;
Et muris munita nouis, quos condidit ipse
Iustinianus apex orbis dominator eoi
Occiduique potens, Romani gloria regni.
Huc socios ductor celeres occurrere iussit,
Atque duces gentesque, sibi, quas ipse fideles
Nouerat esse suis primo in certamine signis.
Nuntius infelix Tyriam concusserat urbem,
Proelia dira ferens, et saeui funera campi.
Obstupuere quidem; sed spes fidissima rebus

Vna fuit: saluum retulit quod fama magistrum.
Coniugis interea miserae peruenit ad aures
Haec eadem pinnata ducis. Stupefacta relinquit
Corda calor, subitoque tremens oppalluit ore.
Mox miseranda cadit: caelum terramque tenebris
Eripuit cum luce dolor. Tunc mortis imago
Clausa diu tenuit resolutis lumina neruis.
Accurrunt famulae, dominamque leuare cadentem
Nituntur celeres: refouent et pectora palmis.
Spiritus in gelidis tenuis recalescere membris
Vix potuit; manibusque suis erecta, resedit:
Nec mouet obtutus, amens et saucia luctu,
Immemor atque sui. Mentem mox fessa recepit,
Ceu dubiam. Primo luctus sic orsa dolore est:
Cor dolet, et nullas effundunt lumina guttas.
Cur miserae nullas prorumpunt ora querelas?
Luctibus in tantis animi dolor excidit ardens,
An dolor ipse magis lacrimas et uerba negauit?
Me ne peregrinam sors haec miserabilis urgens,
In Libyam duxit, pelago terraque secutam
Coniugis arma mei? Cur non per bella cucurri?
Nunc pariter miseros caperent, fors, saeua sepulcri
Claustra duos, ruptae subito telluris hiatu.
Dulcia consertis strinxissem pectora palmis,
Miscuissemque simul, corpus complexa mariti.
Dulce mori! Misero possem comes ire per umbras.
Atque utinam fatis licuisset cedere amanti!
Ah miserande, iaces externa clausus arena!
Quem gentes tremuere ferae, uirtutis adegit
Causa mori. Quidnam, populo fugiente, redire
Solus, et innumeras uoluisti pellere turmas?
Heu nimium confise tui! Quo uersa recurram?

Quoque ruam? Auxilium cuius captiua rogabo?
Tu miserere, precor. Tecum transire profundum
Non timui secura tui, cum feruidus auster
Iactasset trepidas, fluctu surgente, carinas.
Te sine per duras potero remeare procellas,
Infelix coniux, tanto uiduata marito?
Oh mihi si medios rupissent prospera luctus
Fata, trahente die, tantos nec ferre labores
Passa diu! Mors saeua foret, sed sorte recenti
Manibus ore mei fruerer sociata Iohannis.
Sidoniam tantis implebat luctibus urbem,
Cum lacrimis miseranda gemens: ululatibus augent
Ardua tecta sonos. Cunctorum lumina salsos
Effundunt fontes, gemitus pia pectora rumpunt.
At pater, alternans omnes uix ordine curas,
Sollicitus rerum, patriaeque, suaeque salutis,
Agmina cuncta mouet. Latis incedere campis,
Et forti properare duci, ueneranda senectus
Euigilanter agit populos: reuerentia tanti
Pulsat amorque uiri; grauitas, seniumque, laborque,
Verbaque blanda iuuant, tristes mulcentia mentes.
Ergo tot proceres genitor tunc ire iubebat,
Et socios urguebat agens; fortique magistro
Consilium gratus senior mandabat amicum;
Nec non egregius, dispensans omnia, Petrus,
Ceu foret ille senex, magno mandata parenti
Ferre iubet celeres, iterumque referre, ministros.
Quam reuerende puer! Libyen cum patre tueri,
An patris pietas animum mouet? Hoc ego, quicquid
Esse putent, dicantue, ratus: mirabile signum est,
Has, puer, ut tenero discernas pectore curas.
Iam gentes rumore tuo pauitantque tremuntque,

Deficiuntque metu, palmis oculisque timorem
Audito parui signantes nomine Petri.
At famuli pariter cura praestantius omni
Pro rebus magnoque laborant quique magistro,
Pellentes dubias exire in proelia turmas;
Hortanturque uiros, flectuntque mouentque docendo.
Hic prece nunc socios, asper nunc increpat ille.
Odit amare moras angusto in tempore ciues.
Quippe dolor, pietasque uirum, magnique Iohannis
Pulsat amor mentes. Placido modo pectore uultus
Versat, et absentes animis auditque uidetque
Sollicitus; dominumque rogat pro nomine tanti
Proque salute ducis. Pauitat, secumque uolutat,
Atque, animis tam dura putans, pia corda fatigat.
Quo pater ille modo, quo nunc Recinarius una,
Scilicet infando tristantur pectora casu.
Ardet adire uiam, dilectas cernere turmas,
Oscula uel plantis optans libanda magistri;
Cunctaque disponit, cura bene cautus in omni.
Plaustra gemunt onerata uiis, altisque camelis
Feruet iter, ferrum resonantia concutit aera.
Omnia per latos conuectant horrea campos,
Armaque multa uiris more expendenda Latinis.
Iamque duces hinc inde ruunt, fortesque tribuni,
Victricesque ferunt aquilas, atque agmina densant.
Mittitur et solers geminas componere partes
Stephanides iuuenis, discreta mente, Iohannes.
Namque inter sese duri iam semina belli
Saeuus Ifisdaias, et fidus Cusina functi
Tunc habuere odiis. Bellum iam corda futurum
Coeperat alterno succendere barbara motu,
Inuidia geminante iras. Hunc ergo magister

Inter utrumque iubet placidam componere pacem,
Et sedare uiros, ipsasque arcessere gentes
Subsidio rerum: nec duras flectere mentes,
Aut animos alius posset placare feroces.
Hic poterat rabidas uerbis mansuescere tigres,
Atque feros, facili mulcens sermone, leones,
Serpentumque malum dictis arcere uenenum.
Distulit ille tamen alterna parte furentes,
Compressitque nefas, et pactum gentibus auxit
Arte noua. Quos saepe metus, quos ille labores
Inter utrumque tulit, tantas dum flecteret iras!
Pro patria libuit tot saeua pericula ferre
Composuit gentes, pariterque ad proelia mouit.
Conuenit ergo fremens, uariis ornatus in armis;
Innumerasque acies Maurorum in proelia ductor
Cusina fidus agit. Comitantibus omnia carris
Arua gemunt: solidant latos uestigia campos.
Ille duces proprios triginta fortior armat;
Et quamuis numero milleni quemque sequantur,
Romanis gaudet sese tamen esse magistrum
Militibus medium, quos princeps maximus orbis
Ipse dedit pacis socios, pugnaeque ministros.
Illis fretus erat, gentesque et bella domabat,
Venit Ifisdaias centum cum millibus ardens,
Aurasii et latos campos impleuit et arua;
Sed numerus uirtute minor. Tamen ornat in armis
Hostiles acies, uisu terrente, per hostes,
Proelia dum miscent densis asperrima telis;
Auxiliumque dedit rebus famulatus Iaudas,
Cum nato comites bissenis milibus armans.
Omnia castra simul praefectus Bezina ducit;
Conueniens agrosque suis pecuaribus implet.

Ductor, ut innumeris firmauit robore turmas,
Signa mouet, gentesque feras diffundit ut amnes.
Proelia dura petens, campis Mammensibus Austur
Rustica funereis sternebat corpora telis.
Byzacii partem rapiens, praedamque secundam;
Antalas rursus proprium tunc iunxerat agmen
Partibus aduersis, seseque in bella ferebat.
Nuntia pennatis uentos transuerberat alis,
Syrtica castra petens: uenientis fama magistri
Cuncta per ora uolat. Tumidos modo territat hostes,
Aspera uerba canens, tantasque ad proelia gentes
Praesidio uenisse ducis: modo concitat iras.
Dum ferus imbelles Antalas esse cateruas
Maurorum, signis qui se iunxere Latinis,
Arte refert solita: Carcasan obuius ire
Tunc uoluit feruens. Reuocat Guenfeius hostis,
Consiliis uerbisque docens; haec insuper addit:
Vincere si quaeris Romanos, maxime rector;
Accipe dicta libens, quae sint peragenda, salutis.
Non opus est istis committere proelia terris.
Fortis adhuc miles, nullis concussus et asper
Exitiis, per bella furit. Nec marte furentes
Ferre quibus populis poteris, nec stare Latinis
Ante fame. Sed castra moue, retroque fugaces
Finge uias. Sequitur nostras exercitus ingens
Quippe fugas; quaecumque uirent, attriuimus, arua.
Aut illi nihil inuenient, aut spargitur hostis,
Deficietque fame. Fera tunc si proelia tentes,
Victor eris, uictosque fames ferrumque necabit.
Consilium infelix placuit; fossasque leuauit.
Insequitur fortis fugientia castra magister,
Ingeminans iter omne suum. Iam proximus hosti,

Proelia tentabant iunctis committere signis.
Sed, quia ductori nec dum concesserat horam,
Distulit arma Deus, melioribus apta triumphis.
Namque per extensos pergebant agmina campos,
Puluis et aduersi apparebat certius hostis
Haud procul esse uiris. Virtus crescebat acerbis
Mentibus, et pugnam iam iam tentare parabant.
Cum subito calefacta dies, nam phoebus anhelis
Altior ibat equis, medio libratus in axe,
Vindicat umbra duas breuior quo tempore plantas.
Africus igniuomus terrasque exurere flabris
Incipit, et populi uires furiasque resoluit.
Flamine cuncta rigent igniti corpora uenti;
Aret lingua uiris, facies rubet, altus anhelat
Pectora pulmo ciens, mittitque e naribus ignem;
Aspera subtracta feruescunt ora saliua,
Et furit exustus siccis in faucibus ardor.
Omnis ab internis humor fluit anxius extis,
Perfunditque cutem, quem mox exiccat iniquus
Aëris ipse calor, tepidumque a corpore sumit.
Vidit ut hoc ductor, dilato marte, Iohannes,
Castra super dulces posuit sitientia fontes.
Confluit ad gelidas ardens exercitus undas,
Incumbuntque siti. Quo more canalibus horti
Innumerae densantur apes, cum sole sub alto
Iam sese e pastu referunt; riuoque fluenti
Mellificum bibit agmen aquas: sic igne perustum
Per ripas ruit omne genus. Non frena retardant
Cornipedes domitos; non, quae super ora, camelos
Vincula rara tenent. Mistum genus omne bibebat
Vndiuagos latices. Ardent, sitiuntque bibentes.
Hic genibus fixis, manibus bibit ille cauatis;

Pronus aquas alius lambit de flumine lingua.
Ille cadum potans; pateram tenet alter, et urnam.
Flumina iam minuunt: ipsas impressat arenas
Belliger ore, super foedant quas saepe mouendo
Quadrupedes; mistasque fimo nec respuit undas
Turba siti feruens: miseros sic flatus agebat.
Syrtica castra tamen, nimio turbata pauore,
Saeua sub alternis urebat flamma periclis.
Namque super uento grauior timor ipse fatigans,
Ingeminansque sitim gentes pellebat amaras;
Ire procul retinet sed uictos africus, igne
Impediens, populos. Captiuos comprimit Afros
Horrida mors miseros: praedo urguet, flamma retarda
Lancea terga ferit; miserorum pectora turbat
Africus, igne calens: campis prostrata cadebat
Turba gemens; moritur uariis per deuia fatis.
Hic uenti flammis, hic saeui uulnere ferri,
Hic ab utroque cadit: gladii non corpora fundunt,
Halitus in summo tenuis quibus ore remansit.
Iam grauior flatus ueniens, Maurusia turbat
Corpora, morte premens. Misti per prata cadebant
Fessi quadrupedes: uitam mors saeua negabat.
Sed tamen infensas urguens timor ire cateruas
Per deserta iubet; nec iam sua castra locare
Permittit terror, sed longas pellit ad oras
Massylas gentes. Bisquinos africus ignes
Auxerat igniuagis exurens cuncta procellis:
Tot fugiens hostes acies inimica diebus,
Se procul a fessis posuit terrore Latinis.
Ductoris iussu, hostes explorare tribunus
Caecilides, numero pariter comitante feroci
Victorum, egreditur, quibus hic uirtute placebat.

Forma uiri magno fuerat iam nota magistro,
Non minor Herculeis prosternens uiribus hostes.
Hic leuitate celer, nimia uirtute tremendus,
Consilio maturus erat. Maurusia quamquam
Obsidione uias gens aspera clauserat omnes;
Ille tamen melior cunctis percusserat armis
Saepe feras gentes. Tremuit prostratus Ilasguas
Marte uirum; tremuit Frexes, et Naufur anhelus;
Vandalicae gentis timuit tunc ille tyrannus.
Diligit hunc fortem nimium pater ipse magister.
Ipse laborantem propriis prospexit in armis:
Nimirum captos suscepit marte rebelles
Illius e manibus. Nouit Romana iuuentus
Fortia facta uiri, tantis gauisa trophaeis.
Ergo missus abit. Vinci populator iniquus
Arua tenens uicina mari, securus et errans
Omnia submissis urebat praedia flammis.
Temperat ille suas noctis per opaca latebras,
Sollicitaeque celer successit moenibus urbis,
Hostes per medios: tanta est fiducia ferri.
Non ignota cano. Timuit non ille periclum
Pro patria superare sua. Sic, iussa magistri
Perficiens, tantos potuit sufferre labores.
Ingreditur portas, hostis secreta requirit,
Circuit hostiles digressus in ordine fossas;
Cognoscitque locos, per amica silentia lustrans.
Hinc redit ad socios: magnum petit inde magistrum.
Iamque per innumeras euaserat ipse cateruas
Praedonum impauidus. Postquam tentoria longe
Marmaridum uidit, saeuaeque pericula gentis
Non super esse suis; et passim comperit hostes
Deuastare locos: animus consurgit in iram;

Et sociis, sic orsus, ait: Si dicta feremus
Sola duci, non plena fides est; nam, loca tantum
Quae teneant fossae, cuncti nos scire fatemur.
Consilium gentis summo perferre magistro,
Vtilitas haec rebus erit perfecta Latinis.
Tempus adest, socii: raros iam uidimus hostes.
Tum locus est, quo cuncta duci manifesta resoluant
Carcasan arcana sui. Nec plura locuto
Obuius ecce uenit Tarincus, belliger ille,
Terribilis quondam nostris, stipante caterua.
Hic pinnatus erat: non quem placauerat ante
Ensipotens Solumuth; generis tamen asper uterque
Sanguine proximior sese per bella ferebat.
Hunc ubi, prospiciens, contra Liberatus euntem
Vidit, et erectis tentantem proelia dextris;
Irruit ipse prior, turmasque inuadit equestres.
Inde ferum Veuman ualido per pectora pilo
Transadigit; Marzinque neci, nigrumque Lamaldan,
Et Zeias dedit ense graui; fortemque Tifilan,
Et Burcanta, Nathunque ferit, Sarzunque, Tilinque,
Ensiferumque Nican; comites quîs mittit ad umbras,
Terribilem Asan, et uibrantem missile Dextrum.
Audacem Tafaran Petrus confixerat hasta,
Quem petit infensis luctantem Iammada telis:
Hunc tamen exceptum Petrus mucrone peremit,
Verticis alta rotans truncatis timpora neruis.
Altisan Stephanus, Tarah ferit ense Iugurtam:
Muriferum Priscus, Ielidassenque Carosus:
Siluutis Zembrum, Gregorius inficit Auspur,
Vulnere perfodiens contortae cuspidis inguen.
Victa phalanx uersum dederat Maurusia dorsum
Victorum sequitur miles, ueloxque tribunus.

Surgit ad aethereos nubes densissima campos,
Puluere facta fugae. Duro sonat ungula cornu,
Et latet aspersis campus coopertus arenis.
Cornipedum fodiens densis calcaribus armos,
Hostis uterque uolat. Sequitur tunc agmina puluis,
Significatque uias. Dirupto carcere, uentus
Non aliter teneras flatu conuoluit arenas;
Cum tumidus boreas, Scythica iam liber ab aula,
Perfurit in campos: turbo uolat horridus ante,
Contortus uirtute noti; gyroque coactus,
Vertit arenosas, conturbans aequora, terras.
Iamque secutus erat miles fugitiua per agros
Agmina, marte furens; bellatricesque cateruas
Spargebat tepido fundens per gramina ferro.
Despicit ipse tamen, dedignaturque tribunus
Sternere caede uiros; uiuos sed prendere certans,
Veloci uolitabat equo, pilumque retorquens,
Grandia percussis iactabat corpora membris.
Quatuor electos rapiens ex agmine Mauros
Vinxit, et implicitis praestrinxit brachia nodis;
Seruauitque uiros, magno secreta magistro
Qui referant, linguisque suis arcana resoluant.
Varinnum prensis rapuit uirtute capillis,
Et suspendit equo. Tremuit, dextraque pependit
Infelix Nasamon; quem protinus ille remissum
Strauit humi, ueloxque super fera pectora sedit,
Descendens leuitate sua, tortisque lacertis
Aspera per geminas substrinxit uincula palmas.
Ducitur hinc uinctus, manibus post terga reuinctis,
Cum sociis Varinnus atrox, uultuque remisso.
Ductoris stetit ante pedes. Tunc omnis in illum
Turba coit, currens, studio Romana tuendi;

Massylique duces cupidi condiscere causas;
Et quae sit manifesta fides, uictorque referre
Caecilides, sic iussus, ait: Tua maxima seruans
Optime iussa ducum, Christo pugnante, cucurri
Per medios hostes; et castra feralia uidi,
Quae fixere uiri miseri inuicte ensibus aruis.
Ingressus trepidam, bellis cingentibus, urbem
Condolui: illic magna tamen miracula uidi;
Namque iacent nullis circumdata moenia muris,
Praesidio munita Dei. Nam turribus illam
Ardua pinnati defendunt culmina tecti.
Mansuescit gentes, uerbi uirtute, sacerdos:
Sic parat indociles caelestis gratia mentes.
Ille potest monitis rabidos lenire leones,
Et placare feras: mansuescunt corda luporum,
Atque auidis teneros non laedunt morsibus agnos.
Hortaturque simul, iubeas properare, sequendo
Proelia, Romanis confidens prospera rebus.
Si uenias lacrimis non desinet ille precando
Pro populis, armisque tuis, castrisque Latinis;
Exorans iugiter, nostros ut conterat hostes
Omnipotens, humiletque tua uirtute superbos.
Hos ego digressus nimio sudore rebelles
Detinui, qui cuncta tibi secreta resoluant
Gentis iniqua suae, doceantque ex ordine mentem.
Finierat dictis, quae gesserat, acta tribunus.
At ductor uinctos iamdudum lumine toruo
Despiciens, iratus ait: Qui mentibus ausus?
Dicite, furciferi. Quae uos sors dira coëgit
Hinc Libycos bellis iterum remeare per agros,
Et uetitas tentare uias, solitisque rapinis
Poenorum spoliare domos, gentesque Latinas?

Carcasan uicisse putat? quem tempore certo
Subiiciet post bella Deus; uinctumque uidebit
Plebs Romana, suis captiuatumque sub armis.
Ante tubam, memora, quis mentem terror adegit,
Insidias, uestrosque dolos, fraudesque tueri?
Tunc Nasamon pinnatus ait: Me cuncta fateri
Iussio dura premit. Mortem licet ipsa minentur
Verba mihi meritam; narrans, tamen omnia dicam.
Carcasan nostris dux est fortissimus armis.
Huius in auspicio nostri spes maxima regni est,
Et manifesta manet. Cecinit sic gentibus Ammon
Fatidicus, nostris donans per proelia Mauris
Byzacii campos: Carcasan ire superbum
Per Libycos populos, et pacem reddere mundo.
Ammonis his dictis, gentes Bellona coëgit
Innumeras uestros iterum remeare per agros.
Ipseque qui ductor tecum committere pugnam
Iam uoluit, uertens animos, Guenfeius hostis
Distulit arma uiri, mentemque a marte reflexit,
Consilio sed ualde graui. Tum quippe fugaces,
Quos populos non ira magis, non terror acerbus
Hos agitat, uictosque pauent, ut uestra fatiget
Castra fames, finxere fugam, uobisque labores
Arte parant. Gentes nostras ne crede fugaces;
Si ueniet princeps, totumque exhauriat orbem,
Secum ad bella mouens. Nec Maximianus apertos
Bis potuit conferre manus, cum sceptra teneret
Romani princeps populi, uictorque per omnes
Poenorum gentes bellis transiret acerbis.
At modo, cum donet responsis certior Ammon
Prospera bella suis, Languantan cedere signis
An fugisse putas? Velles hoc, ductor acriue;

Sed non sic tua fata uolent. Tunc uerba furentis,
Indignans saeuire diu, sic ora resoluit:
Vt magis hos nostros teneatis certius agros.
Sic ait; et quinque erectis iubet ordine lignis
Stipite suspendi Maurorum colla bicorni,
Iussu praecipiti. Celeres fecere ministri.

FLAVII CRESCONII CORIPPI
AFRICANI GRAMMATICI
IOHANNIDOS SEV DE BELLIS LIBYCIS
LIBER SEPTIMVS.

Postquam consilium ductor cognouit iniquum,
Atque omnes patuere doli, gentisque nefandae
Persensit crudele nefas: tunc, cuncta reuoluens,
Obtutu tacito, mentis discurrit acumen
Per partes uarias; quae sint peragenda, requirens.
Vincere quippe grauis melius sapientia gentes,
Quam uirtus armata potest. Moderamine iusto
Percenset uarias, relegens celer ordine, curas,
Atque animo per cuncta uolat. Sic praepes hirundo
Inquirens teneras pullis circumuolat escas:
Proximior terris uirides modo conspicit herbas;
Itque reditque locis: ramos nunc arboris altae
Explorat, tacitis proscinditque aëra pennis.
Tandem consilium pacata mente resedit;
Et sociis sic ductor ait: Non uiribus audet
Carcasan nostris fretus concurrere telis;
Arte sed asper agit, Latias uexare cohortes,
Et fugiente parans. Fugiat licet improbus astu,
Non tamen effugiet: tanta superabitur arte.
Castra locanda mihi mediis Vincensibus aruis,
Quae modo raptor habet. Si fors committere pugnam
Ausus erit mecum, planis fundetur in aruis.
Nam melius miles campis concurret apertis,
Liber equo, pilo feriens, uel arundinis ictu.

Sin fugitiua locis gens impia texerit illis
Litora, praecipiens nullasque exire iubemus
Impensas terris. Perient nihilominus hostes,
Nec poterunt sufferre diu, gentesque nefandas
Concutiens obscoena fames sine marte necabit.
At nos aequor alit, uenalia tempore certo
Cuncta ferens, cereremque simul bacchumque ministrat.
Castra mouete, uiri; cunctisqne incedite signis.
Vix ea fatus erat, campos contexerat omnes
Altus eques, lentusque pedes; rumpuntque per agros
Agmina densa uirum, fremitusque incessit equorum.
Senserat hoc cautus Carcasan montibus altis,
Antalasque ferox: subito, crepitante tumultu,
Castra mouent: timidi planis consistere campis,
Deseruere locos, fossasque in montibus altis
Constituere metu, et celsis iunxere camelis.
Litora Romanus densis exercitus armis
Occupat, et latos implent tentoria campos;
Massylique duces medios posuere Latinos.
Hinc atque hinc cunctos cannas fixere per agros,
Atque omnîs tenuere uias. Tunc litore ab omni
Contrahit ipse rates, portusque intrare Lariscos
Iussit; et impensis socios gentesque leuauit,
Dispensat per castra pater numerosque Iohannes.
Dum trahit ille dies digna fortissimus arte,
Et gentes cruciare parat: consurgit oborta
Seditio, populosque furor per castra Latinos
Insanis urget stimulis. Iam, murmure crebro,
Exacuunt dubias contra sua pectora mentes.
Pro, dolor! Armatas reuocant in uiscera dextras
Quisque sibi, propriisque parant ceruicibus enses.
Quis furor ille fuit; quo sic exarserat omnis

Funditus ipse suas Latiaris perdere miles
Tunc acies? Mentes miseras sors saeua trahebat.
Non metuis, Romane, ducem? Tot bella, tot hostes,
Quos circumfusos certum est patuisse, caueto.
En Libyam per bella paras cum gentibus una
Vertere, et infensis miseram petis, improbe, telis!
Heu, pietas! Vbi sancta fides? Fors saeua laborat
De manibus partos populis auferre triumphos.
Coeperat, obliquo ductorem lumine miles
Respiciens, iam dura loqui, sociumque quietos
Exagitare animos, auresque implere susurro.
Nec iam odiis posuere modum, sed uoce nefanda
Impia uerba ferunt. Siluam uelut ignis adurit
Appositus, primaeque mouent incendia flammae;
Cum tenuis scintilla leues succendere frondes
Incipit, aut fragiles crepitant cum fomite culmi.
Funeream primum paruamque exire fauillam
Saepe uides: mox se uacuas uulcanus ad auras
Erigit, et densos edunt mala flamina colles.
Sic coepit mentes paulatim accendere feruor;
Sic rupere minas: Quonam, miseranda iuuentus,
Hunc sequeris per bella ducem? Quo fessa trahuntur
Agmina? Quo rursus miseris mors saeua paratur?
Heu, uiles animas uario de semine fundit,
Et merces non ulla datur! Nos, marte cruento,
Mortibus affecit. Romanus sanguis arenas
Proluit, et misto nigrescunt aequora tabo.
Nos sitis atque fames, flammis nos africus ussit;
Et meritus non ullus honor! Concurrite, ciues!
Saxa, faces, gladios (quotquot furor arma ministrat)
Diripe; et infando careat pars nostra labore,
Morte ducis merita. Diro sic castra tumultu

Exagitata fremunt, atque impia murmura crescunt.
Contrahitur furibunda manus; coetuque coacto,
Exacuunt dubias mediis feruoribus iras,
Decernuntque nefas. Clamor tentoria miscet
Horrificus, saeuis resonat clangoribus aether:
Non aliter dubiis quam ferret proelia fessis,
Omnia conturbans, Nasamon. Ductoris ut aures
Contigit ille sonus: Quisnam, crepitante tumultu,
Exagitat mea castra furor? Perquirite, dixit,
Et celerem remouete gradum. Dux Tarasis ante
Egreditur trepidus, rerum condiscere causas.
Vt strepitus sensit dubios, murmurque uirorum,
Accessit placidis populos sedare loquelis.
Nec ducis hos facies, nec uerba precantia flectunt,
Nec Romanus honos. Animis reuerentia cessit.
Ausi quin etiam lapides tentare minaces.
Vrguebat sors saeua uiros, fatumque futura
Morte premens, miserosque dies suprema trahebat.
Vertitur ad dubium pedibus celer inde magistrum
Nuntius; et saeuas insani militis iras
Exarsisse ferens, bellum ciuile repente
Ortum ait. Infremuit ductor; telumque uerendus
Corripuit, fossasque furens et castra reliquit,
Egrediens uirtute sua: comitesque secuti,
Atque duces, et fida manus. Tunc aggere celso
Constitit; atque graui populos sic uoce furentes
Admonuit metuenda: Ferum me nempe putabas,
Miles, acerba furens? Si fas ciuilibus armis,
Iusque datum est ensum: propera; si bella uetari,
Me pereunte, putas; si mortis causa Iohannes
Ciuibus. Haec ne fides? Si sic Romana recessit
Ex animis pietas, certe iam gentibus istis

Bella geram. Nostris fortis semperque fidelis
Cusina rebus erit. Gentes, comitesque, ducesque,
Vos ignaua manus, nostris discedite castris.
Vadite. Iam ueniat commotis Cusina cannis.
Noster Ifisdaias propriis cum gentibus adsit;
Bezinaque, et uelox acies famulantis Iaudae.
Vix ea fatus erat, densis Maurusia signis
Agmina per latos ruperunt undique campos,
Auxilio uentura ducis. Tunc saeuior arma
Corripuit Romana manus, fossasque per omnes
Ferrati micuere uiri; nec torpor acerbas
Percussit mentes, aut densus terruit hostis.
Hos tamen aspectus, proprii terrorque magistri,
Atque monens placido sapiens Recinarius ore
Coeperat attonita restinguere mente furores.
Deposuere minas: tristis discedit erinnys.
Poenituit furuisse uiros: summittere colla
Nunc humili cum uoce uolunt, non gentibus acti,
Sed rerum memores. Mouit pietasque fidesque,
Principis atque metus, grauitas uirtusque magistri;
Et placidis reuocans Recinarius agmina uerbis
Praecipit, alternas acies astare parumper,
Pace sub ancipiti mandatque haec uerba Latinis:
Cernite, quot gentes rerum pia iussa sequantur;
Et pudeat, uoluisse nefas. Sin forte paratis
Aspera bella sequi, mentemque implere malignam:
Dicite. Cognoscam, quaenam suprema uoluntas
Vestra manet. Socios saluem, perdamne rebelles?
Nec minus, ut Caesar, medio impendente tumultu,
Romanos potuit uerbis terrere superbis,
Erubuit stupefacta phalanx, humilisque magistrum
Sic pia uoce rogat: Paucos furor impius egit,

Hoc sceleris tentare genus; quos iusta nocentes
Vltio rite manet: sontes sua poena sequatur.
Nos humiles ductoris heri praecepta sequemur.
Has inter uoces auctores, criminis insons
Turba trahit, uinctosque duci pro crimine tanto
Tradidit, et culpam deuota mente piauit.
Facta quies populis: sceleris uindicta nefandi
Composuit mentes. Ductoris maior in omnes
Fit gentes terror, quando cum milite laetus
Ingreditur fossas. Deuota mente fatentur
Nunc hilares socii dictis parere iubentis.
Illicet inde iubet, rauco stridentia cantu
Aera ciere acies. Commotis litora signis
Deserit, et Campis posuit sua castra Catonis.
Syrticus at raptor munitis tuta tenebat
Castra locis; sed dura fames iam coeperat omne
Marmaridum turbare genus. Pecuaria tantum
Sunt epulis; nam nulla ceres. Cognouit ut ingens
Romani ductor populi, concludere gentes
Obsidione parans, certis tunc signa diebus
Abstinuit, siluisque acies exclusit iniquis;
Iamque dies alterque dies dilatus ab armis
Arte ducis. Gentes dubias se credere campis,
Efficit ipsa quies. Certum putat esse pauorem
Infelix Nasamon: in planis ponere terris
Castra soluta iubet. Nimium, iam morte propinqua,
Audaces animos, et saeuas sumpserat iras.
Conuocat, e mediis deducens agmina fossis,
Consilium ductor: stetit aggere celsior ipse.
Tunc laeti uenere duces, fortesque tribuni;
Atque, suo ueniens condensus in agmine, miles
Per numeros turbasque ruit; rebusque fidelis

Contrahitur Massyla manus sic mista Latinis,
Ceu Romana ferox: cunctos amor ipse magistri,
Terribilisque metus campis occurrere iussit.
Vnanimes habitus gentes discernit utrasque.
His tunicas ferrum; his, nudis de more lacertis,
Purpura picta dabat, uario permista colore:
Hos clipeus, hos cetra tegit. Stat casside celsus
Miles, et implicitae Maurus uelamine pallae;
Ast alius longos remouens a fronte capillos,
Missilibus nixus geminis, et poplite flexo,
Aut dura solidam defigens cuspide terram.
Quos ductor medius dictis affatur amicis:
Romani comites, fessae spes unica terrae,
Certa salus Libyae uestris nunc pendet in armis.
Iam bellum finire decet, durosque labores.
Pugnandum est. Gauisae acies gentesque Latinae
Signa mouent. Vox una fremit: populique ducesque
Massylaeque manus magno cecinere fragore.
Promittunt animos, curritque per agmina laetus
Murmure cuncta sonus. Non sic agitata resultant
Aequora uenturis longe signantia uentis.
Sensit ut egregius populorum uota Iohannes,
Consilio meliore docet, quae prima salutis
Causa fuit, rebusque data est uictoria summis.
Vt fremitus pressit, dextraque silentia iussit:
Attoniti siluere uiri, faciemque loquentis
Suspiciunt: animi iussis auresque parantur.
Affatur socios clara sic uoce magister:
Nec, socii, transacta dies, nec crastina, pugnae
Apta datur, dominoque sacrata per orbem est.
Quare, agite, o proceres, Christo famulemur ouantes!
Praesidium lacrimis humiles oremus ab illo;

Et ueniet, confido, citum: gentesque malignas
Confringet uirtute Deus; nostrosque labores
Respiciet, nostrisque dabit noua gaudia rebus.
Ast, ubi perfectis caelestia munera sacris
Obtulerit Domino uenerandus rite sacerdos,
Votaque Romanus persoluerit ordine miles,
Ponemus mensas. Nae longe pascite campis
Quadrupedes; epulis quoniam de more receptis
Castra mouere placet, non tristia mittere bella,
Sed tantum properare locis; ut luce sequenti,
Mox primo mundum consurgens margine phoebus
Flammiuomis continget equis, committere pugnam
Vicinis liceat feruenti caede laturis.
Nec longum quassabit iter; sonipesque pedesque
Fortis erit, gentesque feras uirtute necabit.
Assurgunt clamore uiri, plauduntque, fauentque,
Exultantque animis. Redeunt in castra cohortes.

Nec minus et Nasamon diuersa in parte rebellis,
Consilium infandi faciens pro tempore belli,
Impia cognatae contraxerat agmina turbae;
Atque alias Libyam bellis quas scindere gentes
Compulerat praedonis amor, sortisque nefandae,
Extrema iam morte, dies. Guenfeius una,
Aspera bella ciens, animo consulta reuoluit,
Impatiens differre diu. Tamen ordine primus
Carcasan, sic orsus, ait: Vicina Iohannis
Castra premunt, et saeua fames iam comprimit omnes.
Gentibus una salus, celerem committere pugnam,
Dum solidae uires membrorum robore constant.
Nam pecudum spes sola epulis, et lymphiger amnis
Sustentat suprema uiris. Iam farris ab omni
Defecit Nasamone genus. Memorare lyaeum

Non opus est: iuuat unda fluens. Si uincimus hostes;
Omnia Maurus habet, prostrato milite, castra
Diripiens tot plena bonis. Immota manebunt
Securo responsa mihi, quae corniger Ammon
Sorte dedit, Latias bello superare cateruas.
Crastina festa dies populo peragenda Latino est
(Excipit Autiliten) Romanus proelia miles
Nulla pauet, solitus sacris. Tunc arma mouere
Nostra iube. Incomptos subito rumpamus in hostes:
Dum medio calet hora die; dum cuncta sub umbris
Corpora fessa iacent, nimio lassata calore.
Praeterea geminas tantum rescindere fossas
Est uirtutis opus. Duri primum ipsa Iohannis
Castra time; densasque simul fortesque cohortes,
Audacesque duces collectis elige signis;
Et Latias sic posce manus. Ibi sanguine multo
Certandum est. Reliquas acies, quo castra nefandus
Cusina ductor habet, condensas Guarsana ducat.
Hic quoque certa manus Romani militis ardet.
Est etiam dux ipse ferox, disperdere gentes
Romana pro parte parans; dum plaudet, honorum
Inflatus titulis; dum dicitur esse magister;
Dum consanguineus genitus de matre Latina.
Hac sibi laude placens, fortis fidusque uideri
Vult inimicus atrox. Alios nec nominet hostes.
His uictis, Nasamon, cuncti tua castra sequentur.
Sic dabitur nostris fortis uictoria signis.
Consilio assensere uiri: gentesque nefandae
Infremuere animis, acuuntque in proelia mentes.
Condidit unda diem oceano: nox atra secuta est.
Tunc phoebus disiunxit equos; tunc cynthia iunxit,
Dum renouat nostras uires. Haec surgit ab undis;

Mergitur alter aquis. Placidam per membra quietem
Accipit omne genus; dulcique impressa sopore
Cetera per campos fessis animalia membris
Somnus habebat iners: pecudes, uariasque uolucres,
Horribilesque feras, gelidosque in litore pisces.
Cum uigil insomnem, flagrans iam marte, Iohannes
Ducebat noctem; cautoque in pectore solers
Voluebat magnas, dispensans ordine, curas.
Quem iuxta sapiens Recinarius horrida bella
Pectore pensabat placido; sensuque sagaci
Percurrens uarios relegebat in ordine casus.
Alternis animos releuabant uocibus ambo,
Mutuaque ex oculis arcebat fabula somnos.
O quoties abiere pares; Dominumque potentem
Pro rerum, populi, Libyae, propriaque salute
Cum lacrimis petiere diu! Nec fundit inanes
Tristis uterque preces. Orantes uidit ab alta
Sede pater, terrarum orbem qui fulmine terret;
Et finem imposuit tanto post bella labori.
Marmaridum interea, nocturnis dedita sacris,
Castra fremunt, statuuntque aras, et inania poscunt
Numina. Producunt pecudes altaria circum,
Et fundunt miserum riuis per prata cruorem.
Hi mactant Gurzil miti tibi, corniger Ammon;
Igniferique colunt quae Mazax numina Martis
Accipit, atque deum belli putat esse potentem;
Mastiman alii: Maurorum hoc nomine gentes
Tenarium dixere Iouem, cui sanguine multo
Humani generis mactatur uictima pesti.
Pro, scelus infaustum! Gemitus miserabilis, auras
Vndique concutiens, clamoribus aethera pulsat.
Imprimit hic ferrum iugulis, et uocibus ipsum

Numen agit, dubiasque uocans exire per umbras,
Solis iter tentare iubet. Tunc more profano
Diripiunt pecudum fibras, et fata requirunt.
Presserat ista Deus, surdumque ad carmina numen
Omne fuit: nulli retulit responsa sacerdos.
Phoebus, ab interni resplendens margine caeli,
Oceani rumpebat aquas; meliorque resurgens,
Lumine fulgentes radios tendebat in orbem,
Felici nascente die: iamque ordine certo
Christicolae ueniunt populi, Romana iuuentus,
Magnanimique duces, signis comitantibus una.
Dux, ubi distensis habuit tentoria uelis,
Visus cum primis media inter castra Iohannes.
Hic magnum statuit uelans altare sacerdos,
Et solito sacris circumdedit undique peplis,
More patrum: instituuntque choros, et dulcia psallunt
Carmina deflentes humili cum uoce magistri.
Ast, ubi sacrati tetigit dux limina templi,
Ingrediens, gemitus populi rupere dolentes.
Lumina confundunt lacrimis: uox undique caelos
Pulsat, et infensis tot conscia pectora pugnis
Percutiunt. Delicta patrum dimitte, rogamus,
Nostraque, Christe: gemunt; et tensis aethera palmis
Suspiciunt, Dominique sibi solatia poscunt.
Ipse inter primos, genibusque, et corpore flexo,
Pro populo exorans, motus pietate, Iohannes
Ex oculis lacrimas fundebat fluminis instar;
Percutiensque suum, geminato uerbere, pectus;
Talia uoce rogat: Mundi sator, unica rerum
Vita salusque, Deus, terrae, maris, aetheris auctor
Omnipotens, caelum et terram uirtutibus implens,
Vndiuagumque salum, uel quicquid cingitur orbe,

Aëraque, et tetrum populi pallentis auernum,
Imperium tu solus habes; tibi summa potestas,
Et laus, et regnum, magnaeque potentia dextrae.
Respice iam tandem Romanos, respice, summe,
Atque pius succurre pater; gentesque superbas
Frange, precor, uirtute tua: Dominumque potentem
Te solum agnoscant populi; dum conteris hostes,
Et saluas per bella tuos. Nunc sculptile damnat
Omne genus; uerumque Deum te, magne, fatemur.
Haec memorans, terras oculorum fonte rigabat,
Compulsus pietate pater, Libyaeque periclum
Mente dolens, rerumque graues populique labores.

Nec minus humectis iuxta Recinarius, orans,
Luminibus fundebat aquas; supplexque Latinis
Auxilium populis, uultu moerente, rogabat:
Magnanimique duces, humecto pectore, fletus
Ad caelum misere suos; fortesque tribuni,
Atque omnes pariter lacrimosa uoce cohortes
Ante Deum fudere preces. Summusque sacerdos
Munera pro populis, onerans altare, Latinis
Obtulit, atque aras lacrimarum fonte rigauit.
Tunc precibus placidis Patrem benedixit honorans,
Et solitas reddens Christo dedit ordine laudes.
Munus erat summi Domino acceptabile caeli,
Sanctificans mundansque simul genus omne Latinum.

Magister ducibus, Fortis Putzintule, dixit,
Cum numeris signisque tuis, quo Cusina fidus
Signa tenet, propera. Pariter tu, Geisirich ingens,
Iunge uiro socios: dignum releuare fideles.
At tu, Gontractis, iuuenum modo ductus in armis,
Fortis Ifisdaias ubi gentis signa locarit,
Romanas coniunge acies. Tibi proximus ille

Fronimuth acer erit, numerosque et signa iuuabit.
Imperat ille uiris: et iam, sua quisque secutus
Signa, per extensos acies construxerat agros
Miles; et hostiles properabant undique turmae.
Primaque Marmaridum clipeatis agmina campis
Cum magno clamore ruunt, hastasque reductis
Mittere tentantes uibrant in bella lacertis.
Zaboas hinc, hinc Bruten erat; quos deinde secuti
Mille duces (celsum subtexens lancea caelum
Densa uolat) clipeis uenientia uulnera uitant.
Militis ora gemunt inter tot tela furentum.
Romano nullum maculatum est sanguine ferrum.
Primus init martem fortissimus ipse Iohannes,
Hastam concutiens; mediosque irrumpit in hostes,
Et ferit aduersi conto caua pectora Sasfi.
Ille cadit reuolutus equo, fluuiumque cruoris
Dat specus irruptum, siccasque infundit arenas.
Protinus Ifnaten sequitur, quem cuspide longa
Aduersum post terga ferit, qua spina sedentis
Colligat incuruas nodorum robore costas.
Ossibus haerentem recipit dum feruidus hastam,
Luctaturque diu uiuens: uenit ecce superbus
Myrmidonis, tremulumque intentat mittere telum.
Ille tamen, rapiens morientis missile, torsit,
Connixus uirtute sua; mediumque per hostem
Transadigit, tetigitque nouo praecordia ligno.
Arduus ingenti tamen illum perculit hasta,
Et deiecit equo. Narti rapit ense sinistram
Cum clipeo, iugulumque premit. Mucrone Sumasci
Colla secat tereti; transuerberat ilia Palmi.
Per faciem Calamena ferit, naresque genasque,
Dentibus infractis, ferro rapit: horrida quassant

Membra solum, et uasta gemuerunt arua ruina
Nec procul aduersum pilo ferit obuius Ancum,
Et calido figit Manti mox pectora ferro;
Mastumoque latus transuersam compulit hastam
Per geminum, uirtute fremens; Salpinque supinum
Sternit humi conto: morientem desuper hostem
Percutit acer equo. Nigro de corpore sanguis
Emicat alta petens, calidasque irrorat arenas.
Ocius Autiseran sequitur, quem cuspide fixum
Impellens deiecit humi; Caggunque Taninque
Altifatanque necat, pectusque impressit Anesti.
Mucrone Autufyden iugulat, piloque superbum
Conserit Ontisiren: Canapi caput ense rotauit,
Et rigido Tubian strauit per gramina ferro.
Compulsit post terga acies Nasamonis iniqui.
Has sequitur Romanus eques, fortesque tribuni,
Armigerique duces. Medius uolat ipse magister.
Inuadunt, turbantque uiri fugitiua per agros
Agmina Marmaridum: mactant, sternuntque, premunt
Hinc redit expulsus Nasamon; atque, agmine facto,
Cusina qua proprias, permisto milite, turmas
Signaque fida gerit, cuneum facit. Obuius ille
Ire parans, dictis iuuenes affatur amicis:
Romani comites, et, gens o nostra fidelis,
Nunc fortes monstrate animos, uiresque secundas:
Languantan sufferte minas; nec terreat hostis
Vos. Veniens iam uictor, adest, et cuncta Iohannes
Signa mouens Romana simul. Vos ite per hostes.
Dum ueniet, laudet fortes, rebusque fideles.
Nota uiri uirtus: oculis placuisse magistri,
Laus uobis o quanta, uiri! Sic Cusina, mentes
Incendens dubias, socios ad bella coëgit

Irarumque simul per cunctos semina fudit.
Moti animi pro laude uiri fortissima campis
Irrupit Romana manus, mistusque Latinis
Maurus eques; densosque uolat dux ipse per hostes,
Militibus medius feruens: fortesque tribuni
Arma Latina ferunt; Nasamonum morte cateruas
Excipiunt, hastasque parant, et spicula tendunt.
Aspera tunc primis miscentur proelia turmis.
It clamor caelo, iubilis simul aethera complet.
Obscurans cum sole diem, subtexitur aër
Missilibus densis, neruoque uolatile ferrum
Spargitur, et crebris discurrit lancea nimbis.
Corpora pars, pars arua capit; feriuntque, caduntque
Hinc atque hinc gentes. Magna uirtute premebant
Marmarides; sed spes uenientis fida magistri
Sola ducem, comitesque simul, populosque leuauit.
Ductor ut agnouit, fama uolitante, Iohannes,
Cusina quod fidus camporum in parte prematur,
Marte graui, ualidoque armorum pondere nutet;
Talibus ipse suos uerbis accendit in hostes:
Romanum imperium, gentes quascumque fideles
Subiectasque uidet, ciues putat esse Latinos.
Hac pietate placens, totum sibi subdidit orbem;
Dum releuat uirtute humiles, humilatque rebelles.
Cusina bella gerit, nostris fidissimus armis,
Marte sub ancipiti, quem si non laeserit hostis,
Nomen erit nostrae mansurum in secula famae.
Cernatur Romana fides, uirtusque, laborque.
Eia agite, o iuuenes, tanto in discrimine martis,
Auxilio releuate uirum; gentesque superbas
Deiicite, et uestros, socii, saluate clientes.
Sic ait; et motis ruperunt agmina signis.

Terga dabat iam fida manus Maurusia campis.
Languantan iam uictor erat. Putzintulus una,
Cusinaque, et uictis cedebat Geisirich armis.
Respiciunt subito uenientis signa Iohannis;
Percipiuntque animos, et mollia colla retorquent
Alipedum celeres: pugnam uirtute reposcunt.
Acer in aduersos, feruens Putzintulus hostes
Ante uolat, rupitque prior. Tunc sternit Imastan,
Vulnere confossum ualido; fortemque Nifaten
Ense ferit, nigrique secat fera colla Mamonis,
Diuidit aduersi ferro caput obuius Irti,
Sanguis et immisto perfundit membra cerebro.
Proximus infensi ueniens per guttur Amanti
Transadigit ualidum letali uulnere telum:
Vocis iter clausit; fluitans cruor inde per ora,
Per geminumque micat, subducta cuspide, uulnus.
Hunc procul, ardentem media inter tela suorum,
Ifuracum uidere duces: tunc agmine facto
Auersum pariter ferrum tot milia torquent:
Quisque suum clipeo uenientes suscipit hastas.
Vulnera nulla pauens, loricam tempserat ille,
Confisus uirtute sua. Dum lancea circum
Densa uolat, dirum sentit sub pectore ferrum.
Dux, heu! magnanimus, nec fractus uulnere tanto
Sic socios hortatur ouans: Victoria, ciues,
Vestra manet. Pugnate uiri, gentesque nefandas
Inferiis mandate meis. Sic uincitis hostes,
Dum uideo, dum uiuo, magis gaudensque per umbras
Languantan gentes propriis aptabo triumphis.
At uos incolumes uno minus ardua celsis
Excipiet portis summo Carthago triumpho.
Talia dicentem, comites iam uulnere fessum

Suscipiunt, hilaremque animis in castra reponunt.
Hic socius Deciis infernas ibat ad umbras.
Felix morte sua! nomen post bella beatum
Semper erit, semperque manens memorabile caelo,
Dum fera bella legent aeuo ueniente minores.
At Romana manus, iussu ducis, horrida turbans
Agmina, per cunctos fertur, cornuque reflexo
Stridula raucisonis compellit spicula neruis.
Condensos ueluti fundunt caua nubila nimbos
Grandinis, et latos distringunt culta per agros.
Sternitur alta seges, uiridis nec pampinus uuas
Vindicat ipse suas, arbor nec densior ulla
Defendit teneros foliorum tegmine ramos.
Horrida tum neruis uolitans pulsatur arundo,
Vulnera certa ferens: nullum sine sanguine telum
Corruit, aut campo uolucres cecidere sagittae.
Nunc fortis sonipes densus, nunc sternitur hostis.
Omne rubet tepidum Massylo sanguine ferrum.
Succedit pilata manus, cunctosque per agros
Corpora felici sternebant caede tribuni.
Militis arma calent: nullum est sine sanguine Mauro
Romani ferrum populi. Dolor excitat iras.
Quis tot acerba ducum dederant quae funera campis,
Quis uarias mortes, aut dictis explicet hostes
Prostratos captosque feros, quosque ipse magister
Deiecit uirtute uiros? Sine nomine plebes
Marmaridae periere simul; sed carmine paucos
E multis signabo meo, quos fama priores
Adtulit ad cautas uolitans ex hostibus aures.
Armipotens, hostes cernens obstare, Iohannes
Irruit in densas acies; turmasque rebelles
Letifero mucrone secat. Ceu messor acuta

Falce metit segetes, maturo tempore solers;
Et modo cum teneris culmos compressat aristis
Laeua manus, nunc dextra secat, nunc fune tenaci
Colligat innumeros, gaudens per rura, maniplos.
Syrticus Altilimas, ductoris uulnere uictus,
Corruit, execto, fusus per gramina, collo.
Tunc Alacanza ruit magnum pinnatus in hostem
Missile uibrato, conturbans calce frequenti
Celsum cornipedem; sed nil conterritus, ille
Amputat ense caput. Truncum uidere cadentem
Lumina fessa suum: morientis lingua loquelam
Rumpere non potuit, sonuit tamen. Inde furentem
Deiicit Esputerdan, Tamatoniumque: Iugurtham
Congressus uirtute premit, Tursumque trucidat.
Audilimanis equum retro ferit: horrida neruos
Ossaque dura pedum secuerunt uulnera ferri.
Voluitur in terram sonipes, nec corpore toto,
Nam celsos nondum terrae submiserat armos.
Fortis adhuc, rectaque ferus ceruice laborat,
Surgere pertentans dominum deturbat arenae.
Vulnera congeminans uictor per membra, Iohannes
Venit in obnixum stricto mucrone uerendus.
En tumidum! frontemque quatit. Tunc aspera ferrum
Sanguine confuso commiscuit ossa cerebro.
Hastam deinde tenens, campo uolat: horrida Flacci
Perfodit hic minitans, transacto pectore, pilo,
Tergaque dura uiri. Sanguis per uulnus utrumque
Emicat, et calidae perfundit gramina terrae.
Celsior aduersi conto ferit ardua membra
Cernisati, trepidique celer praecordia Derci.
Tunc mucrone latus Grachi ferit, inde Minisae
Colla metit, saeuumque secat per timpora Cutin.

Viuentem Camalum pressit: rapit ipse capillis,
Captiuumque trahit, propriis quem deinde ministris
Tradidit; atque alias sequitur per deuia turmas.
Labbas, infenso torquens hastile lacerto,
Nisus magnanimum telo tentare magistrum;
Sed postquam uires ueniens persensit iniquas,
Infelix ueniam submissa uoce rogabat:
Ossa per Euantis digno bene comta sepulcro,
Quae talem genuere uirum; per maxima Petri
Facta futura tui, cuius iam fama per hostes
Tanta uolat, gentesque feras et regna fatigat;
Perque tuae uirtutis opus, quo uictus Ilasguas,
Huic animae concede, precor, post crimina uitam;
Meque tuis, uictor, serua post bella triumphis:
Nam tali seruire iuuat. Qua uoce reflexus,
Vulnera continuit: uelox tamen illigat ambos
Post tergum implicitos mordaci fune lacertos.
Mitis in immitem Recinarius irruit Vrtanc,
Perque uiri pectus rigidam celer impulit hastam.
Corruit ante pedes, belli pars magna nefandi,
Magnanimus iuuenis, numquam placabilis Vrtanc;
Atque solum diro foedauit sanguine Meilan.
Deinde petit * * *, ualida quem cuspide uictor
Deiicit impulsum, tepidaeque infigit arenae.
Fulmineo caput ense metens detruncat Alantas,
Et nigrum Sacoma ferit per prata cadentem.
Horruit acer equus, mollemque obtriuit arenam.
Vincula pressa uetant, uoluitque in terga redire;
Sed leuis excusso Recinarius alta flagello
Ilia concutiens latis pauidum impulit ire
Cornipedem campis: ut, postquam corpus ademptum
Transiit impulsus sonipes, tunc, marte secundo,

Funera conuoluens, et telis Syrtica miscens
Agmina, per latos uolitabat feruidus agros.
Tunc celerem prosternit Afun, fortemque Nicandrum;
Asperaque infixo geminauit uulnera Sucro.
Inde necat Tanadum, fortemque insternit Erancun.
Ense ferit Tinudum, piloque infigit Enipten.

Bulmitzis Tumudan conto premit; inde Licurdan
Fortis agit campis: telum per terga rebellis
Per fibras pariter discurrens pectora rupit.
Celsus equo fidens fertur super agmina Succur:
Hunc Sulumur sequitur, quem, dum non prendere posse
Fraxineam torquens per campos eminus hastam,
Alipedis ualido transuerberat ilia ferro.
Vulnere quo uictus, sonipes, grauitate ruinae,
Confregit dominum. Belli sine uulnere Succur
Infelicem animam Stygias transmisit ad umbras.
Non illum saluauit equus leuitate per hostes,
Quo sibi fisus erat, nec fractum conscia uirtus
Eripuit fatis, aut sacro numine Gurzil.

Armiger ense caput ductoris nomine Varti
Amputat ex humeris, Plulinaeque Astit, Enerdi
Mee, Tiluzant Dorotis ferro necat * * *
Execuit * * * * * * * * * * * * * * * *
Cornipedem Anzatal tum currens Fastita fixit,
Missile contorto. Fugit illico mille per hostes,
Permixtusque suis * * * * * * * * * * * *

Carcasan, tanta concussus caede suorum,
Per medios hostes ductoris signa retorsit,
Milia multa trahens. Venientem uidit * * * *
Heros magnanimus: felicia tela Iohannes
Armigeri rapit ipse manu, piloque superbus
Irruit, aduersumque petit per uulnera pectus,

Et ferit intrepidus. Sanguis per tela cucurrit
Vulnere summa fluens, uestesque aspergit heriles.
Extemplo turbatae acies, pereunte tyranno,
Marmaridae petiere fugam. Iam nullus in hostem
Contorsit telum; sed laxis fertur habenis
Currere compulsus sonipes; nec fidere castris
Iam potuit Nasamon, latos moriturus in agros.
Currit eques, mixtusque pedes, Romanus equester,
Signa, ducesque simul, numeri, fortesque tribuni,
Et laetus pariter, felici marte, Iohannes
Ante uolat, densas sternens per prata cateruas.
Planus erat campus, liber quo currere posset
Miles, et infensas telis effundere turmas.
Inuadunt, mactantque uiri gentilia passim
Corpora Marmaridum. Poenas dat uictus Ilasguas,
Ifuracumque acies, et mixto * * * Frexes
Dant animas gladiis Romani militis ira
Ey * * * * * * * * * * * * * * * * * * *
P * * * * * * * * * * * * * * * * * * *
L * * * * * * * * * * * * * * * * * * *
Condun * * * * * * * * * * * * * * *
Per ramosque sedent. Ibi feruidus instat,
Ceu uenator, aues uisco qui fallit et arte.
Sanguinis ex omni fluitantes arbore riui
* *

IN PRAEFATIONEM

N O T A E.

Codex, Cod., uel *Ms.* indicant semper unicum *Codicem* Corippi Triuultianum; *Codices, Codd.,* uel *Mss.* denotant cum illo conuenire etiam Triuultianos Codices unum aut plures, qui continent poëmata Ioh. L. de Bonis.

Ad tit. Codex titulo caret, unde hunc mihi refingere opus fuit, ut feci etiam ad singulos libros.

V. 1. *Victoris. Victores* habet Codex Triuultianus, sed meliorem lectionem seruauit Index Codicum Montis Cassini citatus a Bogginio in sua *Praefatione* ad Corippum pag. X, qui refert, quod *Liber Cresconii* incipiebat: *Victoris.*

V. 5. *littera.* Ms. habet *littara.* Noster Poëta de *Laudibus Iustini* lib. IV. u. 184-5.

. . . . *Littera rerum*

Pars magna est. Gifanius in *Obseruationibus in Ling. Lat.* notat *Literas* usurpari *pro libris, historiis, monumentis,* citatque *Cicer. Act. IV. in Verrem: Vetus haec est opinio, iudices, quae constat ex antiquissimis Graecorum literis ac monumentis.*

V. 7. *nosset.* Ms. *noscet.* Ioh. L. de Bonis de Aretio, qui hosce uersus inseruit cuidam suo Carmini in Codice Triuultiano sign. A. 275. p. 37. habet *nosset.*

V. 9. *Palamedeas.* Ms. *palamedas.* In cit. Carm. Ioh. L. de Bonis in Mss. Triuultianis A. 274. et 275. legitur *pallamedeas.* Plinius *Historiae Naturalis* lib. VII. cap. 56.

ait *ordinem exercitus* praeter alia inuenisse Palamedem. Ita est in omnibus, quos uidi tum editis, tum Mss. libris operis illius. Ambrosius autem Calepinus in suo *Dictionario* uerbo *Palamedes* scriptum reliquit, eum *ordinem aciei* inuenisse, hancque uocem, *aciei* nempe, non *exercitus*, retinuerunt Facciolatus in recudendo *Calepini Dictionario*, et Forcellinus in nouo adornando *Totius Latinitatis Lexico*, quin ullam redderent rationem, cur neglexerint lectionem Plinii uulgatam, sequerenturque illam, quam Calepinus fortasse inuenit in aliquo antiquo Codice, et quam fortasse prae oculis habuit etiam noster Poeta.

V. 11. *Smyrnaeus uates.* Sic uocatur Homerus etiam infra lib. I. u. 175., ut uocatus fuerat a Lucano *Pharsal.* lib. IX. u. 984. qui ait:

Quantum Smyrnaei durabunt uatis honores.

V. 13. *pugnas.* Ms. *pugna.*

V. 17. *sim.* Dubia est haec uox in Codice, ubi potius est *sum* quam *sim.*

V. 18. *canam.* Ms. *donant.*

V. 21. *cantus.* De Bonis in citt. Godd. habet *cantum.*

V. 25. *Quid ni, si ignarus. Quid . . . . ignarus* est in Codice cum uocula intermedia deleta.

Ib. *locutus.* Ms. *lucutus,* ut etiam infra lib. II. u. 336. et alibi, ut patebit ex Indice. Ex hoc loco et ex cit. lib. II. u. 336. coniicere licet Auctorem scripsisse prius Bucolica carmina, ut Virgilius; de quibus nemo adhuc meminit.

V. 31. *ore.* Ms. *oro.*

V. 34. *leuant.* Ms. *leuans.*

V. 37. *certat.* Ms. *certa.*

V. 38. *Ductorem.* Ms. *Doctorem.*

V. 40. *Nunc meritis.* Ms. *Tunc meritus.*

IN LIBRVM I.

NOTAE.

V. 2. *Stragesque.* Copulam *que,* qua caret noster Codex, suppleui ex Budensi, quem uidit Cuspinianus.

V. 3. *Et Libycas.* Codex Budensis apud Cuspinianum habet: *Et libyae;* sed *Libycas* retinui, uti est in Codice Triuultiano, quia eadem uoce usus est pluries Auctor noster in aliis carminibus editis, ubi unica uice legitur primitiua eius uox *Libya.*

Ib. *et.* In citato Codice Budensi sic Cuspinianus legit *et,* pro quo Codex noster habet *ac.* Attamen exscriptor Codicis, quem fuisse Iohannem L. de Bonis de Aretio, probo in *Praefatione,* in sua *Romulea* lib. II. u. 131. et lib. III. u. 400. ubi hunc et praecedentem uersum nec non quinque subsequentes uersus suos fecit, retinuit *et.*

V. 7. *facta.* Codex noster habet *fatta,* quod alibi est etiam pro *facta.* Imo in *Romulea* lib. II. cit. u. 136. uidetur esse *facta.*

V. 8. *Aeneadas.* Ms. prius habebat *Oneades;* sed ex *O* aliquo modo effectum est postea *E,* ut legatur *Eneades.*

V. 10. *pinnis.* Ms. *pinis,* ex qua uoce feci *pinnis* pro *alis;* ut Cic. *de Diuin.* lib. I. cap. 47. *Hanc ubi praepetibus pinnis, lapsuque uolantem.* Alii tamen ibidem malunt legere *pennis;* et ita fortasse legendum est in hoc uersu, nam Auctor *de Laudibus Iustini* lib. III. u. 201-3. de uictoria pariter haec cecinit:

Par laeuam dextramque tenens uictoria partem,

Altius erectis pendebat in aëra pennis,

Laurigeram gestans dextra fulgente coronam.

Imo et famae Corippus pennas tribuit pro *alis* ibidem lib. I. u. 298-9.

Laeta per augustam pennis plaudentibus urbem

Fama uolans.

V. 11. *pietas.* Ms. *piceas.*

V. 13. *reficit.* Ms. *refecit.*

Ib. *geminis amplexa lacertis.* Haec ex Psalmo LXXXIV. u. 11., ubi in Vulgata editione legitur: *Iustitia et pax osculatae sunt se*, sed in antiqua uersione Itala, qua certe utebatur Corippus, ut etiam est adhuc in Psalterio Ambrosiano, erat: *Iustitia et pax complexae sunt se.* Vide et apud Sabatier uersionem antiquam, et quotquot illam secuti sunt ex ueteribus Scriptoribus ecclesiasticis.

V. 14. *Has.* Ms. *As.*

V. 15. *Iustiniane.* Etsi, utpote ex *Iustino* deriuatum, *Iustiniani* nomen producendum foret in secunda syllaba; attamen eandem syllabam semper corripit Auctor noster etiam in poëmate *de Laudibus Iustini.* Ea de re erudite adnotauit Barthius ad lib. I. u. 355. *Aduersar.* lib. XXXV. cap. V. p. 1641. et apud Corippum Fogginii p. 312-3. *in uoce Iustinianus Graecum accentum naturae uocis praeponere exemplo aeui sui Corippum nostrum. Sic in Epigrammate Pandectis praefixo:*

Β*ίβλον* Γ*ουστινιανὸς ἀνάξ τεχνήσατο τὴν δὲ*, etc.

V. 16. *Laetus et infractis.* Ms. *Letus etiam fractis.*

V. 17. *uestigia.* Ms. *uestia.*

V. 22. Post hunc uersum deest in Codice folium, quod continere debebat uersus LXII., quia subsequentes paginae constant plerumque uersibus XXXI.

V. 26. *summis et laudibus apta.* Ms. *summis haec laudibus apta.* Confer *de Laudibus Iustini* lib. II. u. 224., qui desinit: *summisque laboribus aptam.* Lib. autem III. u. 128-9. occurrit: *summis Laudibus.*

V. 28. *barbaricis.* Ms. *barbariis.*

V. 30. *Direptae.* Ms. *diretta.*

V. 32. *uatibus;* nempe *episcopis* siue *sacerdotibus.* Etsi ap. Forcellinum desit haec significatio, attamen ea usus est auctor epitaphii Iohannis II. Papae, qui decessit A. DXXXV. ap. Baron. in *Annalibus* ad eundem annum, et ap. Du Cange in *Glossario*, ubi alia proferuntur huiusmodi exempla. Quinimo Ennodius, qui obierat A. DXXI., *uates* episcopos praecipue Mediolani passim uocat in suis carminibus. Vide Oltrocchi *Histor. Ligust.* p. 144. 208. 242. 251., et 210. Videsis etiam *Hierolex.* Macri uerbo *Vates.*

V. 36. *subdere.* Ms. *surgere.*

V. 43. *It metus.* Ms. *et metus.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 557. *It timor* cet.

V. 48. *uoluebat pectore curas.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 227.

> *Atque illum tales iactantem pectore curas.*

lib. IV. u. 248.

> . . . . . . *et magno persensit pectore curas.*

et lib. V. u. 711-2.

> *Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas*
> *Mutabat uersans.*

V. 54. *Gentibus ipse feris concurrere* etc. Virg. *Aen.* lib. I. u. 493.

> *Penthesilea furens* . . . .
> *Bellatrix, audetque uiris concurrere uirgo.*

Item. lib. X. u. 8.

> *Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.*

V. 55. *infensas.* Ms. *infessas.* An *infestas ?* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 899. *Ingruere infensos hostes.* Alii tamen ibidem legunt *infestos.*

V. 60. *manarunt Nitzibis agri.* Ms. habet: *mandarunt nuzibis acri*, nullo sensu: Virg. *Georg.* lib. IV. u. 522.

Discerptum latos iuuenem sparsere per agros.

Reposui *Nitzibis*, ut est mox infra u. 65. Ea est urbs clara Mesopotamiae in confiniis Persiae, alias uocata *Nisibis*, uel *Nesibis*, ut obseruat Cellarius in *Notitia Orbis antiqui* lib. III. cap. XV. T. 2. p. 734. Edit. Lips. 1705., et Le Quien in *Oriente Christiano* T. II. p. 995-6. Cum autem posterior hic scriptor asserat, quod *nomen eius Hebraice et Syriace praesidiariam stationem significat*, uidetur Corippum propius accessisse ad Orientalium pronunciationem in scribendo eodem nomine. Hebraice etenim נציב *Netzib* idem est ac *Statio, Praesidium, Castra*, in *Lexico Hebraico* Zanolini p. 294.; *Statio, Stationarii milites, praesidium militum in uno quodam peculiari loro positorum*, in *Lexico Linguae Hebraicae* Iac. Gussetii pag. 1005. editionis secundae Lipsiae 1743.; item *Statio, et Praesidium militum* in Io. Christ. Clodii *Lexico Hebraico selecto in Supplementum Lexici Gussetiani* Lipsiae 1744. p. 343. Imo in *Lexico Heptaglotto* Castelli col. 2376. Chaldaice נציבין (Netzibin) uocatur eadem urbs Mesopotamiae, atque Arabice نصيبين *Natzibin.* Confer etiam Giggei *Thesaur. Linguae Arabicae* Vol. IV. col. 646.; et Greg. Abul-Pharag. *Hist. Dynastiarum* edit. ab Edu. Pocockio Oxoniae MDCLXIII. p. 223. et alibi ut ex Indice. Item in Ioh. Simonis *Onomastico Veteris Testamenti* Sect. II. cap. VI. p. 64. haec leguntur: נציב *Netzibh, Statio militum, praesidium, urbs in Tribu Iuda*, *Ios.* 15. 43. *Eiusdem*

sensus est profanorum Nisibis, idest נציבין (Netzibin) *stationes militares, praesidia; uid. doctiss. Schultensii index ad uitam Saladini sub uoce Nisibis.* De iis, quae ibidem gesta sunt sub Iustiniano iuuat audire Procopium, qui *Hist. Arc.* cap. II. Opp. Edit. Paris. 1664. T. 2. p. 8. haec ait: *Interim ex Perside quidam nunciatum ueniunt: Belisarium ad urbem Nisiben acie deuicto Nabeda, progressionem facere.* Sed rem fusius narrat idem auctor *de Bello Persico* lib. II. cap. XVIII. Opp. T. 1. p. 130. et seq. sic: *Interea Belisarius et Romanus exercitus . . . . ex urbe Dara Nisibin uersus instructissimi processerunt. Dimidio confecto itinere . . . . ille metari iussit, altero et quadragesimo ab urbe Nisibi stadio . . . . Petrus uero adiuncto sibi Iohanne numerorum Mesopotamiae duce, qui bonam partem exercitus habebat, perrexit porro, et decimo a muris stadio gradum fixit. Tum suos Belisarius ordinauit ad praelium, et Petro mandauit ut acie composita staret, signum exspectans, ac memor se circa meridiem a Barbaris petitum iri, id nimirum tenentibus animo, se sub uesperum, Romanos circiter meridiem cibum capere consueuisse. Talia quidem Belisarius praecipiebat. Verum qui cum Petro erant, nullo habentes loco mandata, nec solem perferentes meridianum (et sane est tractus ille aestuosissimus) arma posuerunt. Quin etiam errabant securi hostium, ac dispalati ficus ibi natas edebant; cum Nabedes re animaduersa Persicum agmen effuso in eos cursu emisit. Mox Romani, quos utique Barbarorum ex urbe eruptio minime latuit, quoniam in campestri planitie decurrentes oculis obuersabantur, ad Belisarium mittere et promptam rogare opem, dum resumptis armis incomposite, tumultuoseque occurrunt. Nondum acceperat nuntium Belisarius: iam tamen subsidio currebat,*

e puluere sublato coniiciens impetum a Persis fieri: quo fracti et nullo negotio in fugam uersi Romani sunt. Instantes Persae quinquagenos interemerunt, et potiti uexillo Petri, omnibus, quos tunc fortitudinis plane oblitos insequebantur, uitam ademissent, nisi Belisarii copiarumque eius interuentus fuisset impedimento. Simul enim primi omnium Gothi cum praelongis densisque hastis adfuerunt, Persae eorum impressionem haud sustinentes, se in fugam dederunt. At Romani cum Gothis a tergo illos prementes, centum et quinquaginta strauere ferro: reliquos accepit urbs statim reduces; quia nostros persequendo non longe profecti fuerant. Hucusque Procopius, qui tamen Iohannem potius uictum ad Nisibin quam uictorem nobis repraesentat. Sed, eidem cordi fuisse ea narrare, quae gessit Belisarius, cuius a secretis fuerat, quique praeerat tunc illi expeditioni, est dicendum, nec omnia singillatim prosecutum fuisse, quae duces inferiores praestiterunt; nisi mauis et hic Procopium incusare de fide Graeca uel de negligentia in historiis suis texendis: ut fecit Oltrocchius in *Historia Ligustica Ecclesiae Mediolanensis* p. 296. et seqq., item p. 304. nota(*), p. 308. et seqq., et p. 329. Nos alibi uidebimus ex hoc Poëmate plura suppleri posse ad Procopii historias.

V. 61. *secundos.* Ms. *secundus.*

V. 62. *Congressus nec.* Ms. *Congressus nunc.*

V. 63. *Amisit socias.* Ms. *Admisit sotias.*

V. 65. *mediaque in Nitzibis arce.* Ms. *medieque in nitzibis are.*

V. 66. *Irrupit Romanus.* Ms. *Romanus Irrupit,* sed prius erat *dirupit.*

V. 70. *Theodosioypolin.* Ms. *Theodosio ypolin,* sed prius pro postrema littera *n* erat *m.* Imitatus est

Corippus Claudianum, apud quem *Theodosius* uel *Theudosius* (unde est *Theodosiopolis* uel *Theudosiopolis*) est trisyllabus incipiens a diphthongo *Theo* uel *Theu*. Vide Claudiani Carmen iiI. u. 52. Carm. XV. u. 216. Carm. XXII. u. 52. et 422. et Carm. XXIX. u. 98. Nota, quod a Procopio aliisque Graecis scriptoribus nomen illius urbis est **Θεοδοσιου πολις**. Vide et apud Le Quien, ut et **Ιουστινου πολις**, **Κονσταντινου πολις**, **Φιλιππου πολις**, et alia plura huiusmodi urbium nomina. Duplicem Theodosiopolin memorat Procopius, unam nempe dicit *De Aedif.* lib. iI. cap. iI. Opp. T. 2. p. 32. parum distantem ab urbe Dara in Mesopotamia, et cap. V. p. 37. ad flumen Aborrham sitam; alteram uero in Armenia fuisse monstrat ibid. lib. iiI. cap. 1. pag. 52. et cap. V. p. 58. et seq.; utramque autem Iustinianum muniuisse muris contra incursiones Persarum. Imo lib. I. *De Bello Persico* cap. X. Opp. T. 1. p. 29. ait, Daram in Mesopotamia, et Theodosiopolin in Armenia ad Persarmeniae fines fuisse duo propugnacula ad Persas infestandos commodissima. Saepe memorat Procopius praecipue hanc urbem in libris *De Bello Persico*, sed obsidionem eius, quam nobis nunc aperit Corippus, praetermisit. Fortasse eam tacite innuit, cum haec narrat lib. I. cap. XV. p. 43. *In Armeniam Romanis subditam alium Cabades exercitum misit, e Persarmenis et Sunitis, qui sunt Alanis finitimi, conflatum. Iis se adiunxerant tria Hunnorum millia, eorum qui uocantur Sabiri: bellicosissima sane gens. Mermeroës Persa omnibus praeerat. In Persarmenia cum substitissent, castris quodam in loco positis, unde ad Theodosiopolin iter est tridui, ad irruptionem faciendam se comparabant.* Pergit narrare deinde Procopius pugnas inter Romanos et Persas.

V. 75. *Mermeroës.* De hoc Persarum duce uide Procopium passim utroque in libro *De Bello Persico*, et *De Bello Gothico* lib. IV, ubi Graece est Μερμερόης. Eum obsedisse Martyropolin et Archaeopolin, et accepta clade utramque obsidionem soluisse, narrat Procopius *De Bello Pers.* lib. I. cap. XXI. Opp. T. 1. p. 62. et seqq. et *De Bello Goth.* lib. IV. cap. XIV. p. 602. et seqq., rursusque frustra obsedisse Archaeopolin legitur ibid. cap. XVII. p. 614., sed de obsidione Theodosiopolis nihil reperitur apud Procopium, ut iam monui.

V. 76. *Ardua sidereo cingebat moenia muro.* Ms. *Ardua sidereo cingentem menia* cet. Virg. *Aen.* lib. VI. u. 499.:

Moenia lata uidet triplici circumdata muro.

et lib. IV. u. 88-9.:

. . . . *ruinaeque*
Murorum ingentes, aequataque machina caelo.

V. 77. *Daras.* Ms. *claras.* Imperitus librarius ex *d* fecit *cl*, quod mendi genus saepe occurrit, ut monet Casaubonus in *Commentar. ad Theophrasti Charact.* cap. IV. p. 71. Ed. Lugd. 1603. uel p. 59. Edit. Coburgi 1763. *Daras* est urbs munitissima prope Nisibin. Vide Procopium *De Bello Persico* utroque in libro passim et alibi. Apud eundem Graece semper est *Daras* nomen indeclinabile, etsi in uersione sua Maltretus fecerit *Dara*, *Darae.* Ibid. lib. I. cap. XIII. et seq. p. 35. et seqq. describitur praelium memorabile sub moenibus Darae cum ingenti Persarum clade. Romanis praeerat Belisarius, Persis autem non Mermeroës, sed Peroze Mirrhanes.

V. eod. *qui.* In Cod. est quidam litterarum nexus respondens potius τῷ *quasi.*

V. 82. *laederet.* Ms. *ledere.*

V. 83. *obtinuit.* Ms. *ooctinuit.*

V. 84-5. . . . . *hosti*

Fortior in medios uisus concurrere campos.

Ms. . . . . *hostis*

Fortior in medios uisus est currere campos.

In fine autem *hostis* abrasum fuit *s*. Ouid. *Metamorph.* lib. V. u. 89. et lib. XII. u. 595.

. . . . *concurrere cominus hosti.*

V. 89. *Mermeroën. Acies Romanum effusa.* Ms. *Memor enim campis romanum perfusa.* Sanaui, ut potui, hunc uersum, et sensum: sed fortasse excidit hic pars duorum uersuum, et utriusque uersus pars tantum est seruata. Pro *perfusa* feci *effusa* secutus Virg. *Aen.* lib. VI. u. 305.

Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat.

et lib. VII. u. 812-3.

Illam omnis tectis agrisque effusa iuuentus,
Turbaque miratur matrum cet.

V. 90. *gladios.* Ms. *glodios.*

V. 91. *Quisque suas.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 463-4.

. . . . . *aeratasque acies in proelia cogit*
Quisque suas: ubi alii tamen legunt *suos.*

V. eod. *proiecit.* Ms. *prohiecit.*

V. 92. *Indecus.* Sic in Codice; ubi, nisi malueris corrigere *indicus*, erit *indecus* uox addenda Lexicis Latinis, et eadem fortasse ac *indecor*, nempe *inglorius*, ut apud Stat. Theb. lib. IX. u. 108.

. . . . *patuitque inglorius ensis.*

V. eod. *harenis.* Saepe adspirationem admittit haec uox in nostro Codice, et ego eam retinui, ubicumque exstat; etsi sciam reiici a Cellario fulto auctoritate Seruii, a quibus tamen dissentit Manutius cum Carisio.

V. 93. *hastae.* Ms. *aste,* absque spiritu, ut frequenter in hoc Codice, et etiam in aliquibus inscriptionibus apud Reinesium et Gruterum teste Forcellino. Hanc tamen rationem scribendi eam uocem non duxi sequendam esse, nam Italo homini seculi XIV., qui fere omnes diphthongos etiam omisit, facilius fuit negligere literam *h,* quam illam addere. Reuera uidebimus infra omissam fuisse pluribus aliis in uocibus, quae absque adspiratione nusquam reperiuntur.

V. 96. *ni uiuum.* Ms. *ni uinum.*

V. 98. *Mermeroës.* Ms. *mermereos.* Mermeroën uictum bis a Romanis non longe a Theodosiopoli narrat Procopius *De Bello Persico* lib. I. cap. XV. p. 43. cit.; et alibi describit clades, quas accepit exercitus eius a Romanis duobus in libris *De Bello Persico,* et IV. *De Bello Gothico;* sed de illius captiuitate nihil reperi ibidem.

V. 99. *Dominum benedixit in armis.* Pro *armis* Codex habet *aruis.* Verbo *benedico* cum accusatiuo usus est Apuleius, quem citat Forcellinus; et Corippus noster etiam *De Laud. Iustini* lib. II. u. 161.

Adstantem benedixit eum.

V. 100. *Vrbicapus.* Ms. *Vrbicuius.* Plautus *Mil. glor.* Act. IV. Sc. II. u. 64.

Vrbicape, occisor regum.

Ita πολιορκητής apud Athen. *Deipnosoph.* lib. VI. cap. XIII. p. 252. ed. Lugd. 1652. uocatur Demetrius Antigoni filius, Macedoniae rex, ob multas urbes a se expugnatas.

V. eod. *maximus orbis.* Etiam *De Laud. Iust.* lib. I. u. 214. et lib. II. u. 145. desinunt pariter: *maximus orbis.*

V. 101. *Imperialis apex. De Laud. Iust.* lib. I. u. 355. *Iustinianus apex;* et Ammian. Marcell. *Hist.* lib. XXI. cap. XVI. al. XXXII. *Imperiale culmen.*

V. 102. *lectum, quem ad multas.* Ms. *lettum quem nullas.*

V. 103. *quae saeui fuerant.* Ms. *que seni fuerat.*

V. eod. *discrimina belli.* Sic desinit *De Laud. Iust.* lib. iiI. u. 95.

V. 107. *Ad caelum sic laetus ait.* In margine est: *Oratio.*

V. 108. *post tempora. De Laud. Iust.* lib. iI. u. 352.

Consulibus consul post tempora multa nouabo.

V. 110. *Hos.* Ms. *Nos.*

V. 111. *Hunc.* Ms. *Nunc.*

V. 112. *nec plura moratus.* Sic desinit Virg. *Aen.* lib. V. u. 381.

V. 113. *Iussit ab.* Ms. *Iuxit et.*

V. 114. *finîs . . . hostîs.* Saepe occurrit in Codice nostro huiusmodi terminatio accusatiui pluralis tertiae; de qua Priscianus ita tradit: *Quorum primus et secundus casus singulari numero sint similes, eorum quartum plurali plerumque ueteres in* is *longum, non in* es, *qui suetus exitus est, formasse: e. c. Sallustii principium Omnis homines niti decet. Aen. IV. u. 427. . . . . cinerem manisue reuelli. Et lib. IX. u. 60. . . . . neruos perpessus et imbris. Et sic ubique apud Virgilium.*

V. 115. *Occiduas aditurus aquas. Occiduas* dicit auctor; quia scilicet Constantinopolim, quae urbs, etsi nobis est ad orientem, redeunti Iohanni e Perside erat ad occidentem.

V. 117. *Romanae . . . . . portae.* Sic *De Laud. Iust.* lib. iiI. u. 244. *Romana palatia* uocat auctor ea, quae

Constantinopoli exstabant, quam urbem iisdem in libris semper appellat *Nouam Romam.*

V. 119-20. *Pedibus celer ille benignis Oscula laeta dedit.* Ita *De Laud. Iust.* lib. I. u. 157-8. *et poplite flexo*

Plurima diuinis supplex dabat oscula plantis.

V. in hosce uersus Barth. *Aduersar.* lib. XXXIV. cap. XXI. p. 1581. uel apud Corippum Fogginii p. 305. et ibid. Rittershusium p. 391., qui plura congesserunt de ritu osculandi pedes Imperatorum. Vide etiam infra in hoc poëmate ex Indice u. *Oscula.*

V. 122. *Gauisus alumno.* Ms. *gauuisus alumpno.*

V. 123. *Imperialis apex.* V. supra ad u. 101.

V. 125. *onerantur.* Ms. *honorantur.*

V. 128. *Tyro rudis.* Ms. *Lytorudis* uno uerbo.

V. 131. *Maximus.* In margine: *Oratio.*

V. 132. *sic.* Ms. *haec* per compendium *h'.*

V. 136. *populisque suis. Nunc accipe dicta.* Ms. *populis suis. nunc accipe accipe ditta:* sic absque copula *que*, et repetito *accipe.*

V. 139. *Auribus in nostris sonuit.* Ex *Cantica Canticorum* cap. II. u. 14. uidetur petita haec phrasis, ubi legitur: *Sonet uox tua in auribus meis.*

V. 144. *Languantanque.* Ms. hic habet *Languentanque*; infra u. 469. *Laguantan*, lib. IV. u. 48. *Laguantaque*, u. 85. et lib. VII. u. 474. *Lauguantan*, item lib. IV. u. 629. *Languatan* in textu, et *languantan* in margine, u. 797. *ilaguaten*, u. 815. et lib. VII. u. 434. et 501. *languatan*, lib. V. u. 166. *illaguatensis*, lib. VI. u. 535. *laguantan*, et lib. VII. u. 501. *lauguatan.* Quare rectius puto esse *Languantan*, sic enim est etiam in margine ad lib. IV. u. 629., ut supra iam monui. Hi procul dubio sunt illi barbari Mauri contermini

Tripolitanae prouinciae, quos Procopius uocat modo Λευαθαὶ *Leuathae*, ut *Hist. Arc.* cap. V. Opp. T. 2. p. 18., modo Λευκαθαὶ *Leucathae*, ut *De Aedif.* lib. VI. cap. IV. p. 112., et *De Bello Vandalico* lib. iI. cap. XXI. Opp. T. I. p. 287. et seq., item cap. XXVIII. p. 305., modo autem Λεβάνθαι *Lebanthae*, uel potius *Leuanthae*, ex *Lenguantan*, uel *Languantan* deriuatum; nam Iustiniani aeuo iam *β* Graecorum sonabat ut *V* Latinum consonans, uel etiam ut *Gu* áut duplex *VV* barbararum nationum. Ideo apud eundem Procopium *Vandali* semper per *β* hoc modo exprimuntur *βανδιλοι*. Idem Maltretus in *Indice ad* Procopii *libros de Bellis* uerbo *Lebanthae* nos admonet *fortasse eosdem esse eos cum Leucathis.* Caussam eorum defectionis a Romanis, quibuscum prius se adiunxerant ob delendum regnum Vandalorum, nobis aperit idem Procopius fuse *De Bello Vandalico* lib. iI. cap. XXI. mox cit., et perstringit loco pariter citato *Historiae Arcanae* hoc modo: *Quae Sergius Bacchi filius* (qui Tripolitanae prouinciae praeerat sub patruo Solomone praefecto praetorii Africae) *commisit in Africa iam satis opportuno loco narrata sunt: eius enim caussa res male gesta Romanis in ea prouincia; Leuathis iurata fides, conceptis ad Euangelium uerbis, qui (quod mox praeterea dicendum) nec dolo malo ad Sergium proficiscerentur, nec ullus esset suspicioni locus; apparatis tamen epulis acceptos, neglecto sacramento, per scelus interfecit; quae fuit origo non modo Solomonis ducis, sed Romanorum etiam, et Africanorum interitus.* Haec autem contigerunt anno XVII. imperii Iustiniani, ut notat idem auctor cit. cap. XXI. lib. iI. *De Bello Vand.* p. 287., qui annus respondet anno Christi DXXXXIII.

V. 145. *subiectum flectere collum.* In *Fragm. de Laud. Iustini* u. 34. desinit:

. . . . *subiectaque ponere colla.*

V. 147. *Iura.* Ms. *Laurea.*

V. 149. *gentes domitare superbas.* Ms. *gentes domare superbas.* Feci *domitare*, ut uersus complerem mensuram non sine exemplo Auctoris nostri, qui *De Laudibus Iustini* lib. iiI. u. 140. finit: *duros domitare tyrannos.* Hoc loci, et alibi persaepe prae oculis habet noster Poëta celebrem illum Virg. *Aen.* lib. VI. u. 853. de Romanis:

Parcere subiectis, et debellare superbos.

V. infra lib. iI. u. 368.

V. 152. *In manibus referens, et te per cuncta gubernet.* Ms. *Immedius referens* etc. Recole Psalm. LXXXX. u. 2. *In manibus portabunt te.* Fortasse pro *gubernet*, ut est in Codice, legendum erit: *gubernans.*

V. 153. *Prosperitate sua: titulis.* Ms. *Prosperitate sua. tictulis.* Fortasse legendum erit: *ut titulis.* Nota hic *prosperitatem* esse pro *fauore*, quem sensum non exponunt lexicographi Latini, etsi iidem adnotarunt *prosper* uel *prosperus* idem esse ac *favorevole* Italice, idest *fauens*, ut est apud Forcellinum; unde sicut ex *faueo* prouenit *fauor*, ita ex *prospero* uel *prosper* potuit effici *prosperitas* pro *fauore.* V. etiam infra u. 406. ubi rursus occurrit *prosperitate Dei* pro *Dei fauore.*

V. 154. *Pro meritis nos rite tuos uideamus.* Ms. *Pro meritis nos retecius uideamus.* Etiam *uideamus* non satis clare expressum est in Codice. Aduerbio *rite* usus est Auctor etiam lib. I. *De Laud. Iust.* u. 338.

Hunc ueterem primi ritum non rite colebant.

V. 155. *Diuinisque oscula plantis.* V. supra ad u. 119. ubi iam retuli *De Laud. Iust.* lib. I. u. 158.

Plurima diuinis supplex dabat oscula plantis.

V. 158. *pietasque.* Ms. *pictasque.*

V. 159. *nautas hortatur ouantes.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 12-3.

Tum socios (namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum) sic incipiens hortatur ouantes.

V. 161. *Prima repercussis uerruntur marmora tonsis.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 28.

. . . . *et in lento luctantur marmore tonsae.*

In margine Codicis haec leguntur: *Nota modum proprium nauigantium.*

V. 162. *urguent.* Sic legebatur prius in Codice, hic, ut alibi, sed inde effectum fuit *urgent.*

V. 165. *abscondunt alta carinae.* Ms. *ascondunt alta carine.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 142.

Alta petens, pelagoque alius trahit humida lina.

Aen. lib. II. u. 203.

Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta.

et lib. X. u. 687.

Labitur alta secans.

V. 166. *centum.* Ms. *tentum.*

V. 168. *aeratis aequora proris.* Virg. *Aen.* lib. IX. u. 122.

Quot prius aeratae steterant ad litora prorae.

V. 171. *traiciens.* Ms. *traicias.*

V. 172. *Seston Abydenus.* Ms. *Sexton abideus.*

V. 174. *Et legit antiquae litus lacrimabile Troiae.* In margine haec adest nota: *Hic nautae demonstrant, ubi Troia fuit, et domus regia Priami et Aeneae.*

V. 176. *priorum.* Ms. *priorem.*

V. 177-8. *domus haec Aeneia longe, Arboribus quae septa iacet.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 299-300.

. . . . . quanquam secreta parentis
Anchisae domus, arboribusque obtecta recessit.

V. 180. *Demoleum hoc uictor prostrauit litore magnum.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 260-1.

Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto.

V. 181. *Aeneas proauus.* Fortasse est legendum *profugus,* ut habet Ioh. L. de Bonis exscriptor Codicis in sua *Ecloga* X., quae inscribitur *Mors,* u. 106., ubi plures ex hisce uersibus intulit. A Virgilio etiam *profugus* dicitur Aeneas. *Aen.* lib. I. u. 2.

V. 186. *Vt niger Memnon.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 493.

Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.

V. 188-9. *bellatrix uirgo cateruis Penthesilea.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 495-7.

Penthesilea furens . . . .
Bellatrix, audetque uiris concurrere uirgo.

V. 189. *Rhesus qua nocte peremptus.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 473-5.

Nec procul hinc Rhesi niueis tentoria uelis
Agnoscit lacrimans, primo quae prodita somno
Tydides multa uastabat caede cruentus.

V. 190. *Troilus utque puer forti congressus Achilli.* Ms. *Troilusque husque puer forti congressus achilli.* In *Ecl.* X. cit. Ioh. L. de Bonis sic etiam incipit hic uersus ibi 120. *Troilusque usque* cet. Virg. *Aen.* lib. I. u. 478-9.

Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
Infelix puer, atque impar congressus Achilli.

V. 191. *Victor Apollinea cecidit qua lege sagitta. Victor* dicitur *Achilles* a Virg. *Aen.* lib. VI. u. 168., et

ab Horatio lib. IV. Ode VI. u. 3-4. De illius morte Virg. *Aen.* lib. VI. u. 56-8. haec cecinit:

Phoebe, ...
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidae.

V. 193. *exhaustae incendia Troiae.* Ms. *exauste incendia troie.* Sic etiam legitur ap. Ioh. L. de Bonis cit. *Ecl.* X. u. 123. in utroque Codice. An *exustae?* Virg. *Aen.* lib. II. u. 555. dixit *Troiam incensam*, et lib. VII. u. 295-6.

. . . . . . num incensa cremauit
Troia uiros?

Imo quinque aliis in locis *incensam* eandem urbem dixit.

V. 196. *tot per uada caerula.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 198.

Litus ad Ausonium tot per uada caerula uexit.

V. 197. *narrantes.* Ms. *narrantis*, quod poterat tueri auctoritate Sosipatri Carisii lib. I., qui regulam a Prisciano traditam, quam uide paulo supra ad u. 114., transfert etiam ad alia nomina, tertiae declinationis, quae crescunt genitiuo.

V. 198. *Audiit.* Ms. *Audit.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 516.

Audiit et Triuiae longe lacus: audiit amnis.

V. 202-3. . . . . *mater quoque filia regis,*
. . . . et nunc pater ipse Iohannes.

Confer Alemannum in Notis ad Procopii *Historiam Arcanam* Edit. Lugd. p. 69. uel Paris. p. 139., ubi *inter parentes Iustiniani Imp.* n. 39. Stemmatis eiusdem adest *Iohannes* (idem ac noster) *Vitaliani Consulis nepos, Iustinae Germani filiae maritus.* Haec autem Iustina uocari merito potuit *filia regis* a nostro Poëta, utpote Germani filia, qui fuit Iustiniani Augusti ex fratre nepos: iuxta illud Seruii ad Virgilii *Ecl.* III.

u. 106. *Regum nomina, non quoniam ipsi* (Hyacinthus et Aiax) *reges fuerunt, sed quia regum filii, ut Magnum reginae sed enim miseratus amorem. cum de Ariadne diceret Pasiphaës reginae filia.* Confer etiam Praefationem nostram, ubi de Iohanne Poëmatis heroë disseruimus. Videatur praeterea *Glossarium ad Scriptores mediae et infimae Latinitatis auctore Du Cange* ex Ed. Monachor. S. Mauri, et *Glossar. nouum* Carpentier Verbo: *Rex, Reges, filii regum.*

V. 204. *pertentant gaudia mentem.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 828.

Gaudia pertentant mentem.

It. lib. I. u. 506.

Latonae tacitum pertentant gaudia pectus.

V. 206. *Per mare ueliuolum.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 228.

Despiciens mare ueliuolum.

V. 207. *Vnica Romanis rebus spes altera, Petrus.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 168.

Et iuxta Ascanius, magnae spes altera Romae.

V. 208. *Labitur Aegeum classis.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 91.

Labitur uncta uadis abies.

V. 209. *Haud secus Adriacis.* Mare Adriacum etiam Ionium ab antiquis uocabatur, uel hoc pars erat illius: unde intelligimus, quomodo diuus Paullus ex Creta *nauigans in Adria* (*Act.* cap. XXVII. u. 27.) appulit Melitam insulam prope Siciliam, non uero, ut aliqui uolunt, Melitam alteram uulgo nunc *Meleda* in sinu Adriatico sitam. Imo Procopius ipse *De Bello Vand.* lib. I. cap. XIV. p. 212. Adriaticum mare usque ad Tyrrhenum extendit, cum dicit de Belisarii classe Africam aduentante sic: *Sublatis confestim uelis, Classem aduertunt ad Gaulum et Melitam insulas, quibus*

mare Adriaticum a Tyrrheno dirimitur. Videndi sunt circa hanc quaestionem diu agitatam Christoph. Cellarius *Dissert. de Amoenitatibus historicis et geographicis ex Itineribus D. Pauli Ap. collectis* n. XXVI. in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* Vgolini T. VII. p. MCXCVII., Car. Iosephus a S. Floriano *Navigazione dell' Apostolo Paolo da Cesarea a Malta* in *Raccolta Milanese dell' anno* 1756. f.° 25. 26. et 27. iterumque edita Mediolani 1757. in calce ad eiusdem auctoris *Fondazione della Chiesa d'Aquileja*, et Agius de Soldanis *Discorso apologetico contro la Dissertazione descritta dal Ladvocat intorno il Naufragio di S. Paolo con una Lettera contra le Opere composte dal Sig. Ab. Sciuliaga* Venetiis 1758., ubi p. 2. et 3. recensentur plures alii auctores, qui pugnarunt pro Melita Sicula. Quibus adiicendus est etiam liber Venetiis editus anno 1763. sic inscriptus: *Critica de' Critici moderni, che dall' anno* 1730 *infino al* 1760 *scrissero sulla Controversia del Naufragio di S. Paolo Apostolo, descritto ne' Capi* 27. *e* 28. *degli Atti Apostolici: diretta a Filalete Epifane da Nonio Catiniano Gravanti M. D. A. R. D. I. E. B. L. B. P.* Pro Melita autem Illyrici scripserunt praeter citatum Laduocat, Ign. Georgius opus, cui titulus: *D. Paulus Apostolus in Mari, quod nunc Venetus sinus dicitur, naufragus, et Melitae Dalmatensis insulae, post naufragium hospes. Venetiis* 1730. et Steph. Sciuliaga citatus pluribus opusculis tum Italice tum Latine editis.

V. 210. *Ocius alta secat.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 687.
Labitur alta secans.

V. eod. *Siculas mox contigit oras.* Virg. *Aen.* lib. III. u. 410-1.

Ast ubi digressum Siculae se admouerit orae
Ventus.

Corippus *De Laud. Iust.* lib. I. u. 197.

Limen ut augustae sacro pede contigit aulae.

lib. III. u. 1.

Contigit ut princeps augusti limina tecti.

et u. 300.

Nunc ripas Scythici uictor rex contigit Istri.

et lib. IIII. u. 248.

Contigit ut sacrae felicia limina portae.

Haec congessi auctoris nostri exempla eiusdem uocis, quia in Codice nostro uox *contigit* non est adeo clara. Fortasse prius erat *attigit*, quod correctum uidetur fuisse ab ipso exscriptore Codicis in *contigit*.

V. 211. *omne.* Scias oportet, hanc uocem non satis claram apparere in Codice, ubi saltem de postrema littera *e* nequit dubitari.

V. 213. *Scylla biformis.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 286. desinit: *Scyllaeque biformis.*

V. 216. *Quamquam hic alternae coëant confinia terrae.* Ms. *alterne*, quia semper negligit diphthongos. Puto hic esse *alternae* poëtice pro *utriusque*, ut apud Statium *Lib.* I. *Silua* III. u. 25. . . . . *Nec te mitissimus amnis*

Diuidit: alternas seruant praetoria ripas.

V. 218. *numquam placata Charybdis.* Virg. *Aen.* lib. III. u. 420. . . . . *implacata Charybdis.*

V. 219. *liquidas reuomens nec sorbuit undas.* Ms. *liquidas remonens nec sorbuit undas.* Virg. *Aen.* lib. III. u. 422-3. de Charybdi agens subiungit: *Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras Erigit alternos* cet.

V. 221. *Arboribus.* Ms. *Alboribus.*

V. 222. *intrate.* Ms. *intrare.*

V. 225. *socios hortatur ouantes.* V. supra u. 159. et notam in eundem.

V. 229. *Caucana Sicani iuxta iacet arua Pachyni.* De portu *Caucana* in Sicilia uide Procopium *De Bello Vandalico* lib. I. cap. XIV. p. 211. et seqq., ubi narrat eodem in portu stetisse etiam classem Belisarii, cum in Africam proficisceretur. Confer etiam *Historiam Miscellam* lib. XVI. ap. Murator. *Rerum Italicar. Scriptores* T. I. p. 105., et Cluuerii *Siciliam antiq.* lib. I. cap. XIV. p. 190 et seq. edit. uet. et p. 223. edit. nouae in *Thesauro Antiquitatum et Historiar. Siciliae* Graeuii et Burmani T. I. In quantitate uocis *Sicana* secutus est Corippus Ausonium, qui in *Gripho* u. 46. priores syllabas produxit.

Hinc Bromii quadrantal, et hinc Sicana medimna.

V. 231. *morsu perstrinxit obunco.* De aquilae rostro Claudian. ait *De Bello Gildonico*, Carm. XV. u. 470. *morsu partitur obunco.*

V. 232. *stelliferus maris asperat hesperus undas.* Ms. *stelliferas maris asperat hesperus undas.* Vig. *Aen.* lib. III. u. 285.

Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas.

V. 233. *tetram caligine noctem.* Ms. *terram caligine noctem.* Poteram corrigere: *tetra*, ut dixit Cic. *pro Lege Agrar.* Or. II. c. 17. *tetrae tenebrae et caligo:* sed pro *tetram* est Lucan. *Phars.* lib. IV. u. 172.

. . . . . . *Tetra nimborum nocte coorta.*

V. 242. *surgebat.* Ms. *surgebant.*

V. 243. *cum tristis imago.* In margine est: *Visio.*

V. 250. *Meque rogas, uultu minitans?* Ms. *Meque rogas? uultu minitans?*

V. 251. *Horrida sulfureis.* Ms. *Orrida sulfuriis.*

V. eod. *monstris.* Ms. *mostris.*

V. 253. *claro deiectus olympo.* Ms. *oculo deiettas olimpho.*

V. 254. *imitantia.* Ms. *minitantia.*

V. 257. *tetrae caliginis umbra.* Ms. *terre caliginis umbra.* V. supra ad u. 233.

V. 258. *sed rursus ab alto.* In margine: *Alia uisio.* S. Cyprianus fortasse est ille, qui hic apparet Iohanni, cum de eodem S. Antistite Carthaginiensi et Martyre haec etiam Prudentius cecinerit *Peristeph.* Hymn. XII. u. 99-100. . . . . . *Tenet ille regna caeli,*

Nec minus inuolitat terris, nec ab hoc recedit orbe.

Imo Procopius ipse *De Bello Vandalico* lib. I. cap. XXI. p. 227. Opp. T. I. Ed. Paris. 1662. narrat de profanatione templi eidem Martyri sacro per Arianos Vandalos peracta (uersione utor Claudii Maltreti) *moestis et animi dubiis Afris Cyprianum saepe uisum in somnis dixisse, ne sua causa Christianos haberet solicitos; futurum enim tempus, cum ipse factam sibi iniuriam ulcisceretur.* De uariis apparitionibus huiusce Sancti uide *Acta Sanctorum Septembris* T. IIII. p. 334. et seqq. Fateor tamen potuisse poëtam innuere S. Laetum Episcopum Neptitanum et Martyrem, de quo Victor Tunonensis in *Chronico* ad ann. Christi DXXXIIII. haec reliquit: *Iustiniano IV. Cos. Iustinianus imper. uisitatione Laeti episcopi ab Hunerico Vandalorum rege martyris facti, exercitum in Africam, Belisario magistro militum duce, contra Vandalos mittit.* Iohannes autem Limpenus de eodem Sancto agens int. *Acta Sanctorum Septembris* T. II. p. 682. sub die VI. eiusdem mensis, post relata uerba Tunonensis eam apparitionem refellit, haec subdens: *Similia ex eiusdem Victoris Chronico haud dubie accepta, leguntur apud S. Isidorum Hispalensem in Historia Vandalorum. At utroque antiquior Procopius Caesariensis, qui Constantinopoli degebat, cum bellum*

aduersus Wandalos Iustinianus anno Christi DXXXIII susciperet, episcopum quemdam Dei monitu ex Oriente illum aduenisse asserit, cuius exhortatione incitatus imperator bellum istud decreuerit. Subinde recitat, quae Procopius narrat hac super re *De Bello Vandalico* lib. I. cap. X. p. 203., et concludit: *Sed imperatorem istum ad Wandalos debellandos inductum fuisse uisitatione Laeti episcopi, ut Victor Tunonensis scribit, tuto credi nequit, nisi Procopii aduersantis grauior auctoritas eleuetur.* Equidem hoc in casu Procopii auctoritas praeferri debet illi Victoris, cuius etiam fidem suspectam merito reddit mihi Oltrocchius in *Historia Ecclesiae Mediolanensis Ligustica* p. 329., ubi *illum Graecae hunc Punicae fidei Scriptorem* uocat.

V. 262. *Continuitque manum, sanctoque haec addidit ore.* In Ms. deest *haec*: unde claudicabat uersus. Illud addidi ex Virg. *Aen.* lib. II. u. 593.

Continuit; roseoque haec insuper addidit ore.

et lib. VII. u. 451. *rabidoque haec addidit ore.*

V. 263. *concitet.* Ms. *concitat.*

V. 266. *Virque Dei.* Sic uocantur tum Angelus, qui apparuit matri Sampsonis *Iud.* C. XIII. u. 6. et 8.; tum Samuel *Reg.* lib. I. C. VIIII. u. 6. et seqq., nec non alii prophetae uel Sancti passim in sacris Bibliis, et apud scriptores ecclesiasticos.

V. 267. *Claudere nitentem.* Ms. *Claude renitentem.*

V. eod. *mente benigna.* Sic erat prius etiam in Codice; sed a prima manu factum est postmodum *benignus.* Pro lectione, quam praetuli, est Virg. *Aen.* lib. I. u. 308. qui desinit: *mentemque benignam.*

V. 270. *Erexit.* Ms. *Exexit.*

V. eod. *Lampadas ignis.* Ms. *lampadis ignis*, quae lectio tueri potest, sumendo *ignis* pro *ignes*; sed *lampades ignis* habent etiam sacra Biblia, ut *Cant.* cap. XIII. u. 6. et *Mac.* lib. I. cap. VI. u. 39., nusquam uero reperi *lampadis ignes.* Rursus post hunc uersum, cum hic etiam periisset folium respondens alteri, de quo iam supra memini ad u. 22., desunt circiter alii LXII. uersus ad minus, uel paulo plures; nam folia antecedentia totidem constant uersibus, et subsequens continet uersus LXV., nempe XXXII. in priori pagina, et XXXIII. pagina uersa.

V. 274. *sustentant lintea.* Ms. *substant linthea.*

V. 275. *uelis.* Ms. *ullis.*

V. 279. *Sorte trahit.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 512.

. . . . *aut sorte trahebat.*

V. 281. *suam.* Ms. *suum.*

V. 284. *Vt.* Ms. *Ve.*

V. 286. *Omnipotens.* In margine est: *Oratio.*

V. 289. *tibi militat aër.* Claudian. *De III. Consulatu Honorii.* Carm. VII. u. 97.

. . . . *cui militat aether.*

V. 290. *arduus intonat aether.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 324.

. . . . *ruit arduus aether.*

Aen. lib. VIII. u. 239. iuxta aliquos:

. . . . *maximus intonat aether.*

et lib. X. u. 102.

. . . . *silet arduus aether.*

V. 291. *turbatur machina mundi.* Ms. *turbatur maghina mundi;* sed Iohannes L. De Bonis in Poëmate pro *Galeatio Vicecomite Duce Mediolani* lib. I. iuxta Cod. A. 274. u. 986. uel iuxta Cod. A. 275. u. 909. habet:

. . . . *turbatur machina mundi.*

Lucret. lib. V. u. 77.

. . . . . . *ruet moles et machina mundi.*

V. 300. *tua sum praecepta.* Ms. *tu s . . precetta.* Clare est in Codice *tu*, sed sequens uox, quae fuit a prima manu correcta, est ualde dubia. Fortasse ex *scis* effectum est *sum.*

V. 301. *fauens.* An *parens?* Sed pro lectione Codicis est Virg. *Georg.* lib. I. u. 18.

Adsis, o Tegeaee, fauens.

V. 302. *tantaeque pius succurre ruinae.* Ms. *tanteque pius seruire ruine.* Virg. *Aen.* lib. IX. u. 290. desinit:

. . . . *et succurre relictae.*

et u. 404.

. . . . . . *tu praesens nostro succurre labori.*

Imo auctor noster infra lib. VI. u. 102-3.

. . . . *nostraeque ruinae*

Festinus succurre.

V. 303. *damnant.* Ms. *dampnant.*

V. 305. *Pro Petro nunc parce meo.* Ms. *Proterio nunc parge* (uel *perge* per compendium) *meo.*

V. 306. *Haesit in ore sonus.* Ms. *Exit in ore sonus.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 774. et lib. III. u. 48.

Obstupui, steteruntque comae, et uox faucibus haesit.

It. lib. IV. u. 280. et lib. XII. u. 868.

Arrectaeque horrore comae, et uox faucibus haesit.

V. 307. *crura.* Ms. *clura.*

V. 309. *ingentes gemitus ad sidera tollit.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 222.

Clamores simul horrendos ad sidera tollit.

V. 310. *Talibus orantis. De Laud. Iustini* lib. I. u. 154.

Talibus orabat cet.

V. 311. *Suspiciens.* Ms. *Subspiciens.* An *Suscipiens?* V. lib. VI. u. 108.

V. eod. *ualidis mitescere uentis.* Apud Gell. lib. XVI. cap. XI. *ualidus* uocatur *uentus,* ut et in sacris litteris Matth. *Euang.* C. XIV. u. 30. *uidens uero uentum ualidum* etc., et Iac. *Epist.* cap. III. u. 4. *Ecce et naues, cum magnae sint, et a ualidis uentis minentur* etc.

V. 312. *Imperat.* Matth. cap. VIII. u. 26. *imperauit uentis et mari, et facta est tranquillitas magna;* et Luc. cap. VIII. u. 25. *et uentis et mari imperat, et obediunt ei.*

V. eod. *et clauso frangi sub monte procellae.* Ms. *et clauso monteque procelle.* Adieci *frangi* ad complementum uersus ex Claud. Carm. XXXIII. lib. I. *De Raptu Proserp.* u. 75. . . . *et fractae redeunt in claustra procellae.*

V. 313. *tenuato uellere nubes.* Ms. *tenuuto uellere nubes.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 397.

Tenuia nec lanae per caelum uellera ferri.

Quod Forcellinus in *Lexico* explicat: *hoc est nubes uellerum instar.* Sic Lucan. *Phars.* lib. IV. u. 124.

Et par Phoebus aquis densas in uellera nubes
Sparserat.

V. 321. *Iam propius propiusque.* Ms. *Iam proprius propriusque.*

V. 324. *indomitas martis cognouit harenas.* Pro *harenas* in Codice est *habenas.* Puto Poëtam *Martis harenas* uocauisse *Africam* uel propter bella fere continua ibi habita a Romanis, uel propter bellicosum populum Africam incolentem. Idcirco narrant, qui de origine Carthaginis scripserunt, inuentum fuisse caput equi, qui Marti est sacer, in eius fundamentis. Idem caput exhibent antiqui nummi illius urbis, quorum plures aurei argentei et aerei exstant etiam in Museo Triuultio.

V. 325. *Monstrum!* Ms. *mostrum.*

V. 326. *crispantes.* Ms. *grispantes.*

V. 327. *fauilla.* Ms. *fauille.*

V. 328. *aethram.* Ms. *ethera.*

V. 329. *et in* Ms. *etiam.*

V. 330. *conuoluens.* An *comburens?*

V. 334. *miserae.* Ms. *miserie.*

V. 336. *Haud aliter.* Ms. *Aut aliter.* Nota, quod Virgilius octies incipit uersum ex hisce uocibus: *Haud aliter;* nempe *Aen.* lib. IV. u. 256., lib. V. u. 592., lib. IX. u. 554. et 797., lib. X. u. 360. et 716, lib. XI. u. 757., et lib. XII. u. 723.

V. 338. *Flammiuomis.* Iuuencus in *Prooem.* u. 23.

Flammiuoma descendens nube coruscans iudex.

V. eod. *ni.* Ms. *in.* V. et infra lib. II. u. 82.

V. eod. *fulmine summo.* Claudian. *De Magnete.* Carm. XXXXVIII. u. 52.

Tu magnum superas fulmen.

Ibi Pyrrhus interpres ait: *Tu uincis summum fulmen.*

V. 340. *restinguens.* Ms. *restringens.*

V. 341. *succurrere.* Ms. *succurre.*

V. 348. *uertere proras* cet. Ms. *uertice ploras* cet. Virg. *Aen.* lib. VI. u. 3.

Obuertunt pelago proras.

et lib. VII. u. 35-6.

Flectere iter sociis, terraeque aduertere proras
Imperat; et laetus fluuio succedit opaco.

V. 349. *et notae laetus successit arenae.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 34.

Et tandem laeti notae aduertuntur arenae.

V. 350. *Litora Byzacii.* Ms. *Litora bizarii.* V. Procop. *De Bello Vandalico* lib. II. cap. XXVIII. Opp. T. I. p. 305.

V. 351. *Tellure opposita.* Ms. *Opposita tellure.*

V. 352. *curuis statio concessa carinis.* Ms. *curuis statio est cessa carinis.* Fortasse compendium $\bar{e}$ fuit scriptum pro consimili $\bar{c}$. Illud autem usurpatum semper fuit pro *est*, istud uero pro *con.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 360.

Iam sibi tum curuis male temperat unda carinis.

Aen. lib. II. u. 23. *et statio malefida carinis.*

et u. 179. *et curuis secum aduexere carinis.*

V. 353. *nimium uada salsa.* Ms. *minius salsa unda.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 158.

. . . . . *et longae sulcant uada salsa carinae.*

V. 357. *Confractum.* Ms. *Conflactum.*

V. 361. *miserae.* Ms. *miserie*, ut paulo supra u. 334.

V. 362. *Et pelagi.* Ms. *Et pellagi.*

V. 364. *fugiantque.* Ms. *fugiunt* absque copula.

V. 365. *portuque petunt uada tuta quieto.* Ms. *portisque petunt uada tuta quiete.*

V. 367. *Tempore quo Libycas Belisarius tetigit oras.* Belisarium Africam appulisse nos docet Paulus diaconus libro XVIII. superaddito *Historiae* Eutropii, ubi ait, quod Iustinianus per Belisarium *Vandalorum gentem, capto eorum rege Gilimere, usque ad internecionem deleuit, Africamque totam post annos LXXXXVI. imperio Romano restituit.* Sed res praeclare gestas annis DXXXIII. et DXXXIIII. a Belisario fusius descripsit Procopius (qui eum secutus fuerat in illa expeditione, utpote illius a secretis) libris duobus *De Bello Vandalico* inscriptis.

V. 369. *Caput dixere Vadorum.* Procopius *De Bello Vand.* lib. I. cap. XIIII. p. 212. *Ibi* (prope Melitam) *exortus eurus classem* (Belisarii) *postridie ad illam litoris Africae partem tulit, ubi est Capuduada: sic lingua*

Romani sua locum appellant, unde ad Carthaginem dierum V. iter est uiro expedito.

V. 373. *ancora morsu.* Ms. *arcora morsu.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 173.

. . . . unco non alligat ancora morsu.

V. 381. *Geilamir.* Procopius, qui huius postremi regis Vandalorum historiam fuse narrat a cap. VIIII. libri I. usque ad cap. VIIII. libri II. *De Bello Vand.* Graece eius nomen scribit Γελίμερ. Apud Paulum Diaconum uocatur *Gilimeres,* et *Gelimeres* passim apud alios Scriptores; sed *Geilimer* est in *Chronico* Victoris Tunonensis ad annum DXXXIIII. In nostro autem Codice semper est *Geilamir,* quod rectius puto, nam etiam eius numus argenteus parui moduli (quinarium uocant) exstat, cum epigraphe *D. N. R.* uel *Rex Geilamir* circa eius caput diademate cinctum cum paludamento ad pectus. Vide Mionnet opere Gallice inscripto *De la Rareté et du Prix des Médailles Romaines,* pag. 499. De eodem Geilamir uide etiam infra lib. III. u. 17. Is per uim regnum Vandalicum in Africa occupauit exauctorato Hilderico et in custodiam tradito anno DXXX., ac postmodum uita orbato anno DXXXIII., cum Belisarius in Vandalos bellum gereret, a quo tandem superatus, et captiuus ductus fuit Constantinopolim anno DXXXIIII.

V. 383. *Hic Libycas potauit aquas, hoc margine fossas.* Ms. pro *margine* habet *magine.* Ouid. *Metam.* lib. I. u. 13.

. . . . , nec brachia longo
Margine porrexit Amphitrite.

Stat. *Theb.* lib. III. n. 407.

Soluerat Hesperii deuexo margine ponti.

Procop. *De Bello Vand.* lib. I. cap. XV. p. 215. post

narratam exscensionem exercitus Belisarii in Africam, ait: *Mox designato quodam loco in litore, militibus nautisque imperat magister militiae, uti fossam percutiant, ac circumstruant uallum. Illico gestus est mos: et quoniam ingens multitudo operi incumbebat, studiumque cum ipse timor, tum magistri militum uox atque hortatus excitabant; eodem die perducta fossa, uallum confectum, et pali circum ubique depacti sunt. Eo loci res fossoribus accidit admiratione dignissima. Solo fons uber emicuit: cuiusmodi munus in Byzacio nouum, eoque magis mirum exstitit, quod peraridus is locus erat.*

V. 385. *tumulus.* Ms. *tumidus.*

V. 390. *germano pariter comitante beato.* Ammian. Marcell. *Hist.* lib. XXV. cap. 3. al. 11. *Anatolium quaesiuit officiorum magistrum: quem, cum beatum fuisse Sallustius respondisset, Praefectus intellexit occisum.* Hic germanus Iohannis uocatur Pappus a Procopio, qui eiusdem meminit non semel in libris *De Bello Vand.*; nempe lib. I. cap. XI. p. 205. exercitum Belisarii describens ait: *Romanorum militum ductores erant, equitum quidem Rufinus et Aigan domestici Belisarii, Barbatus item et Pappus; peditum uero Theodorus* etc. Item lib. II. cap. III. p. 240. rursus aciem Romanam describens Procopius haec habet: *Cornu dexterum tenebant Pappus, Barbatus, Aigan, et quicumque numeris equestribus imperabant* etc. Tandem cap. XVII. eiusdem libri II. rursus describens Procopius aciem Romanam sub Germano in Africa, postquam inde secundo Belisarius discesserat, sic ait p. 278.: *A laeua peditatus stetit ipse (*Germanus*) cum lectissimis equitum, et qui Byzantio cum eo uenerant: caeteros in cornu dextero, non in unum coactos, sed in tria diuisos agmina, statuit,*

quorum primum Ildiger, alterum Theodorus Cappadox, postremum, quod maius erat, Iohannes Pappi frater ducebat. Etiam ibidem cap. XXVIII. p. 305. ubi perstringit Procopius bella, fusius descripta hoc in Poëmate, rursus dixit : *Reuocato Artabane, Iohannem Pappi fratrem, militum per Africam magistrum* (Iustinianus) *creauit, ei nullo consorte addito.* Hinc constat Iohannem Pappi fratrem eundem esse ac Iohannem Dyrrachinum, atque uirum Iustinae filiae Germani, ut innui ad u. 203. huiusce libri.

V. 395. *sociusque.* Ms. *sotiosque.*

V. 399. *superas.* Ms. *separas.*

V. eod. *genitoris imago.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 560.

. . . . . . *subiit cari genitoris imago.*

V. 400. *Pampus.* Ms. *lampus,* unde feci *Pampus,* ut magis accederem ad Procopium, qui eum uocat *Pappum.* In expeditione Africana Belisarii fuit ille Pappus, Iohannis nostri frater, unus ex ductoribus equitum Romanorum, ut constat ex lib. I. *De Bello Vand.* cap. XI. p. 215. et lib. II. cap. III. p. 240. locis mox relatis in nota ad u. 390., ubi tamen de extremo eius fato nihil reperi.

V. 401. *Stygias.* Ms. *scias.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 773.

. . . . . . *Stygias detrusit ad undas.*

V. 406. *Prosperitate Dei.* V. supra ad u. 153. ubi innui *prosperitatem* sumi a nostro Poëta pro *fauore.*

V. 412. *uacuas tacuisse domos.* Vig. *Aen.* lib. IIII. u. 525. *Cum tacet omnis ager.*

V. 415. *Tyrios . . . muros,* nempe Carthaginis, ut Virg. *Aen.* lib. I. u. 24. *Tyrias arces,* et u. 344. 393. et 572. *Tyriam urbem,* dixit Carthaginem. Imo lib. IIII. u. 224. aperte legitur : *Tyria Carthagine.*

V. 420. *incitat iram.* Virg. *Aen.* lib. XI. pariter u. 728. desinit: *incitat iras.*

V. 422. *excita iuuentus.* Lucan. *Phars.* lib. I. u. 239.

. . . . . *stratisque excita iuuentus*

V. 424. *aere recuruo.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 513. desinit: *cornuque recuruo.*

V. 425. *raucisoni succendunt proelia cantus.* Ms. *cantu.* Lucr. lib. II. u. 623. *raucisonoque minantur cornua cantu.* et lib. V. u. 1084. *Raucisonos cantus.*

V. 426. *erumpunt agmina portis.* Virg. *Georg.* lib. IIII. u. 78. *Erumpunt portis.*

V. 429. *Mille uiis.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 590. incipit similiter: *Mille uiis.*

V. eod. *pulsuque pedum gemit arida tellus.* Ms. *cursuque pedum* cet., quod non congruit cum iis, quae sunt in superiori uersu: *peditum pars lenta mouetur.* Quare correxi ex Virg. *Aen.* lib. VII. u. 722. et lib. XII. u. 445. . . . *pulsuque pedum tremit excita tellus.*

V. 433. *concitus ira.* Ms. *cocitus ira.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 694. desinit:

. . . . . *atque immani concitus ira.*

V. 434. *fucosue uolens arcere malignos.* Virg. *Georg.* lib. IIII. u. 168. et *Aen.* lib. I. u. 439.

Ignauum fucos pecus a praesepibus arcent.

V. 436. *linquunt.* Ms. *liquut.*

V. 437. *raucisque acuunt stridoribus hostes.* Ms. *magnisque canunt* cet. Virg. *Aen.* lib. XII. de apibus ait u. 590.

. . . . . *magnisque acuunt stridoribus iras.*

Conf. ibid. u. 108. *Aeneas acuit Martem.*

V. 438. *Haud secus.* Ms. *Aud secus.* Sic. Virg. incipit *Aen.* lib. II. u. 382. lib. IIII. u. 447. lib. VIII. u. 414. lib. XI. u. 814. et lib. XII. u. 9. et 124.

V. 439. *procedere.* Ms. *prodere.*

V. 440. *Hinc seges aeratis horrescit spissa maniplis.* Ms. *Hinc seges aratis* cet. Virg. *Aen.* lib. VII. u. 703. et lib. VIIII. u. 463. dixit *aeratas acies.* Poteram corrigere *armatis*, ut feci infra lib. II. u. 33.; sed hoc loci praetuli *aeratis* ob subsequens *horrescit;* ut Virg. *Aen.* lib. VII. u. 526.

Horrescit strictis seges ensibus, aeraque fulgent.

V. 441-2. . . . . *latis*

Arma sonant humeris. Hastae cet.

Ms. *aste.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 149.

Tela sonant humeris.

et lib. VIIII. u. 725.

Obnixus latis humeris.

V. 443. *Loricaeque graues, et stantes uertice cristae.* Ms. *Litoreeque* cet. In cit. Poëmate Ioh. L. De Bonis legitur sic hic uersus 170. lib. I. immutatus:

Et galee summoque micant in uertice criste.

Virg. *Aen.* lib. III. u. 467-8.

Loricam consertam hamis, auroque trilicem,
Et conum insignis galeae, cristasque comantes.

it. lib. VI. u. 779.

. . . *Viden' ut geminae stant uertice cristae?*

et lib. XII. u. 88-9.

Circumdat loricam humeris: simul aptat habendo
Ensemque, clipeumque, et rubrae cornua cristae.

et u. 431-2.

. . . . *hastamque coruscat.*
Postquam habilis lateri clipeus, loricaque tergo est.

V. 444. *Voluitur inde nouus densa caligine puluis.* Cit. in Poëmate lib. I. u. 171. sic legitur:

Voluitur obscurus densa caligine puluis.

Virg. *Aen.* lib. XI. u. 876-7.

Voluitur ad muros caligine turbidus atra
Puluis.

V. 445. *assidue.* Ms. *assiduas.* Quinquies usus est etiam Virg. aduerbio *assidue.*

V. 447. *Ipse inter primos exhortans.* Ms. pro hac postrema uoce habet *exorta.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 479. lib. VII. u. 783. et lib. XII. u. 579. incipit pariter: *Ipse inter primos.* Plin. *Hist. Nat.* lib. II. cap. CVII. *Milites ad ultionem exhortanti.*

V. 449. *in Perside.* Ms. *imperfide.* De pugnis in Perside gestis a Iohanne, uide supra u. 58. et seqq., et notas in eadem loca.

V. 450. *sensus flammare uirorum.* Sil. lib. I. u. 55.

Iuuenum facta ad mauortia flammat.

V. 451. *Ni martis laudaret opus.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 516. *graue Martis opus.*

V. 452. *gentili carmine.* Prud. *In Symmach.* lib. I. u. 576. *Gentilesque nugae.*

V. 454. *quo uellent fata, mouebat.* Ms. *quid uellent* cet. Virg. *Aen.* lib. V. u. 709.

Nate dea, quo fata trahunt, retrahuntque, sequamur.

V. 456. *artus.* Ms. *arcus.*

V. 458. *crebris.* Ms. *crebis.*

V. 459. *fixisset.* Ms. *fississet.*

V. 461. *Byzacii carpebat iter, quo Antonia castra.* Ms. *Bizarii carpebat iter que* cet. *Antonia Castra* ignota fuere uel ipsi Cellario, qui tantum recenset in Africa *Castra Cornelia* prope Carthaginem p. 153.; et *Castra Germanorum* in Mauretania Caesariensi p. 194. In *Africa* quoque *Christiana* nuper edita a Cl. Morcellio, ubi inueni *Castra Galbae*, *Castra Seueri*, et *Castra noua*,

frustra quaesiui *Castra Antonia*, nisi eadem sint ac illud *Forum Antonianum* prouinciae Byzacenae, de quo uide ibid. T. I. p. 161. Vtrum nomen traxerint ea Castra a M. Antonio IIIuiro, aut ab eius Legionibus in Africa degentibus sub Praefecto Pinario Scarpo anno Christi XXXI. secundum computum uulgarem, uel potius, quod probabilius uidetur, ab utroque M. Antonio Gordiano, uiderint eruditi. Horum praecipue gratia frontem poëmatis ornare uolui imagine Gordiani senioris sacrificantis adstante Africa ex anaglyptica praegrandi gemma nondum edita Musei Triuultiani. Hic tantum addam, quod in *Thesauro eruditionis scholasticae* Basil. Fabri aucto a Cellario col. 467. Edit. Lips. 1681. uel col. 431. Edit. pariter Lipsiensis 1696. uerbo *Castra*, legitur: *Hierosolymis quoque urbana castra* (praetoria, ubi praetorianus miles continebatur) *habita recipiendo praesidio D. Lucas indicat Act. Apost. cap. 21. u. 34. et 37. Vbi castrorum nomine, procul dubio Antonia intelligenda: quibus pro arce usos Romanos Iosephus auctor est.* De militia Antonii IIIuiri in Africa uidendus Cassius Dio *Historia Rom.* lib. LI. cap. V. et Orosius *Hist.* lib. VI. cap. XVIIII. Confer etiam Eckhel *Doctrina numorum Veterum* Vol. V. p. 272. et Vol. VI. p. 48. et 51., nec non Hauercampum in *Thesauro Morelliano* p. 28. et 322. item Tab. VIIII. Familiae Antoniae n. VII. Pro Gordianis uero Augg. consulendus est Capitolinus in eorundem *Vitis*.

V. 464. *egregius.* Ms. *egregios.* I. L. De Bonis in cit. Poëmate *De Laud. Galeazii* habet *egregius.*

V. 465. *saeui.* Ms. *seni.*

V. 467. *Maccus.* An *Maurus?*

V. eod. *Languantan.* Ms. *laguantan.* V. supra ad. u. 144.

V. 468. *Guenfeius.* Ms. *guenfeuis.* Antalae enim pater fuit Guenfan, ut patet ex libro iiI. u. 66. 77. et 107.

V. 469. *Antalas.* Ms. *Amitalas.* Antalas, de quo plura occurrunt in hoc Poëmate, praecipue libro iiI., ubi fere totam eius uitam reperies, fuit princeps Maurorum Byzacenorum; nam Procopius *De Bello Vand.* lib. I. cap. VIIII. p. 199. ait: *Regnante Ilderico Mauri Byzaceni, qui parebant Antallae* (duplici *ll* hic tantum occurrit), *proelio fudere Vandalos.* Postquam narrauit idem Procopius duplicem cladem Mauris inlatam a Salomone, subdit lib. iI. cap. XII. p. 264.: *Maurorum solos retinuit Byzacium subditos Antalae: qui in data Romanis fide id temporis manens, expers damni cum suis exstitit.* Offensus autem Antalas a Salomone rebellauit, ut est ib. c. XXI. p. 288. *Iamque Antalas, qui constanti erga Romanos fide, quemadmodum supra* (sic Procopius) *retuli, id consecutus erat, ut solus Mauris Byzacenis praeesset, inimicitias cum Salomone susceperat, quod annonam, quam Imperator ipsi assignauerat, Salomon interuertisset, fratremque ipsius morte multasset, criminatus, authorem eum fuisse cuiusdam motus inter Byzacenos conciti. His de causis lubenti Antalas animo istos Barbaros* (Lebantas siue Languantan, de quibus uide supra ad u. 144) *in conspectum admisit, initaque societate, contra Salomonem et Carthaginem duxit.*

V. 470. *Massyla.* Ms. *massila.* Sic semper in nostro Codice, ubi fere nusquam apparet *y*, est hoc nomen cum affinibus suis. Sunt *Massyli* gens Africae, quae in Numidia ab aliis, ab aliis in Libya ponitur prope Getulos, de qua uide Liuium lib. XXIIII. cap. XXXXVIII. et Plinium lib. V. cap. IiI. Aliquando autem a Poëtis confunduntur cum Mauritanis; et pro Afris etiam

uniuersim ponuntur : ut apud. Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 132. et lib. VI. u. 60.

V. eod. *Solomonis.* In nostro Codice sic more Graecorum est *Solomon*, ut scribitur hoc nomen a Procopio in libris suis *De Bello Vandalico*, ac *Gothico*, atque in *Historia Arcana*, quanquam in prioribus interpres Maltretus, Latinorum morem secutus, idem nomen reddiderit *Salomon*, quod non fecerat Alemanus in conuertenda praedicta *Historia*, ubi cap. IIII. legitur *Solomon*, ut Corippus noster uidetur fecisse. De Solomone autem hic aliqua perstringam ex Procopio. Is enim *De Bello Vandalico* lib. I. cap. XI. p. 204. et seqq. narrat: quod in expeditione Africana anni DXXXII. *Foederatis praeerant Dorotheus numerorum militarium Armeniae dux, et Salomon, quem Belisarius magisterii militiae administrum habebat (domesticum Romani uocant). Erat hic spado, non consilio, sed casu ei quondam in cunis excisa uirilitate .... Erat patria Salomonis in Oriente, ad ipsum imperii Romani limitem, ubi nunc urbs Dara colitur.* Postquam Belisarius uictor de Vandalis ingressus est Carthaginem, *Salomon* (ibid. cap. XXIIII. p. 231.) *rerum gestarum nuntius ad Imperatorem destinatus est:* qui eum (lib. II. cap. VIII. p. 253.) ad Belisarium remisit. Cum hic autem Constantinopolim remeare decreuisset cum Geilmere captiuo, *Salomoni* (p. 254.) *tegendam Africam tradidit, et partem maximam praetorianorum suorum reliquit; ut, eo duce, quamprimum magno animo ultum irent nefaria in Romanos ausa Maurorum rebellium.* Post proelia inter Romanos et Mauros uario marte transacta, ut legere est cap. XI. et seqq. p. 259. et seqq., Salomon exorta seditione militum in Africa Syracusas aufugit (cap. XIIII.

p. 269. et seqq.), ubi expositis Africae rebus Belisario, qui ibidem bellum susceperat contra Gothos, cum eo petiit denuo Carthaginem (cap. XV. p. 272. et seq.) anno DXXXVII. ad comprimendos rebelles. Salomon uero uidetur sub finem anni remeasse Constantinopolim; nam subinde Africam moderatus est Germanus. Quo reuocato (cap. XVIIII. p. 282.) *imperator res omnes Africae iterum Salomoni commisit anno imperii sui XIII.,* qui respondet anno Christiano DXXXVIIII. Tunc Salomon res Africae optime composuit; et, suscepta expeditione in Mauros, eis plura castra eripuit. Sed exorta Leucatharum uel Lebantharum, seu Languantan seditione, de qua uide supra ad u. 144., post bellum uario marte gestum, tandem, ut ait Procopius cap. XXI. p. 289. *Mauri, numero longe superiores, Romanorum maximam partem disiecerunt in fugam. Telorum grandini restitit aliquandiu Salomon cum parua suorum manu; qui hostibus tandem praeualentibus coacti cedere, cum ad riui proximi praecipitem alueum contentissime fugientes uenissent, succidens in crura equus Salomonem excussit. Ille protectorum manibus confestim erectus, et in equum sublatus, cum prae dolore nimio iam tractare fraenum nequiret, comprehensus a barbaris trucidatur unacum stipatorum non paucis. Hunc Salomon uitae exitum habuit* anno DXXXXIII.

V. 478. *Non quantus Ilasguas.* Ms. *non quantum Ilaguas.* Varie scriptum est hoc nomen in nostro Codice. Infra enim lib. II. uu. 87. 96. 107. 210. et 345. est cum adspiratione *hilaguas;* sed rursus ea abiicitur lib. IIII. u. 374. Libro autem V. ubi octies occurrit idem nomen, et lib. VII. ubi bis legitur, nec non in Periochis ad lib. II. u. 345. est *Ilasguas* absque aspiratione

et addita *s* in medio. Sic igitur rectius duxi scriptum fuisse hoc nomen populi Africae hucusque ignoti, uel saltem, de quo nulla mentio est apud Cellarium et alios quos consului auctores.

V. 479. *Notum est marte tibi.* Ms. *Notus marte tibi.* An: *Marte, tibi est notum?*

V. 480. *Maximianus.* Ex historicis constat anno Christi CCLXXXXVIII. Maximianum Herculeum in Africa debellauisse Mauros Quinquegentianos asperitate locorum confidentes, atque, ne rebellionem denuo molirentur, in plana deduxisse. Eutropius *Hist. Rom. Breuiar.* lib. VIIII. haec ait: *Maximianus quoque Augustus bellum in Africa profligauit, domitis Quinquegentianis.* Vide etiam Orosium *Hist.* lib. VII. cap. XXV., et hic infra lib. IiiI. u. 823., ubi rursus haec iactat Bruten ad confirmandos Languantan, quorum dux erat, in Bello contra Iohannem. Attamen historici silent de gente hac, quam noster poëta uocat Ilasguas, quamque Maximianus ipse domare nequiuit.

V. 483. *Iam.* Ms. *Nam.*

V. 484. *faciemque.* Ms. *facemque.*

V. 487. *refer.* Ms. *refers.*

V. eod. *caue. Sin.* Ms. *caues in.*

V. 488. *Mittere.* Hic est pro *committere,* ut lib. VII. u. 225. Attamen praepositio *con,* quae ibidem omnino deest, hoc loci fortasse suppletur uersu antecedenti in uoce *tecum.*

V. eod. *si te iuuat ire sub umbras.* Virg. *Aen.* lib. IiiI. u. 660.

Sed moriamur, ait: sic, sic iuuat ire sub umbras.

V. 493. *animo.* Pro hac uoce est *domino* apud I. L. De Bonis lib. I. *De Laudib. Galeazii Vicecomitis* u. 215.

iuxta Cod. Triuult. A. 274. Sed sic retrahendum esset comma ante *domino.*

V. 501. *Quis.* Ms. *Qui.*

V. eod. *uiris?* Ms. *uyris.* Supple, quod omissum fuit, comma ante *uiris.*

V. 505. *praesenti.* Ms. *presente.*

V. 506. *saluare.* Ms. *salutare.*

V. 510. *Oceani prolutus aquis.* Ms. *Occiani prolatus aquis.* Claudian. *De Raptu Proserp.* lib. II. siue Carm. XXXV. u. 189-90.

> . . . . *uetito se proluit Artos*
> *Aequore.*

It. *Epist. ad Olybrium*, siue Carm. XXXXI. u. 16.

> *Claraque se uetito proluet Vrsa mari.*

et alibi.

V. 511. *phalangas.* Sic Graeca desinentia utitur aliquando Corippus hac uoce, ut infra lib. II. n. 49. Sed. I. L. De Bonis habet *phalanges.*

V. 512-3. *Signa canens, gemit horrendos fera buccina cantus,*
Aere cauo.

Virg. *Aen.* lib. III. u. 239-40.

> . . . . *dat signum specula Misenus ab alta*
> *Aere cauo.*

lib. VII. u. 519-20. . . . . . . *buccina signum*
Dira dedit.

et lib. X. u. 310. incipit: *Signa canunt.*

V. 515. *Tunc.* Ms. *tuc.*

V. 516. *alipedes ducunt praesepibus altis.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 274-6.

> *Haec effatus, equos numero pater eligit omni.*
> *Stabant tercentum nitidi in praesepibus altis:*

Omnibus extemplo Teucris iubet ordine duci
Instratos ostro alipedes cet.

V. 518. *compositis coepit procedere turmis.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 599. *Compositi numero in turmas.*

V. 519. *Victricesque aquilas.* Claud. lib. I. *in primo Consulatu Stilichonis*, seu Carm. XXI. u. 170.

Denique uictrices aquilas quocumque moueres.

Adde Lucan. lib. I. u. 339. et lib. V. u. 238.

V. eod. *aciesque ostendere campis.* Ms. Corippi *acies hostendere capis*, et poëma cit. I. L. De Bonis u. 402. iuxta Cod. A. 274. *acies hostendere campis.* Liuius lib. XXVIIII. cap. VII. *Cum haud procul ad terrorem hostium aciem ostendisset.*

V. 520. *ductor.* Ms. *ducem;* sed postrema syllaba immutata a secunda manu.

V. 521. *docensque.* Ms. *docetque*, sed etiam haec uox est rescripta.

V. 522. *O Romana manus, spes o fidissima rerum.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 281.

O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum.

V. 525. *uobis.* Ms. *uobis uobis:* quod unice est apud I. L. De Bonis u. 416. in Cod. A. 274.

V. 531. *Massylas.* Ms. *massilas.*

V. 534. *glauca nemus distendit oliua.* Lib. III. *De Laud. Iust.* u. 65.

. . . . . . *et glaucae frondes rapiuntur oliuae.*

Nota etiam uerbum *distendit* pro *implet.*

V. 535. *altae.* Ms. *alde.*

V. 537. *inceptat.* Ms. *id certat.*

V. 538. *subito perterreat.* Ms. *subitans exterreat.* Fortasse librarius noster, cum haec scriberet respexit ad Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 571.

. . . . *subitis exterritus umbris.*

V. 542. *exaggeret.* Ms. *exageret.*

V. 543. *praefixo hastilia ferro.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 567.

Cornea bina ferunt praefixo hastilia ferro.

Attamen aliqui malunt ibidem legere *praefixa*, ut lib. XII. u. 489.

Lenta leuis cursu praefixa hastilia ferro.

V. 545. *Cornipedem.* Silius absolute lib. VII. u. 684.

Furui iuga trahebant Cornipedes.

Claudianus autem saepe utitur eadem uoce pro equo; et ipse Corippus passim in hoc Poëmate, et *De Laud. Iust.* lib. III. u. 293.

Cornipedum liquidos ceu terruit ungula campos.

V. 546. *comptas*, nempe *coniunctas*, uel *compositas*, ut apud Lucret. lib. IIII. u. 30-1.

Atque, animi, quoniam docui, natura quid esset,
Et quibus e rebus cum corpore compta uigeret.

Corippus autem saepissime utitur hac uoce tum in iam editis suis carminibus, tum in hoc Poëmate.

V. 547. *numerosa manus.* Corippus im *Fragm.* u. 8-9.

. . . . nec fidere millibus audet
Tot numerosa suis Romana lacessere signa.

V. 549. *Mazax.* Ms. *maxax*, ut infra lib. V. u. 600., sed lib. IIII. u. 724. *marax*, et u. 1020. *mezax*, et lib. V. u. 167. *marzax.* Recte puto esse postremo loco, nempe lib. VII. u. 305. *mazax*; libro enim V. u. 450. non satis perspicue apparent litterae huius uocis. *Sunt Mazaces* (ait Turnebus *Aduers.* lib. XXVII. cap. XVIII.) *non populi Cappadociae, ut multi censent* (Miror hosce sequutum esse Forcellinum in aureo suo *Lexico*), *sed populi Africae.* Lucan. lib. IIII. u. 680-1.

Marmaridae uolucres, aequaturusque sagittas
Medorum, tremulum cum torsit missile Mazax.

Nemesianus, equos Africanos laudans, haec habet in *Cynegetico* u. 261.

Quemque coloratus Mazax deserta per arua
Pauit, et assiduos docuit tolerare labores.

et Claudian. *in prim. Consul. Stilich.* lib. I. Carm. XXI. u. 356. uarios enumerans populos Africae haec subdit:

. . . . . . *Pauidus proiectat missile Mazax.*

Scio tamen Salmasium in *Plinianis Exercitationibus ad Solinum* p. 226. asseruisse, perperam legi tum apud Lucanum, tum apud Nemesianum *Mazax*, et contendere ueram esse lectionem *Mazux*, ut et apud Suetonium in *Vita Neronis* cap. XXX. *armillata et phalerata Mazucum turba* pro *Mazacum*, ut habent editi libri passim; sed nullum habuit hucusque suae opinionis sectatorem.

V. 551. *obsessis conclausum.* Ms. *obsexis cum clausum.* Non est mirum usum fuisse hic Corippum participio *conclausum* minus usitato quam *conclusum*; nam infra lib. III. u. 118. habet *reclaudunt*, et u. 164. *reclauso*, quae uoces nusquam reperiuntur.

V. 552. *Tunc dolus ille patens saeuas effundit habenas.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 818.

. . . . . . *manibusque omnes effundit habenas.*

et lib. XII. u. 498-9.

. . . . . . *saeuam nullo discrimine caedem*
Suscitat, irarumque omnes effundit habenas.

V. 554. *Quem metus acer agit.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 366.

Aut metus acer erat.

et lib. III. u. 682.

Praecipites metus acer agit.

V. 558-9. . . . . *sed colla reflectunt*
Mollia quadrupedum. Versi sic bella relinquunt.

Virg. *Aen.* lib. XI. u. 622. *mollia colla reflectunt.* It. lib. VIIII. u. 686. *uersi terga dedere.* et u. 756.

Diffugiunt uersi trepida formidine Troës.

V. 560. *sic firma resistit.* Ms. *sic firma restet.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 586.

Ille, uelut pelagi rupes immota, resistit.

V. 561-2. *Nam timidos fortuna premet, cautosque iuuabit,*
Audacesque simul, multos nam saepe reuisit.

Hanc sententiam repetit auctor lib. IIII. u. 203-4. et lib. V. u. 711. Virg. *Aen.* lib. X. u. 284.

Audentes fortuna iuuat.

et lib. III. u. 318.

. . . . *aut quae digna satis fortuna reuisit?*

V. 564. *cautos.* Ms. *cauti.* Sed *cautos* est in Cod. A. 274. u. 433. p. 220.

V. 565. *Pandite quisque suas belli in discrimine uires.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 743.

Quisque suos patimur manes.

V. 566. *Sit labor.* Ms. *Sit lamor,* fortasse ex mala prolatione uocis; nam *b* et *m* saepe inuicem a blaesis praesertim permutantur.

V. eod. *Acies componite turmis.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 598-9.

. . . . *equitumque exercitus omnis,*
Compositi numero in turmas.

V. 568. *cautela.* Hac uoce utitur Corippus *De Laud. Iust.* lib. I. u. 207.

Atque hominum cautela fuit.

V. 578. *ueram sperate salutem.* Ms. *ueram sperare salutem.* At in Poëmate Ioh. L. De Bonis *pro Galeatio Vicecomite Duce Mediolani* lib. I. u. 413. legitur iuxta Cod. A. 275. *ueram sperate salutem.* Si non placet *ueram*

legatur *uestram.* Sed puto *ueram* esse hic ut *certam* apud Virg. *Georg.* lib. IIII. u. 294.

Omnis in hac certam regio iacit arte salutem.

V. 581. *et laeti iussa facessunt.* Ms. *et leti iussa facescunt.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 594-5.

. . . . *Ocius omnes*
Imperio laeti parent, ac iussa facessunt.

IN LIBRVM II.

NOTAE.

V. 5. *Castraque muniuit, posuitque imperuia siluis.* Ms. *Diraque muniuit posuitque in prelia siluis.* Non adhuc uidetur sanus hic uersus.

V. 6. *Implentur.* Ms. *Implenturque.*

V. 8. *Curua tenent.* Ms. *Curua teguntur*, per compendium *tegt̄.* Virg. *Georg.* lib. II. u. 11-2.

. . . . . . Camposque et flumina late
Curua tenent.

V. 9-10. . . . . *et celsis frondea siluis*
Tecta latent. Virg. *Georg.* lib. IIII. u. 61-2.
. . . . et frondea semper
Tecta petunt.

V. 10-1. . . . . *ferarum*
Omne genus. Virg. *Georg.* lib. III. u. 242-3.
Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque
Et genus aequoreum.

Lucr. lib. I. u. 164. et lib. V. u. 1337.
. . . . . . genus omne ferarum.

V. 13. *affixis.* Ms. *afflixis.*

V. 14. *Non mitis uolucer* cet. In margine perperam est *Comparatio.*

V. 15. *dulces suspendere nidos.* Ms. *dulces subspendere nidos.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 414. . . . *dulcesque reuisere nidos.*

V. 16. *congesto culmine.* Virg. Ecl. I. u. 69.
Pauperis et tuguri congestum cespite culmen.

V. 18. *Qualiter infusae tellus contecta pruinae.* In margine legitur *Comparatio*, et in textu pro *contecta* est *contexta.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 250.
Nix humeros infusa tegit. 26

V. 23. *Quis mihi tot populos.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 500.

Quis mihi nunc tot acerba Deus, quis carmine caedes.

V. 25. *admisce.* Ms. *amisce.*

V. 26. *Temperet insuetis nutantia.* Ms. *Temperet insuetis nutantque.* Nisi uelis subintelligere *ut*, fortasse legendum erit: *Tempera et insuetis nutantia.*

V. 27. *barbaricae latrant sua nomina linguae.* Cic. *De Clar. Orator.* cap. XV. *Latrant iam quidam oratores, non loquuntur.*

V. 31. *Antalas.* In Ms. hic *Anitalas*, et libro superiori u. 469. *Amitalas* uocatur. Vide quae ibi adnotaui de eodem.

V. 32. *Erexit furiale.* Ritu aduerbii, ut apud Claud. *De Bello Get.* Carm. XXVI. u. 325-6. *Leo . . . .*

Incedit furiale.

V. eod. *omnîs* pro *omnes*, ut passim apud ueteres scriptores.

V. 33. *armatas bellorum ad proelia gentes.* Ms. *aratas bellorum ad praemia gens.* Supra lib. I. u. 440. pro *aratis maniplis* legi *aeratis maniplis*, cum ageretur de Romanis aciebus; hic autem legendum putaui potius *armatas*, cum de barbaris utcumque armatis agatur, et cum paulo infra u. 49. rursus occurrat: *armatas phalangas.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 541.

. . . . media inter proelia belli.

V. 34-5. . . . . *fidelis*

Ille fuit; plenosque decem perfecerat annos.

Antalas, de quo plura uide ad lib. I. u. 469. fuit in fide Romanis data constans ab anno DXXXIII. ad annum usque DXXXXIII., ut uidere est apud Procopium *De Bello Vandal.* lib. II. cap. XXI. p. 287. et seq.

V. 36. *Heu, ducis ignaui.* Sergius, filius Bacchi Solomonis fratris, fuit potissima caussa rebellionis Maurorum, cum praeesset prouinciae Tripolitanae, ut iam tetigi ad lib. I. u. 144. Ab eodem Procopio in *Historia Arcana* cap. V. p. 18. pingitur Sergius uti *imbellis et delicatus, ac ut aetate prorsus iuuenili, sic etiam moribus; inuidia, et petulantia in omnes homines effusissimus, molli fractoque cultu, et buccis ad superbiam inflatis.* Libro autem. II. *De Bello Vand.* cap. XXII. p. 289. haec etiam addit: *Defuncto Salomome, Sergium, qui, uti diximus, eius erat ex fratre nepos, Africae praeposuit imperator. Multarum is calamitatum, quibus Afri sunt conflictati, praecipuus author exstitit. Ipsius dominatum grauiter omnes ferebant: duces quidem, quod, quamuis oppido rudis, et cum aetate, tum moribus iuuenis esset, ipsos tamen per arrogantiam, qua mortales omnes uincebat, contumeliis afficeret licentissime, et despicaretur, ad hoc diuitiis, potentia, ac sui muneris authoritate nunquam non abutens: milites uero, quod effoeminatum et mollissimum omnino nossent: Afri denique, cum easdem ab caussas, tum perdite mulierosus, opumque alienarum auidissimus esset. Omnium maxime potentia Sergii offendebatur Iohannes, Sisinnioli filius; quoniam, licet uirtute bellica ac nobilitate excelleret, nihilominus ingratissimum hominem experiebatur. Quo fiebat, ut nec ipse, nec omnium quisquam unus ad bellum egredi, et repugnare hostibus uellet.*

V. 38. *incerti posuit plantaria martis.* Ms. *incetti.* Tacit. *Hist.* lib. IIII. cap. XXXV. *incerto marte.*

V. 39. *Perfidiae crimen.* Ms. *Perfide crimen.* Sergii perfidiam in necandis LXXX. legatis Languantan iam ex Procopio *Hist. Arc.* cap. V. p. 18. tetigi ad lib. I.

u. 144., eandemque monui fusius describi ab eodem auctore lib. II. *De Bello Vand.* cap. XXI. p. 287. et seq.

V. 41. *caedibus.* Ms. *gentibus.* Ter usus est Claudianus uoce *caedibus* in penultima uersus sede.

V. 42. *consanguineis . . . . turmis.* Claud. lib. II. *in Rufin.* Carm. V. u. 237.

Quid consanguineas acies cet.

V. 43. *Frexes.* De hac gente nil reperire potui apud geographos uel historicos.

V. 44. *Fortis gens, et dura.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 730.

. . . . . . gens dura atque aspera cultu.

V. infra u. 102.

V. 45-6. *seu pedes it campis praesumpta per hostes,*
Siue frementis equi pulsat calcaribus armos.

Virg. *Aen.* lib. VI. u. 881-2.

. . . . . seu cum pedes iret in hostem
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.

et lib. VII. u. 624. *Pars pedes ire parat.*

V. 48-9. *saeuus medium uolat ille per agmen*
Fisus equo.

Pro *uolat* in Ms. est *ualat.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 650-1.

. . . . . . medios uolat ecce per hostes
Vectus equo spumante Sages.

V. 50. *Aor et indomitus.* Ms. *Aor et indomitos.* Fortasse *Aor* est nomen proprium ducis Africani; secus erit corrigendum *Acer.*

V. 51. *Hinc indiuise.* Ms. *Hunc sinusdisa.*

V. 52. *saeuus Naufur in armis.* Ms. *seuis Naffur in armis.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 107.

. . . . saeuus in armis.

De *Naufur* gente ignota Africae frequens est mentio in hoc Poëmate.

V. 53-4. *uiuida siluis Bella.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 754.

. . . . . sed bello uiuida uirtus.

et lib. X. u. 609-10. . . . . . *Non uiuida bello*
Dextra uiris.

V. 54. *Conterritat.* Vox addenda Lexicis Latinis, quae tamen occurrit infra pluries, ut uidere est ex Indice nostro.

V. 55. *Fraude loci.* Sic incipit ap. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 397.

V. 56. *Qui Gurubi montana.* Ms. *Quigurubi* unico uerbo; quod distinxi in duo; nam est *Gurubi* fortasse idem ac *Curubi,* quod distat ab Adrumeto XXXXVIII. M. P. ex *Itinerario Antonini Augusti* p. 56. 57. et 493. Edit. Amstel. 1735. Vide et Cellarii *Notitiam Orbis antiqui* Lib. IV. cap. IV. p. 146-7., ubi describitur prouincia Zeugitana seu Proconsularis, in qua est *Curubi.* Pro uoce *montana* substantive sumpta uide Lucan. lib. IiI. u. 52. *Vrebant montana niues*, Liu. *Hist.* Lib. XXI. cap. XXXIIII. *ut inter montana,* et Plin. *Hist. Nat.* lib. VI. cap. XVIIII. *in montanis* absolute, ut et in Sacris Bibliis saepe, ueluti Luc. cap. I. u. 39. *abiit in montana,* et u. 65. *super omnia montana Iudaeae.* Rursus offendes in hoc poëmate *montana,* ut ex Indice.

V. 57. *Mercurios colles.* Puto eos esse in Promontorio Mercurii, de quo uide Cellar. cap. cit., ubi de Prouincia Proconsulari agit. Imo in *Antonini Itinerario* lego: *Ab Exploratione, quae ad Mercurios, Tingi usque M. P. CLXXIIII.* Non incongruum est *Mercurios* uocari *Mercurios colles.*

V. eod. *infera,* nempe loca, ut supra u. 56. *montana.* Attamen nullum hucusque exstat exemplum huiusmodi in Lexicis. In Ms. Codice est *ifera.*

V. 58. *patriis non mollior Ausis.* Ms. *patris non mollior ausis.* Si postrema uox est nomen proprium, ut mihi uidetur, erit, ni fallor, *Ausum* Mauritaniae Caesaraeensis, quod puto rectius scriptum *Ausis;* nam in antiquo Graeco Ptolemaei *Geographiae* Codice optimae notae in Bibliotheca Ambrosiana adseruato *ἀυσων* legitur cum in textu tum in tabula I. Africae, ubi utrobique libri editi habent *ἀυσον.* V. edit. Pe. Bertii in *Thes. Geogr.* T. I. p. 108.

V. 61. *ferus.* Ms. *feros.*

V. 62. *Siluaizan, Macaresque.* Hi populi omnino sunt ignoti. *Macares* fortasse prope desertas regiones Mauritaniae Sitifensis incolebant, ubi aderat oppidum Macri. V. Wesselingium in Notis ad *Antonini Aug. Itinerarium* p. 30., et Cl. Morcelli *Africam Christian.* T. I. p. 207.

V. 64. *Abiecte.* Ms. *Obiecte.*

V. 65. *Et quos.* Ms. *Et qui.*

V. 66. *Silzactae Caunesque.* An *Silzactae* a Salisa flumine traxerunt nomen? Exstat namque illud in Tingitana prouincia prope Atlantem minorem, in Ptolemaei *Geograph.* Lib. IV. Tab. I. Africae. Ibidem secus illud flumen sunt *Cauni* populi secundum uersionem Montani in Edit. Amstel. 1605., pro quibus in textu Graeco legitur Καυσινοι, unde in Editione anni 1619. etiam Latine sunt *Causini.* In Tabula autem exstat adhuc *Cauni,* cum eaedem Tabulae adhibitae fuerint pro utraque Editione. Apud Cellar. est lectio antiquior Latina Lib. IV. Cap. VII. p. 213., nempe *Cauni;* ut et in Cod. Graeco Ambrosiano mox citato legitur Καῦνοι. Hinc *Caunes* erunt forsitan iidem ac *Cauni.*

V. 71. *sustentans.* Ms. *substentans.*

V. 72. *grauidis quosque ipsa miserrima culmis.* In Cod. deest *ipsa.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 111.

. . . . *ne grauidis procumbat culmus aristis.*

V. 72-3. *culmis Dumosae nutrit perstringens ordea terrae.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 317.

. . . . *et fragili iam stringeret ordea culmo.*

V. 74. *accitus longis conuenit ab oris.* Ms. *acitus longis cum uenit.* Sil. lib. VI. u. 627.

. . . . . *remeans longis Tirynthius oris.*

V. 75. *Astrices.* Rursus occurrit infra lib. V. u. 391. et 454. nomen huius gentis, quam frustra quaesiui apud geographos, sicut etiam nihil inueni de aliis populis, qui hic nominantur.

V. 76. *Zerquilis.* Ms. *Zersilis;* sed infra u. 145. legitur *Zerquilis.* Ea etiam est gens ignota hucusque geographis; nisi sint incolae *Zagylis,* cuius urbis meminit Ptolemaeus, et Carolus a S. Paulo in *Geographia Sacra* p. 274. Fuit ea sedes episcopalis sub patriarcha Alexandrino in Libya altera.

V. 77. *mons Gallida.* Ms. *mosis. gallida.* Prior autem uox correcta fuit ita, ut uideatur legi posse *mons;* de quo tamen silent geographi.

V. 78. *Nec cessant.* Ms. *Nec essat.*

V. 79. *Talanteis.* An *Atlanteis?* Sed Atlas mons est in Tingitana, longe a Tripolitana prouincia, ubi est Tillibaris.

V. 80. *Tillibaris iunctisque maris distendit arenis.* Ms. *Tillibaris iucusque maris distendit arenas.* De *Tillibari,* uel *Tillabari* mentio est apud Antoninum in *Itinerario,* ex quo constat fuisse in Tripolitana prouincia. V. Wesselingium et alios in notis ad illud p. 30.

V. 82. *ni.* Ms. *in,* ut in superiori libro u. 338.

V. 83. *Inuida saepe bonis, licet ultima, rumpere fila.* Ms. *Inuidia sepe bonis licet aliam rumpere fila.* Claud. lib. II. *in Eutrop.* Carm. XX. u. 461.

Tandem fila tibi neuerunt ultima Parcae.

Virg. *Aen.* lib. X. u. 814-5. . . . . *extremaque Lauso*
Parcae fila legunt.

V. 87. *Ilasguas.* Ms. hic *ilaguas.* V. ad lib. I. u. 478.

V. 89. *Austur.* Ms. hic et subseq. u. 91. *astur;* sed infra u. 209. et 345., item. lib. VI. u. 286. legitur *austur.* Quis autem sit hic populus, nondum reperi.

V. 96. *Ambiguosque* . . . . . *Ilasguas.* Ms. *Ambiguasque* . . . . . *hilaguas.*

V. 100. *Est aries illis, infandi machina belli.* Lucan. lib. VIII. u. 377.

Non aries illis, non ulla est machina belli.

Sic desinit Virg. *Aen.* lib. II u. 151. et Lucan lib. VI. u. 37. et lib. X. u. 481. *machina belli.* Inuentum autem in Africa *arietem* constat cum ex Vitruuio lib. X. cap. XVIIII., tum ex Tertulliano cap. I. *De Pallio.* Huiusmodi machinam describit Athenaeus Mechanicus, commentumque dicit Pephasimeni cuiusdam Tyrii contra Gaditanos. Confer Pitisci *Lexicon Antiquitatum Romanorum* uerbo *Aries* edit. Leouardiae 1713. p. 171-2. Graphice eandem machinam describit Procop. *De Bello Gotth.* lib. I. cap. XXI. Opp. T. I. p. 363. et seqq., ut in usu erat suo aeuo.

V. 102. *Horrida gens, et dura uiris.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 746. *Horrida praecipue cui gens.* Pro *dura uiris* uide supra ad u. 44.

V. 105. *tamen.* Ms. *tantum.*

V. 106. *Ilasguas.* Ms. *hilaguas.*

V. 108. *Inguina.* Ms. *Iuncta.*

V. 109. *Ierna.* Ms. *Lerna;* sed infra lib. IiI. u. 597. et 631. est *Ierna* rectius, ut puto.

V. eod. *Gurzil.* Huius numinis barbararum gentium Africae nemo hucusque meminit, quod sciam. Occurrit etiam infra u. 415. et pluries alibi, quibus ex locis colligo Gurzil esse Iouem; nam trecentos eos fuisse testatur Varro apud Tertullianum, qui in *Apologetico* sic ait cap. XIV. *Et Romanus Cynicus Varro trecentos Ioues, siue Iupiteres, sine capitibus introducit.*

V. 110. *gentes.* Hoc loci uox *gentes* usurpatur, ut passim apud ecclesiasticos scriptores et in uulgata diuinorum librorum uersione, pro *gentiles,* seu *idololatrae.*

V. eod. *corniger Ammon.* Luc. *Pharsal.* lib. iiI. u. 292. desinit pariter iisdem uerbis.

V. 111. *Bucula torua parens.* Ms. *Buccula* sed unico c est apud Virg. *Ecl.* VIII. u. 86. item *Georg.* lib. I. u. 375., et lib. IiI. u. 11. Claud. *De Raptu Proserpinae* lib. I. seu Carm. XXXIII. u. 127-8.

. . . . . . *Vitulam non blandius ambit*
Torua parens.

It. Virg. *Georg.* lib. iiI. u. 51-2. . . . . *Optima toruae*
Forma bouis.

V. 113. *Ifurac.* Ms. *Ifarac.* V. infra lib. IiI. u. 641. et lib. VII. u. 490. et 648., ex quibus constat *Ifarac* uel *Ifurac* quemdam esse populum Africae nunc ignotum.

V. 115. *Et mucrone potens.* Ms. *Et muctone potens.* Virg. *Aen.* lib. I. n. 535.

Terra antiqua, potens armis cet.

V. 116. *Macumiana.* Ms. *Mucamiana;* unde feci *Macumiana,* quia *Macuma* est uicus prope oram maris in Tripolitana prouincia inter utramque Syrtim, sed propius maiori. V. Cellar. *Geogr. ant.* lib. IV. cap. iiI.

p. 119. In *Tabula Peutingeriana* uocatur idem uicus *Macomades Syrtis*, ut notat ipse Cellarius loco cit. p. 138., ubi agit de *Macodama* Ptolemaei in Byzacena prouincia, idem ac *Macomades* apud posteriores scriptores, uel *Macumades* Rauennatis geographi, uel etiam *Macomades minores* citatae *Tabulae Peutingerianae.* Etiam in Numidia alios fuisse *Macomades*, ex *Itinerario* Antonini notat Cellarius cap. V. p. 181. Vide et Cl. Morcelli *Africae Christianae* Tom. I. p. 206. et seq. Fortasse Macumiani incolae erant montis *Macubii* supra memorati u. 72., nam *b* et *m* saepe inter se permutantur.

V. 117. *Tripolis.* Ms. *trepulis,* sed *Tripolis* est etiam infra lib. III. u. 409. V. Procop. *De Bello Vandal.* lib. I. cap. I. p. 177. ubi Tripolim, *quae in Africa est,* regionem et passim ibidem in libris *De Bello Vand.* commemorat, et *De Aedificiis* lib. VI. cap. III. eius definit limites. Confer Cellar. lib. IV. cap. III. p. 126.

V. 119. *Digdiga.* In Codice est potius *dicliga*, sed facillime potuit ex *d* discerpto exstare *cl*, ut factum est supra lib. I. u. 77., ubi pro *Daras* in Codice erat *claras.* Praeterea in *Itinerario* Antonini inuenitur p. 65. *dicdica* inter Leptim et Berenicem, uel *Digdica* iuxta exemplar Reg. Bland. V. Cellar. ubi *De Cyrenaica* p. 120-1. Lib. IV. cap. III. *De Regione Syrtica.* Animaduertendum est autem, in *Peutingeriana Tabula* non esse *Digida*, ut ibi, et in ueteribus editionibus *Tab.* eiusdem legitur, sed *Digdida Municipium Sesonum*, ut uidere est in accuratissimis editionibus Scheyb et Christianopuli Segmento VIII. E.

V. 123. *Barcaei solito curant saeuire furore.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 42-3. . . . . *lateque furentes*
Barcaei.

De antiqua urbe *Barce* in Cyrenensi prouincia nunc *Barca* uide Cellar. lib. IV. cap. iI. p. 110. et 114., auctoresque ibidem citatos.

V. 125. *arma furor bellumque ministrat.* Imitatio Virgilianae sententiae *Aen.* lib. I. u. 154.

Furor arma ministrat.

V. 126. *Est genus acre uirum.* Ms. *Et genus acre uiris.* Virg. *Georg* lib. iI. u. 167. *Haec genus acre uirum.*

V. 127. *Non solito uinctos lateri.* Confer *De Laud. Iustini* lib. iiI. u. 169. *Ense latus cincti,* et quae ibidem adnotauit Dempsterus de modo gestandi gladios.

V. 131. *stringuntur cingula bullis.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 359-60. . . . . *aurea bullis*

Cingula.

et lib. XII. u. 942.

Balteus et notis fulserunt cingula bullis.

V. infra lib. IiiI. u. 496.

V. 133. *Binaque praeualido portant hastilia ferro.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 317. et lib. XII. u. 165.

Bina manu lato crispans hastilia ferro.

It. lib. V. u. 557.

Cornua bina ferunt praefixo hastilia ferro.

V. 134. *tragula.* Ms. *fargula,* ut et infra u. 181.

V. 137. *Crudaque sub nigra calcantur Maurica planta.* Pro *calcantur* in Codice est *calcatur.* Ad *cruda Maurica* subintellige *coria.* In Forcellini *Lexico* et eius *Appendice* deest *Mauricus,* etsi adsit *Maurice;* attamen in *Nouo Linguae et Eruditionis Romanae Thesauro* Io. Matthiae Gesneri exstat cum exemplo Martial. lib. V. u. 29.

Licet uincat aequitate Mauricos.

V. 140. *alternis . . . . ab oris.* V. supra ad lib. I. u. 216.

V. 141. *dux.* Ms. *dulce.*

V. 145. *Geminam Petram.* Ms. *gemini petram.* Ex Ptolemaeo feci *GeminamPetram;* is nempe *Petrae Magnae*, et *Petrae paruae* portus designat in Libya Marmarica. Confer Cellar. lib. IV. cap. II. p. 102-3.

V. 148. *Arzugis.* Arzugitanae prouinciae meminit S. Aurelius Episcopus Carthaginiensis (*Concilior. Collect.* Mansi To. IV. col. 447.) in Epistola anni CCCCXIX. ab eo missa *Episcopis per tractum prouinciae Byzacenae et Arzugitanae constitutis;* unde constat *Arzugis tellurem* Byzacenae conterminam, uel eius partem, ut putat Cl. Morcellus *Afr. Christ.* T. I. p. 84., fuisse.

V. 149. *Aurasitana.* Ms. *Aurisitana.* Procul dubio *a celsis oris* montis Aurasii *descendit* ista *manus* barbarorum; de quo monte uide Procopium infra citatum ad lib. VI. u. 273.

V. 152. *suffigit.* Ms. *sufficit.*

V. 153. *Cetraque saepe leuis.* Ms. *Cetura sepe leuis*, uel *breuis;* nam uox est immutata et non satis clara in Codice. *Cetra* autem est *scutum loreum, quo utuntur Afri et Hispani;* ut ait Seruius ad illud Virg. *Aen.* lib. VII. u. 732. *Laeuas cetra tegit.*

V. 156. *Quique Vadis tepide* (sic) *messes bis tondet in anno.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 289-90.

. . . . *nocte arida prata*
Tondentur.

In Numidia fuit Vada sedes episcopalis, ut apud Cell. lib. IV. cap. V. p. 185., Car. a S. Paulo *Geogr. Sacr.* p. 96., et Cl. Morcelli *Afr. Christ.* T. 1. p. 343.

V. 157. *perstringit ordea culmo.* Vide paulo supra ad u. 72-3.

V. 158. *phoebi candentis.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 720.

. . . . *candentis limine Phoebi.*

V. 159. *Quantus amor praedae!* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 782.

. . . . *praedae et spoliorum ardebat amore.*

V. 160. *aestusque.* Ms. *extusque.*

V. 161. *Martis amore feri.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 550.

. . . . *insani Martis amore.*

V. 167. *Indiscreta.* Ms. *Indiserta.*

V. 169. *Littore.* Ms. *Littere.*

V. 170. *Hinc.* Ms. *Hunc.*

V. 171-2. *tremulis ululatibus aethera matres Concutiunt.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 395.

Ast aliae tremulis ululatibus aethera complent.

V. 172. *Feruet trepido tunc terra tumultu.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 4-5. . . . . . . *simul omne tumultu Coniurat trepido Latium.*

V. 174. *ab aduentu . . . . balatus.* Ms. *ab euentu . . . . balantum.*

V. 181. *tragula.* Ms. *fragula* ut supra u. 134.

V. 182. *Nutibus e.* Ms. *Nutibus et.*

V. 185. *Marte leui,* ut apud Caes. *De Bello Gall.* lib. VII. cap. XXXVI. *leue proelium.*

V. 186. *Constans.* Ms. *Constat.*

V. 188. *Geisirich.* Ms. hic *Gersirit,* sed infra lib. IiiI. u. 489. *Geisirith,* et u. 970. rectius fortasse *Geisirich.* Vide Wachter *Glossar. German.* p. 597. ubi haec ait: *Gizericus, Gesus potens. Nomen genuinum regis Vandalorum in Africa. Gizericus Iornandi, Gaisericus Idatio. Vtrinque eodem sensu. Gensericus, idem nomen et eiusdem regis, sed per epenthesin uitiatum.*

V. 191. *planare uias. Huc.* Ms. *planare uias hunc.* Noster poëta etiam lib. iI. *De Laud. Iustini.* u. 223.

Ante pedes planate uias.

Ibidem notat Barthius phrasim desumptam esse ex Euangelio. Idem uerbum occurrit etiam ibidem u. 329.

V. 195. *Quis cernere.* Ms. *quis sternere,* uel *scernere;* nam *c* et *t* post *s* simili ductu sunt efformatae. Hinc dubium oritur, num librarius scripserit, male repetita *s, quis scernere* pro *quis cernere.*

V. 196. *Vel sic locusta.* Ms. *sub sic locusta.* In margine adnotatum fuit: *Comparatio.* De multitudine ac frequentia locustarum in Africa haec profert Plinius *Hist. Nat.* lib. VIII. cap. XXVIIII. *M. Varro auctor est . . . . . . ciuitatem pulsam ab locustis in Africa.*

V. 198. *aethere ab alto.* Ms. *ether ab alto.*

V. 200-1. *Dubiis horrescunt corda pauore*
Agricolis; segetes ne conterat horrida pestis.

In Ms. pro *ne* est *neu.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 453.
Horrescunt corda agricolis.

V. 202. *Neu uastet.* Ms. *Neu uastat.*

V. eod. *hortosque uirentes.* Lucr. lib. I. u. 19.
. . . . *camposque uirentes.*

V. 205. *proximus.* Ms. *proximis.*

V. 207. *cum ueniunt densi.* Ms. *Cur ueniunt denti.*

V. 209. *in armis.* Ms. *inermis.*

V. 210. *Macumiana.* Ms. *Mutuniana.* V. supra ad u. 116.

V. eod. *Ilasguas.* Ms. *hilaguas.*

V. 213. *densum stipatur in agmen.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 833-4. . . . . . . *densum Palinurus agebat*
Agmen.

V. 214. *hastis.* Ms. *astis.* V. ad lib. I. u. 93.

V. 215. *Ingenti quassatur terra tumultu.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 447. . . . . *ingenti per regia tecta tumultu.*

V. 216. *Sic.* In margine est: *Comparatio.*

V. 217-8. *Murmure cum ualido, tot crebris ignibus ardens*
Nimbus.

Ms. *Murmure con ualido tot crebribus ignibus ardens*
Nimbus. Virg. *Aen.* lib. I. u. 59. de uentis haec habet:
Illi indignantes magno cum murmure cet.,
et de mari ibidem u. 249-50.
. . . . . *uasto cum murmure montis*
It mare. Item u. 94.
. . . . . *et crebris micat ignibus aether;*
et lib. XI. u. 209.
Certatim crebris collucent ignibus agri.

V. 218. *aduersa ueniens in fronte procella.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 106-7. . . . . . . *procella*
Velum aduersa ferit.

V. 219. *uasto cum pondere.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 447.
. . . . *pondere uasto.*

V. 221. *Tristia . . . ora.* Virg. *Georg.* lib. II. u. 246-7.
. . . . *et ora*
Tristia.

V. 223. *Et, loca tuta petens.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 871.
Tuta petens.

V. 226. *Fortia facta.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 645.
Fortia facta patrum; et lib. X. u. 369.
. . . . . *per uos, et fortia facta.*

V. eod. *imprimit hostis.* Ms. *impremit hosti. De Laud. Iust.* lib. I. u. 309.
Vrget, agit, stimulat, pulsat latus, imprimit, instat.

V. 227-8. . . . . *nec spicula possunt*
Spargere lenta manus. Virg. *Aen.* lib. VII. u. 164-5.
. . . . *aut lenta lacertis*
Spicula contorquent.

V. 229. *Pellere.* Ms. *Perpellere.*

V. eod. *clipei uix sistere contra.* Ms. *clipeis uix sistere contra.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 873. desinit:
. . . . . . *aut sistere contra.*

V. 230. *Tristis tunc aethera clamor.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 409. . . . . . *it tristis ad aethera clamor.*

V. 231. *regemunt obstantia telis.* Ms. *regemunt hostantia telis.* Stat. *Theb.* lib. V. u. 38.

. . . . . *abiunctis regemunt tabulata cauernis.*

et lib. VIII. u. 17.

. . . . *regemunt pigrique lacus, ustaeque paludes.*

V. 232. *Scuta uirum.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 105. et lib. VIII. u. 93. incipiunt pariter: *Scuta uirum.*

V. 233. *excedere pugna.* Virg. *Aen.* lib. IX. u. 789. desinit: *excedere pugna;* ut et u. 380. lib. V. iuxta aliquot Codices.

V. 234. *reluctat.* Apud Apuleium *Metamorph.* lib. IiiI. et VII. actiua positione occurrit idem uerbum.

V. 235. *placidas concusserat aures.* Virg. *Aen.* lib. IiiI. u. 440. . . . . *placidasque uiri Deus obstruit aures.*

V. 236. *Nuntius, ingenti conturbans castra tumultu.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 447.

Nuntius ingenti per regia tecta tumultu.

V. 237. *siluis et montibus.* Virg. Ecl. iI. u. 5.

Montibus et siluis; et *Aen.* lib. iiI. u. 675.

At genus e siluis Cyclopum, et montibus altis.

V. 238. *implesse.* Ms. *implexe.* Eadem syncope usus est Virg. *Aen.* lib. IiiI. u. 605.

Implessemque foros flammis cet.

V. 239. *populis.* Ms. *populi.*

V. 242. *ciuilis amor:* nempe amor patriae, quem fortasse innuit etiam Ouidius *Tristium* lib. IiiI. El. IiiI. u. 13. ubi ait:

Ipse pater patriae, quid enim ciuilius illo?

V. 244. *agens retro compulsat et hasta.* Ms. *agens inter pulsat et asta.*

V. 249. *et rauci sonitu conterritat aeris.* De uoce *conterritat* uide supra ad libri huius u. 54. Virg. *Georg.* lib. IV. u. 71.

Martius ille aeris rauci canor increpat.

V. 250. *horrida.* Ms. *horrido* contra rationem uersus.

V. 252. *contristat puluere campos.* Ms. *constristat pullere campos.* Virg. *Georg.* lib. iiI. u. 279-80.

. . . . *Auster*

Nascitur, et pluuio contristat frigore caelum.

et *Aen.* lib. X. u. 273-5.

Sirius ardor . . . .

Nascitur, et laeuo contristat lumine caelum.

V. 254. *turbatur harena.* Ms. *tardatur harena.* De aspiratione huius uocis uide adnotata ad lib. I. u. 92. Virg. *Georg.* lib. iI. u. 106.

Discere, quam multae zephyro turbentur arenae.

V. 255. *Praeruptis ueluti surgunt de montibus euri.* Ms. *Precettis* etc. et in margine est: *Comparatio.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 109.

. . . . . . *praeruptus aquae mons.*

V. 256. *Aeoliis.* Ms. *Heulis.* Quamquam potuissem corrigere *euri Aeolii*, quia Ouidius *Amorum.* lib. iiI. El. XII. u. 29. habet *Aeolios* . . . . *Euros;* tamen ob retinendum *s* Codicis feci *montibus Aeoliis* fretus auctoritate etiam Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 454.

Aeoliis . . . . *oris.*

V. 257. *Litus harenosum.* Virg. *Aen.* lib IiiI. u. 257.

Litus arenosum Libyae.

V. eod. *turbant.* Ms. *turbat.*

V. 258. *scindentia.* Ms. *scindentibus* contra uersus metrum. Fortasse hic et superior uersus sic erunt reformandi:

Litus harenosum; tunc tristia nubila turbant
Flatibus aduersis scindentibus aëra flabris.

V. 261. *metuentes.* Ms. *uetuentes.*

V. 264. *per castra recedunt.* Ms. *per castra recondunt.* Caes. *De Bello Ciu.* lib. II. cap. XXX. *censebant in castra Corneliana recedendum.*

V. 268. *saeuis et tristia bella periclis.* Virg. *Ecl.* VI. u. 7.
. . . . . *et tristia condere bella.*
It. *Aen.* lib. VII. u. 325. . . . . . . *cui tristia bella.*
et lib. VIII. u. 188. . . . . *saeuis, hospes Troiane, periclis.*

V. 269. *faucesque malignas.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 525.
Angustaeque ferunt fauces, aditusque maligni.

V. 270. *Praecipit.* Ms. *Precepit.*

V. 271. *Haud.* Ms. *Aut.*

V. eod. *protinus.* Ms. *proximus*, sed *protinus* congruit magis cum seq. *Perficiunt praecepta citi.*

V. 273. *niueis figunt tentoria uelis.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 473. desinit: . . . . . *niueis tentoria uelis.*

V. 274. *Romana manus positis fortissima castris.* Virg. *Georg.* lib. III. u. 346-8.
Romanus . . . .
. . . . . *positis stat in agmine castris.*

V. 276. *pensat pharetras, arcusque retendit.* Ouid. *Metam.* lib. II. u. 419-20.
Exuit hic humero pharetram, lentosque retendit
Arcus. et Stat. lib. et Silua IIII. u. 30.
Et sontes operit pharetras, arcumque retendit.

V. 277. *celsis sustentent uela columnis.* Ms. *celis substentant uela columnis.*

V. 278. *configunt pratis in mollibus hastas.* Ms. *configiunt pratis in mollibus astas.* Virg. *Georg.* lib. II. u. 384.
Mollibus in pratis.

V. 279. *hastis solite per campos scuta reclinant.* Ms. *astis* cet. Virg. *Aen.* lib. XII. u. 130.

Defigunt tellure hastas, et scuta reclinant.

V. 282. *Alipedes meritos.* Virg. *Georg.* lib. iI. u. 515.

. . . . . . *meritosque iuuencos.*

V. 285. *Hic gelidos fontes portat.* Ms. *Hic gelidos fontes puteo.* Virg. *Ecl.* X. u. 42.

Hic gelidi fontes; et *Aen.* lib. XII. u. 119.

. . . . *fontemque ignemque ferebant.*

Infra lib. iiI. u. 230.

. . . . *Plenos portabant fontibus utres.*

V. 286-7. . . . . *fercula ponit*

Comta focis aptans dapibus, mundansque fluentis.

Ms. *Conta locis aptans dapibus mundansque fluctetis.* Saepe utitur auctor noster uoce *comtus* sensu etiam latiore quam apud alios scriptores inueniatur, cum in hoc poëmate tum in illo *De Laudibus Iustini,* ut ibidem lib. iiI. u. 179-81. . . . . . *Imitatur olympum*

Officiis Augusta domus, sic omnia clara,

Sic numeris bene comta suis, ita luce corusca cet.

Nota Iuuenalem dixisse Sat. VII. u. 184. *Fercula docte componere,* ex quo uerbo grammatici asserunt deriuare *comptus* per contractionem participii *compositus.*

V. 288-9. . . . . . *curas sub pectore ductor*

Voluebat, diuersa mouens.

Virg. *Aen.* lib. I. u. 231.

Atque illum tales iactantem pectore curas.

et lib. V. u. 701-2.

Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas

Mutabat uersans.

Item lib. iiI. u. 34. *Multa mouens animo.*

V. 290. *gentibus Afris.* Ms. *gentibus affros.*

V. 292. *iterumque iterumque uolutat.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 770. . . . . *iterumque iterumque uocaui.*
et lib. III. u. 436. . . . . *iterumque iterumque monebo.*

V. 295. *Quippe ut captiuos nullo.* Ms. *Quippe ne captiuos ullo.*

V. 297. *et obstat.* Ms. *et bstat.*

V. 299. *Ac uelut.* Ms. *Ac uelud.* In margine: *Comparatio.*

V. 301. *infestos.* Ms. *infaisstos* (ix) sic. An *infaustis*?

V. 302. *Vt monet ipsa ceres: pauitat, damnumque.* Ms. *Sed mouet ipsa ceres, pauidat dampnumque.*

V. 303. *dimissi.* Ms. *demissi.* Nota, auctorem in hac comparatione prae oculis habuisse dominicum effatum apud Matth. cap. XIII. u. 29. *Non; ne forte, colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.*

V. 306. *quo pondere uergat.* Imitatus est poëta in hoc et superiori uersu illos Virg. *Aen.* lib. XII. u. 725-7.

Iuppiter ipse duas aequato examine lances
Sustinet, et fata imponit diuersa duorum:
Quem damnet labor, et quo uergat pondere letum.

V. 309. *pendens dum pectus.* Seneca *Epist.* V. ad finem: *pendens animus.*

V. 311. *Itque reditque uias.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 122.

Itque reditque uiam toties.

V. 312. *Hunc, paribus curis flagrans, comitatur euntem.* Virg. lib. VI. u. 159.

It comes, et paribus curis uestigia figit.

et u. 863.

Quis, pater, ille, uirum qui sic comitatur euntem?

V. 314. *Recinarius.* Ms. hic habet *ricinarius*, ut et infra lib. IV. u. 583. ac pluribus aliis in locis; in hoc autem libro II. u. 335. legitur *Aricinarius*, et alibi *ritinarius.* Libro IIII. tamen u. 716. et 946. it. lib. VI.

u. 50. et lib. VII. u. 134. et 597., sicut etiam in illis quibuscunque Periochis, quas inueni in nostro Codice, et huic Poëmati subieci, legitur semper *Recinarius.* Hunc scribendi modum retinui, quia ex lib. VI. u. 28. et seqq. constat esse eundem Ῥεκινάριον, quem Procopius lib. II. *De Bello Persico* cap. XXVII. p. 157. ait, missum fuisse oratorem a Iustiniano ad Chosroën Chauodes filium Persarum regem. *Rhecinarius* etiam a Maltreto ibidem Latine uertitur.

V. 315. *in saeuis fidum sociumque periclis.* V. supra ad u. 268.

V. 320. *impar anhelis.* In memorato lib. I. Poëmatis I. L. De Bonis *in laudem Io. Galeaz Vicecomitis*, in quo hi uersus exscripti fuerunt, iuxta Cod. Triuult. A. 274. p. 209. et 216. u. 244. legitur: *impiger aegris.*

V. 329. *deferre.* Ms. *differre.*

V. 330. *retollunt.* Vox addenda Lexicis Linguae Latinae, quae tamen rursus occurrit lib. IIII. u. 1154.

V. 333. *demus?* Ms. *damus.*

V. 334. *moueat duri in discrimine.* Sic in Cod. Corippi, sed in Cod. A. 274. I. L. De Bonis *Laud. Ioh. Gal. Vicecom.* p. 216. u. 255. legitur:

. . . . . *moueant diri discrimina.*

et p. 209. . . . . . *moueat duri in discrimina.*

V. 335. *Placide haec Recinarius.* Ms. *placide aricinarius*, de quo nomine uide paulo supra ad u. 314.

V. 336. *Edidit in medio plana cum uoce locutus.* Ms. *Edidit in modico plana cum uoce lucutus.* Citatis uero locis Cod. A. 274. est:

Esit. et in modico plana cum uoce lucutus.

Ita in Praefatione u. 25. exstat *lucutus* pro *locutus.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 194.

Atque haec ingressis placido prior edidit ore.

V. 337. Mendum irrepsit hic in editione nostra, ubi pro *miro* legendum est *misto*, ut habet Codex Corippi, et I. L. De Bonis ll. mox citatis.

V. 341. *nostrae.* Ms. *nostra.*

V. 344. *Captiuos reuocet.* I. L. De Bonis ll. cit. habet *Captiuos reddat.*

V. 345. *Ilasguas.* Ms. *hilaguas,* sed in Periochis ad hunc locum legitur *Ilasguas* absque adspiratione, ut iam monui ad lib. I. u. 478.

V. 346. *Princeps . . . ., coactus.* Ms. *Principis . . . . coatteis.*

V. 350. *tumida steterit ceruice rebellis.* Ms. *tumidus steterit ceruice rebellis;* sed postremae huius uocis *s* transuerso obelo eliminata fuit male, ut puto. Cic. *in Vatin.: inflato collo tumidis ceruicibus intulisti.* Ioh. L. De Bonis in Poëmate pro *Galeazio Vicecomite Duce Mediolani* hunc uersum, qui ibi est 256. lib. I. sic exprimit iuxta Cod. A. 275.

Huc si fors tumidum faciet ceruice rebelli.

V. 351. *poenitet unquam.* Ms. *peniteat.* Ioh. L. De Bonis l. cit. u. 257. . . . . *nec penitet ultra.*

V. 354. *Coepta.* Ms. *Cetta;* et apud De Bonis l. c. u. 260. *Certa;* sed *Cetta* est in Cod. A. 274.

V. 357. *et* deest in Codice.

V. 360. *His monitis.* Ms. *Hic monitus;* sed De Bonis in Cod. A. 274. habet *Haec monitis,* et in Cod. 275. fortasse melius *Et monitis.*

V. 364. *Poeniteat.* Ms. *Peniteant.* Sed apud De Bonis l. c. u. 270. legitur *Peniteat* in solo Cod. A. 275.

V. 368. *Subiectos releuans* cet. Saepe auctor noster habet prae oculis celebre Virgilianum effatum de Romanis Aen. lib. VI. u. 853. supra cit. ad lib. I. u. 149.;

ut etiam *De Laud. Iust.* lib. iI. u. 233-4.

. . . . *subiectis parcite nostris,*
Colla superborum confringite.

V. 370. *obstricta.* Ms. *obstricte.*

V. 377. *Ad fera bella.* Ms. *Affera bella.*

V. 383. *Nos Alanos, Vnnos.* Ms. *Nos laros urmos;* sed etiam Claudianus *Alanos* iungit cum *Vnnis* uel *Hunnis* lib. iI. *in Rufin.* Carm. V. u. 270-1.; etenim tam Vnni quam Alani populi Scythiae fuerunt. Scio autem productam fuisse secundam syllabam in uoce *Alanus* cum a Martiali tum ab ipso Claudiano; sed, in nominibus propriis praecipue barbaricis parum constantes inter se poëtas fuisse, atque prosodiae obseruantes, omnes norunt.

V. 385. *Axe ferae gentes nostris famulantur in aulis.* Ms. *Axe fere* etc. sed a Codice nostro diphthongi fere semper exulant, uel rarissimi sunt. Corippus ipse in *Fragm. De Laudibus Iustin.* u. 18.

Victores, uictique tua famulantur in aula.

V. 386. *Principe subque.* Ms. *Principe sub quo.*

V. 395. *Quod si ferre.* Ms. *Quod si dure.*

V. 400. *Ariete non altas adducto.* Ms. *Non ariete cauas. aducto.* De hoc tormento bellico uide adnotata ad hunc lib. iI. u. 100.

V. 401. *adductos.* Ms. *aductos* unico *d* etiam hic ut u. superiori. Fortasse legendum erit *adducto.*

V. 403. *Et prope.* Ms. *Et bone,* sed non satis clare.

V. 404. *Sculptilis.* Ms. *Scultilis.*

V. 405. *Gurzil.* De hoc numine uel Ioue Africano uide supra hoc libro u. 109. et seqq., et adnotata ibidem.

V. 414. *Vix ea fatus erat, missus montana tenebat.* Sexies Virgilius incipit uersum hoc modo:

Vix ea fatus erat.

Pro *montana* uide supra ad u. 56. huius libri.

V. 417. *Humida nox caelo.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 8.

. . . . . *et iam humida nox caelo.*

V. 418. *Palantesque polo stellas.* Ms. *Pallentesque polo stellas.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 21. incipit pariter:

Palantesque polo stellas.

V. 419. *obscurae.* Ms. *obscuret.*

V. 420. *Aequore.* Ms. *Equora.*

V. 429. *uadens.* In Ms. prius erat *habens*, sed nunc legitur *ualens.*

V. 432. *Insolite.* De hoc aduerbio Forcellinus exemplum profert petitum ex S. Augustino, praeter aliud dubium A. Gellii.

V. 435. *Peruigil insomnem* etc. ut Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 166-7. . . . . . . *Noctem custodia ducit*

Insomnem cet.

V. 438. *cauens, ne.* Ms. *canens neu.*

V. 440. *Discurrunt.* Ms. *Discurrit.*

V. 442. *inque sinus.* Ms. *inque suis.* Fortasse in antiquiori codice, unde exscriptus fuit noster, erat *sīus* idest *sinus.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 347.

. . . . *inque sinum praecordia ad intima subdit.*

V. 444. *hastasque.* Ms. *astasque.* V. supra ad lib. I. u. 93.

V. 445. *innixi.* Ms. *innixis.*

V. 446. *Somnus et aduerso uix tangit lumina cornu.* Ms. *curnu.* Stat. *Theb.* lib. II. u. 144.

. . . . . *cornu perfuderat omni somnus.*

et lib. V. u. 198.

Somnus et implacido fundit grauia otia cornu.

V. 448. *ualent.* Ms. *uolunt.*

V. 449. *Sollicitoque.* M. *Sollictoque.*

V. 455. *Miles.* Ms. *Milex.* In margine adest: *Nota propriam descriptionem dormientium.*

V. 461. *clipeo.* Ms. *clipeos.*

V. 466. *et horridus ira.* Ouid. *Metamorph.* lib. VI. u. 685.

Boreas horridus ira.

V. 472 *iamque.* Ms. *iam.*

V. 473. *et somnos iam proflat amaros.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 326.

. . . . . . *toto proflabat pectore somnum.*

V. 474. *Languet: direptosque.* Ms. *Langet direttosque.*

V. 476. *dextram.* Ms. *dextra.*

V. 477. *per deuia.* Val. Flaec. lib. III. u. 49. etiam habet: *per deuia.* Lucan. lib. IIII. u. 161. lib. V. u. 132. et lib. VIII. u. 209. *in deuia;* it lib. VI. u. 331. *deuia.*

V. 481. *Dum manu utraque parat* cet. Deest in Codice *manu.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 460.

Creber utraque manu pulsat etc.

V. 486. *referentes.* Ms. *inferentes.*

V. 487. *Terrentur uisis.* Ms. *Horrentur uissis* uel *iussis.*

V. 488. *Donauit.* Ms. *Domauit.*

IN LIBRVM III.

NOTAE.

V. 1. *Iactabant pectora curae.* Ms. *iattabant pectore cure.* Exscriptor Codicis nostri fortasse prae oculis habebat Virg. *Aen.* lib. I. u. 231.

Atque illum tales iactantem pectore curas.

V. 2. *per membra soporem.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 406. desinit pariter: *per membra soporem.*

V. 3. *et dulci non claudens lumina somno.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 185.

. . . . . *nec dulci declinat lumina somno.*

V. 5. *Circumquaque duces uallantes agmine denso.* Ms. *Circumperque* etc. Etsi *circumquaque* non reperiatur apud ueteres poëtas, ea tamen uoce usus est Ant. Millieus in *Moyse uiatore* uersu qui incipit: *Circumquaque patens*, ut uidere est apud Ricciolium in *Prosodia reformata* uersu 16962. T. I. p. 340. Edit. Bonon. 1655. Corippus ipse *De Laud. Iustin.* lib. I. u. 275.

Ireque contractas denso iubet agmine turbas.

Virg. *Aen.* lib. II. u. 450. lib. IX. u. 788. et lib. XII. u. 443. desinunt: *agmine denso.*

V. 6. *Consilium pariter summis de rebus habebant.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 227.

Consilium summis regni de rebus habebant.

V. 7. *Tractatu uario, noctem sermone trahentes.* Quintil. lib. VII. cap. III. *Nec uno modo definitur res, sed latiore uarioque tractatu;* et Virg. *Aen.* lib. I. u. 752.

Nec non et uario noctem sermone trahebat.

V. 12. *canunt* pro *celebrant*, ut apud Martial. *De Spectac.* Epigr. V. *Quidquid fama canit.*

V. eod. *sic ore locutus.* Ms. *sic forte lucutus.* Pro *lucutus* uide ad *Praef.* u. 25. Poteram tueri *forte* adducto Virg. exemplo *Aen.* lib. VI. u. 186., ubi aliquot libri habent: *sic forte precatur.* Huic tamen lectioni communiter praefertur haec: *sic ore precatur.* Imo Virg. ipse *Aen.* lib. IX. u. 319. dixit:

. . . . prior Hyrtacides sic ore locutus.

Item lib. I. u. 618.

. . . . et sic ore locuta est.

et lib. VIIII. u. 5.

. . . . sic roseo Thaumantias ore locuta est.

V. 15. *Vltio missa Dei. Num.* cap. XXXI. u. 3. *Vltionem Domini expetere.* Isai. cap. XXXIIII. u. 8. *dies ultionis Domini.* et Ierem. cap. L. u. 15. et cap. LI. u. 11. *Vltio domini est.*

V. 16. *Vandalicumque genus centeno perderet anno!* Iuxta Procop. *De Bello Vand.* lib. iI. cap. iiI. p. 242. *per annos XCV. Vandali in Africa regnarunt;* sed alii ad annos LXXXXVII. eorum regnum ibidem proferunt, ut passim legere est apud historicos et apud Barthium ad Corippi lib. iiI. u. 124. *De Laudibus Iustini*, uel *Aduersar.* lib. LIV. cap. iI. p. 2584.; unde hic esset numerus integer et solidus pro fracto. Cum autem ad annum CCCCXVIII. Muratorius in Annalibus Italiae et Cl. Morcellus *Afr. Christ.* To. iiI. p. 123. et seq. in Africam traiecisse Vandalos statuerint; et anno DXXXIII. certo constet Belisarium uictorem ingressum esse Carthaginem, nec non anno sequenti Geilamir ultimum Vandalorum Regem captiuum Constantinopolim duxisse: hinc annos plus quam C. Vandali tenuerunt Africam. Imo S. Isidorus Hispalensis in *Historia Vandalorum* To. iiI. *Hispaniae illustratae ex Bibliotheca Ioh. Pistorii*

Francof. 1606. p. 852. de Belisario asserit, quod *Africam cepit centesimo XVII. Vandalorum ingressionis anno.*

V. 17. *Geilamir.* De hoc nomine uide supra ad lib. I. u. 380.

V. 19. *Sub iuga Sidonias misit Belisarius arces.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 148.

Quin omnem Hesperiam sua sub iuga mittant.

Lucan. *Phars.* lib. I. u. 19.

Sub iuga iam Seres, iam barbarus isset Araxes.

et Horat. Carm. lib. I. Od. XXXIII. u. 11.

Sub iuga ahenea.

Virg. *Aen.* lib. I. u. 681-2. et lib. IiI. u. 545. Carthaginem uocat *Sidoniam urbem.* Procopius *De Bello Vand.* lib. I. cap. XX. p. 224. et seq. haec narrat: *Belisarius exscensum classiariis imperat, et adornato uniuerso exercitu . . . . . iter Carthaginem uersus dirigit. Vbi proxime uentum est, multus fuit in commemorandis militi successibus prosperis, quos exhibita Afris moderatio peperisset: plurimum hortatus est, ut disciplinam, praesertim Carthagine, seruarent* cet. . . . . *Hac usus cohortatione, Carthaginem ingreditur, ac nihil usquam hostile nactus, palatium ascendit; ubi sedit in Gelimeris solio.*

V. 20. *Principibus captum praesentans urbe tyrannum.* De captiuitate Geilamiri aliqua innuit Corippus etiam lib. iiI. *De Laud. Iustini* u. 124. Vide in eundem Ruizium Assagrium, Dempsterum, et Barthium in notis ad cit. u. apud Fogginium, et *Aduersarior.* Lib. LIV. cap. iI. p. 2584. paulo ante cit. Videndus hic omnino est Procopius, qui prae omnibus captiuitatem postremi illius regis Vandalorum fuse describit *De Bello Vand.* lib. iI.

cap. VII. p. 251. et seq., et cap. VIIII. p. 255. et seq., ubi reperies etiam triumphum Belisarii, *postquam Byzantium cum Gelimere Vandalisque aduenisset.* Haec praeter alia ibi narrantur: *Porro hos triumphus captiuos habuit: Gelimerum ipsum, cum ueste purpurea, circumdata humeris; propinquos ipsius omnes; e Vandalis procerissimos quosque, et oris dignitate praestantes. Circum ingressus Gelimer, ubi Augustum sublimi in solio sedentem, stantemque hinc inde populum uidit, et animum ad se referens, quo infortunii deuenisset, attendit; nec lachrymas, nec gemitus edidit; at semper in ore habuit uocem illam: Vanitas uanitatum, et omnia uanitas. Vt uentum est ad Caesareum solium, exuta purpura, prono uultu procumbere, et Iustinianum Aug. adorare compulsus est: quem honorem Belisarius quoque persoluit, cum Gelimere supplex.* Victor Tunonensis in *Chronico* ad annum DXXXIV. haec etiam reliquit: *Iustiniano IV. Cos. Iustinianus imperator . . . . exercitum in Africam, Belisario magistro militum Duce, contra Vandalos mittit: quos idem Belisarius proelio superans, Gunthimer, et Gebamundum Gadinges regis fratres perimit, ipsoque Gelimer rege in fugam conuerso, Africam capit, nonagesimo septimo Vandalorum ingressionis anno. In ipso etiam ingressu, priusquam ingressio fieret, Geilimer tyrannus Hildericum regem cum quibusdam generis eius affinibus occidit. Belisarius magister militum ac patricius Geilimer tyrannum capit, et eum cum diuitiis ex rapinis Africae Constantinopolim Iustiniano Imperatori adducit.*

V. 21-2. *Quam celeri cursu summis tot bella peracta*
Viribus, aut quae digna uirum fortuna secuta est!

Virg. *Aen.* lib. III. u. 318.

. . . . aut quae digna satis fortuna reuisit?

Lib. V. u. 226. et lib. VIIII. u. 744.

. . . . summis adnixus uiribus.

et ibidem u. 531. *Summis quam uiribus omnes* etc. Testis est Procopius *De Bello Goth.* lib. III. cap. I. p. 466., *quod in ore omnium uigebat Belisarius, duas adeptus uictorias* (nempe ex Vandalis et Gothis) *quales nemo unquam antea retulisset: quippe qui captiuos reges duos* (Gelimerem et Vitigem) *aduexisset Byzantium: praeter opinionem in Romanorum manus adduxisset progeniem ac thesauros Gizerici et Theoderici, quibus regibus inter Barbaros nemo unquam fuit illustrior: receptas ex hostibus diuitias Reip. restituisset: atque exiguo tempore dimidium fere et terrae et maris partem Imperio recuperasset.* Item *De Bello Vand.* lib. II. cap. VII. p. 252. de rebus a Belisario in Africa gestis hoc protulit Procopius iudicium: *Multa quidem alia, supra spem omnem posita, aetates omnes praeteritae uiderunt accidere, et consequentes uidebunt: quandiu eadem erit humanae uitae conditio. Fiunt enim, quae non posse fieri uidebantur; et quae habita saepe sunt impossibilia, postea cum exstiterunt, admirabilitatis plurimum habuere. Num autem iis, quae hic narrantur, similia aliquando contigerint, mihi non est promptum dicere. Quantum est, quod quina aduenarum millia (tot enim equites, qui soli bellum gessere cum Vandalis, secum aduexerat Belisarius) cum portum, in quem appellerent, non haberent, Gizerici abnepotem, eiusque regnum, diuitiis ac militibus pollens, euerterint tam breui tempore. Mirandum profecto seu fortunae seu uirtutis opus.* Sic etiam Iohannes Nicetae filius apud Procopium *De Bello Persico* lib. II. cap. XIX. p. 134. Belisarium alloquitur: *Equidem arbitror nullum fuisse ducem post homines natos, qui te, fortissime Belisari, cum fortuna tum uirtute aequiparauerit.*

V. 23. *adductas.* Ms. *aductas.*

V. 24. *rapidi nec solis.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 92.

. . . . . *rapidiue potentia solis.*

et u. 424. . . . . . *solem ad rapidum.*

et lib. II. u. 321. . . . . . *rapidus sol.*

V. 26. *phoebi candentis et axe.* Ms. *febi cantentis et axe.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 720.

. . . . . *niueo candentis limine Phoebi.*

V. 27. *Tristia bella.* V. ad lib. II. u. 268.

V. 28. *facta iam pace.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 587.

. . . . . *facta pariter nunc pace.*

V. 30. *me discedente.* Ms. *me descedente.* Ex hoc loco prius patet Iohannem fuisse in Africa cum Belisario ad debellandos Vandalos.; rursusque Africam petiisse anno DXXXVII. cum Germano, constat ex infra dicendis ad u. 317.

V. 32. *lumen fundentis.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 683.

Fundere lumen.

V. 34. *Pax erat alta locis. Quae tanta insania belli?* Claud. lib. II. *in prim. Consul. Stilichonis,* seu Carm. XXII. u. 287.

Et Ianum pax alta ligat.

Virg. *Aen.* lib. II. u. 42. *Quae tanta insania, ciues?* et lib. VII. u. 461. desinit:

. . . . . *et scelerata insania belli.*

V. 35. *insanus.* Ms. *insonus.*

V. 36. *quatiens bellona flagello.* Ms. *quotiens bellona flagello.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 703. desinit pariter:

. . . . *Bellona flagello.*

V. 38. *Et, phaëthonteos commiscens gentibus ignes.* Ms. *Et phetonteos* cet. Ouid. *Metam.* lib. XIIII. u. 246.

Post Phaëthonteos uidisse dolentius ignes.

V. 43. *nutantis destina terrae.* Vide Corippi *De Laud. Iust.* lib. I. u. 18. qui desinit pariter:

. . . . . *nutantis destina terrae.*

et quae in uocem *destina* erudite adnotarunt Ruizius, Dempsterus, Barthius, et Fogginius.

V. 46. *obstructis.* Ms. *abstructis.* An *abstrusis?*

V. 47. *Caecilides.* Ms. *cecilides* absque diphthongo cum hic tum lib. VI. u. 375. Sic etiam in *Actis Sanctorum* Bollandianis legitur: *Cecilus Martyr iu Africa*, et *Cecilia Martyr*, ille ad diem VII. Maii p. 136., haec ad VIII. Iulii p. 578. Sed rectius mihi uisum est adiicere diphthongum, quam habet Romanae gentis nomen *Caecilius*, ut uidere est in eorum numis. *Caecilides* enim omnino deriuatum uidetur a *Caecilio*, uel potius eius patronymicum nomen.

V. 51. *iram.* Ms. *ira.*

V. 52. *placide.* Ms. *placidis.*

V. 53. *plena sic uoce locutus.* Ms. *plena sic uoce lucutus.* Pro postrema hac uoce uide notam ad Praef. u. 25. Virg. *Georg.* lib. I. u. 388.

Tum cornix plena pluuiam uocat improba uoce.

V. 56. *gelidus praecordia sanguis.* Virg. *Georg.* lib. II. u. 484.

Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis.

V. 57. *attentae uix prodit fabula linguae.* Ms. *actente* etc. Voce *fabula* usus est auctor noster etiam *De Laud. Iust.* lib. III. u. 126. pro *sermone* uel *confabulatione*, ut iam animaduerterat Rittershusius in nota ad eundem uersum. Lucan. lib. IIII. u. 200.

Extulit insomnes bellorum fabula noctes.

Vide etiam Barthium *Aduersarior.* Lib. XXXV. cap. XIV. p. 1611., ubi haec leguntur: *Fabula a fando ducta*

non solum fictitiam recensionem, sed uero quamuis etiam ueram denotat. Sic persaepe usus Apuleius, ... apud quem scriptorem fabulosus etiam memorabilem denotat. Plauto fabulari est loqui in Epidico Scen. I.

V. 58. *meos iterum me ferre labores.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 635. . . . . *tantos uoluit te ferre labores.*

V. 60. *premunt dominantis iussa magistri.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 368. . . . . *Faunique premunt te iussa parentis.*

V. 63. *Principio* cet. In margine adest sequens notula: *Coepit tribunus referre principia pestium Libyae.* Nouies etiam apud Virg. incipit uoce *Principio* uersus et sententia, ut et apud Lucretium aliquando.

V. 66. *Guenfan.* De hoc nomine patris Antalae altum silentium hucusque fuit apud scriptores. Vide infra u. 107.

V. 67. *Antala.* De hoc nomine sic repetito hic etiam in margine uide ad lib. I. u. 469., ubi aliqua de eodem retuli ex Procopio.

V. 70. *nectebant.* Ms. *nectebat.*

V. 71. *solitoque.* Ms. *solitosque.*

V. 72. *Paxque suam laetam fulgens ornabat oliuam.* Postremam hanc uocem Codex sic exhibet: *uliuam.* In quamplurimis numis imperatoriis uisitur parte auersa figura muliebris gestans dextera oleam, cum epigraphe PAX AVG.

V. 73. *Antalae.* Ms. *amtale.* Ex hoc loco coniicere licet eum natum esse anno Christi DXIII., si iam trigesimum aetatis suae annum attigerat, quando secuta est eius defectio ab Imperio Romano, quae a Procopio refertur ad XVII. annum imperii Iustiniani nempe Chr. DXXXXIII. *De Bello Vand.* lib. II. cap. XXI. p. 288. V. et Cl. Morcelli *Afr. Christ.* T. III. p. 295.

V. 74. *Nascentis.* Ms. *Nascentes.*

V. 75. *ut toto* cet. In margine est: *Comparatio.*

V. 78. *Summe pater, capiti ipsorum generique reserua.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 533. incipit iuxta aliquot Codices: *Summe pater*, ubi tamen meliores libri habent: *Sume, pater;* et lib. VIII. u. 484.

. . . . *Dii capiti ipsius generique reseruent.*

V. 80. *Terribili monitu.* Virg. *Aen.* lib. IiiI. u. 465. incipit similiter: *Terribili monitu* etc.

V. 81. *Fama uolat.* Virg. *Aen.* lib. iiI. u. 121. et lib. VIII. u. 392. et 554. pariter incipiunt: *Fama uolat.*

V. eod. *Ammonis ipse.* Secundam in *Ammonis* corripit noster poëta, ut iam fecerat conterraneus suus Marcianus Capella *De Nuptiis Philologiae* lib. iI. in illo uersu, qui incipit: *Ammon et arentis Libyae* etc.

V. 83-4. . . . . . . *mactat de more profano*
Horrida sacra Ioui. Tristes et Apollinis aras.

Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 84-5. . . . . *tibi, maxima Iuno,*
Mactat, sacra ferens etc.

et u. 544. . . . . . . *mactat laetas de more bidentes.* Vide et ib. lib. IiiI. u. 57. et lib. VI. u. 38-9. Pro *aras* Codex habet *iras.* Forsitan exscriptoris memoriae occurrerunt illos Virgilii uersus *Ecl.* iI. u. 14. et *Aen.* lib. iiI. u. 366. quorum primus desinit:

. . . . . . *tristes Amaryllidis iras.*

et alter: . . . . *et tristes denuntiat iras.*

V. 85. *Phoebi tripodas laurosque requirit.* Ms. *phebi tripodas laurusque requirit.* Virg. *Aen.* lib. iiI. u. 359-60.

. . . . *qui numina Phoebi,*
Qui tripodas, Clarii lauros cet.

V. 87. *Omnigenumque pecus mactat uittata sacerdos.* Lucan. *Pharsal.* lib. I. u. 597. desinit pariter: *uittata*

sacerdos. Hac de re Procopius *De Bello Vand.* lib. II. cap. VIII. p. 253. sic testatur: *Cum esset opinio uenturam in Africam* (ductore Belisario) *Augusti classem, sibi inde timentes Mauri, fatidicas mulieres consuluerunt. Quippe uiris nefas est apud illos uaticinari; sed foeminae peractis quibusdam sacris, afflatae spiritu, futura pandunt, nihilo secius quam antiqua oracula.*

V. 88. *Raptis primum quae saeuit in extis.* Ms. *que seuit.* An *quaesiuit?* Lucan. *Phars.* lib. I. u. 617.

Atque iram superum tantis quaesiuit in extis.

Virg. *Aen.* lib. XII. u. 214-5.

. . . . *iugulant pecudes, et uiscera uiuis*
Eripiunt cet.

V. 89. *(series latuit longissima) fibras.* Sic Ms. habet, non *fibris,* ut perperam impressum fuit in textu. Virg. *Georg.* lib. I. u. 484.

Tristibus aut extis fibras apparuere minaces.

et *Aen.* lib. I. u. 645. . . . . *series longissima rerum.*

V. 90. *Duraque perpetuis imponit uiscera flammis.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 253.

Et solida imponit taurorum uiscera flammis.

V. 91. *subito correpta furore.* Ms. *subito corrupta furore.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 697.

. . . . *subitoque accensa furore.*

V. 92-3. . . . . *mersosque simul per uiscera cultros*
Imprimit ipsa sibi: multus de corpore sanguis.

Pro *multus* in Codice est *nullus.* De hoc barbaro gentium ritu uide lib. III. *Regum* cap. XVIII. u. 28., ubi legitur, quod prophetae Baal *clamabant uoce magna et incidebant se iuxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Confer étiam expositores huius loci, ueluti Corn. a Lapide, et Aug. Calmet,

qui plures auctoritates ex profanis auctoribus potissimum congesserunt super hoc ritu.

V. 94. *et crebro geminat cum uulnere ferrum.* Virg. *Georg.* lib. III. u. 221. *Vulneribus crebris.* Hor. lib. I. od. XXVI. u. 8.

. . . . *geminant Corybantes aera.*

et Claud. *De Bello Get.* Carm. XXVI. u. 387.

Et Trebiam saeuo geminassent funere Cannae.

V. 95. *tunc flammea lumina torquet.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 448-9.

. . . . *tum flammea torquens*
Lumina. It. *Georg.* lib. III. u. 433.
. . . . . . *et flammantia lumina torquens.*

V. 97. *rubor igneus inficit ora.* Lucan. *Phars.* lib. V. u. 214. iisdem desinit uerbis:

V. 98-9. . . . . . . *ludunt ceruixque comaeque,*
Inque humeros utrosque cadunt.

Pro *comaeque* Codex habet *comete.* Apul. *Metamorph.* lib. VIII. *ceruices lubricis intorquentes moribus, crinesque pendulos rotantes in circulum.* Ouid. *Metamorph.* lib. XII. u. 396.

Ex humeris medios coma descendebat in armos.

Colum. lib. VIII. cap. II. *Iubae uariae uel ex auro per colla ceruicesque in humeros diffusae.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 755. . . . . *humero ex utroque.*

V. 100. *miscentur murmura uocis.* Ms. *uoces.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 210.

. . . . . . *inania murmura miscent.*

V. 102. *Non aliter.* In margine legitur: *Comparatio.* Saepe Virgilius orditur comparationes ex illis uerbis: *Non aliter.*

V. 104. *ciens.* Ms. *cient.*

V. 105. *Spirat, inexhaustas renouans fornace procellas.* Ms. *Aspirat in exaustas transremouens fornace procellas.* Non adhuc fortasse sanati hi sunt uersus.

V. 107. *Guenfan.* Ms. hic habet *guanfan.* Vide supra u. 66.

V. 109. *Antala crescente tuo, furor omnis et ira.* Ms. hic *Antela.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 316-7.

. . . . furor iraque mentem
Praecipitant.

V. 111-2. *Flammea tisiphone tortis saeuire chelydris*
Incipit. Virg. *Georg.* lib. III. u. 591-2.
Saeuit et in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone.

Et *Aen.* lib. X. u. 761.

Pallida Tisiphone media inter millia saeuit.

V. 113. *Aëra per uacuum. Nigris infusa uenenis.* Virg. *Georg.* lib. III. u. 109. incipit pariter:

Aëra per uacuum ferri. Et *Aen.* lib. IIII. u. 514.
. . . . . . nigri cum lacte ueneni.

V. 114. *linguisque trisulcis.* Virg. *Georg.* lib. III. u. 439. et. *Aen.* lib. II. u. 475. desinunt:

. . . . . . et linguis micat ore trisulcis.

V. 115. *Temperiem, diroque horrescunt tempora tabo.* Ms. *Temperiem* (qua uoce usus est auctor etiam *De Laud. Iust.* lib. III. u. 106. et 156.) *direque orrescunt tempore tabo.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 197.

Ora uirum tristi pendebant pallida tabo.

V. 116-7. *Sanguine Vandalico uideo decurrere riuos*
Montibus. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 456.
. . . . . plenos spumanti sanguine riuos.

Hor. Carm. lib. IIII. od. II. u. 5.

Monte decurrens uelut amnis.

V. 118. *En praedam exhaustis Afris rapiuntque reclaudunt!* Ms. *En predam exaustis* etc. sed omisso *Afris.* Fortasse pro *reclaudunt* legendum est *reclausam.* Nota deesse apud Forcellinum nec non in *Appendice ad* suum *Lexicon* uerbum *reclaudo* eiusque participium *reclausus*, quod occurrit hic infra u. 164., etsi adsint eorum deriuata per contractionem diphthongi *recludo* et *reclusus.*

V. 119. *regnum.* Ms. *rantum.*

V. 121. *Quid iuuit.* Ms. *Quid uiuit.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 55-6. . . . . . . *Quid pestem euadere belli*
Iuuit cet.

V. 122. *Virtute indomita partam.* Ms. *Virtutem indomitam parta.*

V. 123. *Hic luet.* Ms. *Hic leuat*, et prius erat *lauat.*

V. 124. *et uario rapiuntur tempora fato.* Sic plane in Codice; sed fortasse erit corrigendum *en uario rapiuntur*, uel *et uario rapientur* etc.

V. 125. *Africa namque suum factorem fessa rogabit.* Pro postrema hac uoce est in Codice *rogabat.* Saepe utitur auctor uoce *factoris* pro creatore Deo, ut *De Laud. Iust.* lib. I. u. 340. *Sed factor solis.*
et lib. II. u. 58. *Caelorum factor Dominus Deus.*

V. 129. *conterritat.* De hoc uerbo uide lib. II. u. 54.

V. 130. *tremescit.* Sic legitur in nostro Codice, ut etiam Pierius testatur se legisse in pluribus antiquis manuscriptis libris Virg. *Aen.* lib. III. u. 648. *tremesco*, atque lib. XI. u. 403. *tremescunt.* Infra tamen Codex noster habet u. 142. *tremiscens.*

V. 134. *En iterum bellum reparat.* Ms. *En iterum bella reparat.* Liu. *Hist.* lib. XXX. cap. VII. *Summa et ipsum reparantem bellum.*

V. 135. *subuertere curat!* Ms. *sed uertere currit.*

V. 137-8. . . . . . *Quid tantum surgit in altum,*
Vnde cadat rursus cet.

Claud. *in Rufin.* lib. I. seu Carm. iiI. u. 22-3.
. . . . *Tolluntur in altum*
Vt lapsu grauiore ruant.

V. 140. *Proluit, heu, nostro concretos sanguine, campos!* Virg. *Aen.* lib. iI. u. 277.
. . . . *et concretos sanguine crines.*

Georg. lib. I. u. 481-2.
Proluit insano contorquens uortice siluas
Fluuiorum rex Eridanus camposque etc.

V. 141. *Talia dicentis uultus in terga retorsit.* Virg. *Aen.* lib. IiiI. u. 362.
Talia dicentem cet.

Ouid. *Metam.* lib. iiI. u. 68.
Ille dolore ferox caput in sua terga retorsit.

V. 143. *uastoque ad terram pondere fluxit.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 447-8.
Ipse grauis grauiterque ad terram pondere uasto
Concidit. V. infra u. 255.

V. 145. *Sicubi lymphigeros deducit fistula tractus.* Ms. *Siculi limphigeros* cet. In margine additur: *Comparatio.* Ex uoce *Siculi* Codicis nata est mala interpretatio huius loci in Periochis, quam uidere poteris in calce poëmatis. *Lymphiger* est uox addenda Lexicis Latinis, rursusque occurrit infra lib. VII. u. 246. Lucan. *Pharsal.* lib. IiiI. u. 368.
Continuus multis subitarum tractus aquarum.

V. 146. *Aere cauo.* Virg. *Aen.* lib. iiI. u. 286. incipit similiter: *Aere cauo;* sed alio sensu ibi accipitur haec phrasis.

V. 146-7. . . . . *funditur amnis,*
Rauca sonans. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 124-5.
. . . . *Cunctatur et amnis*
Rauca sonans.

V. 149. *uertex truncatur aquarum.* Claud. *Gigantom.* seu Carm. XXXVII. u. 70.

Et socias truncauit aquas.

V. 150. *ad fontem refluit amnis.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 240. . . . . *refluitque exterritus amnis.*

V. 154. *fouentque.* Ms. *fauentque.*

V. 156. *Septimus et decimus nascentem senserat annus.* Decimus septimus a natiuitate Antalae annus respondet anno DXXX. Christiano; quia supra ad u. 74. uidimus illum natum esse anno DXIII. Annus uero DXXX. postremus fuit regni Hilderici seu Hildemeri, ut eum uocat poëta noster, sicuti uidebimus infra ad u. 198., et centesimus regni Vandalorum in Africa sumpto initio a primo ingressu Genserici in eam prouinciam.

V. 158. *Cacus ut Herculeis cariturus luce lacertis.* Ms. *Cautus ut herculeis* cet. Ipse Hercules apud Ouid. *Metamorph.* lib. VIIII. u. 197. sic ait:

His elisa iacet moles Nemaea lacertis.

V. 164-5. *Laniferi spes una gregis. Tunc ense reclauso*
Diripit astrictam magno cum pondere pellem.

Virg. *Aen.* lib. XII. u. 57.

. . . . . . *spes tu nunc una senectae.*

et lib. VIIII. u. 423. . . . . . *simul ense recluso.* Pro uoce inusitata *reclauso* uide supra ad u. 118. Item Virg. *Aen.* lib. X. u. 414.

Strymonio dextram fulgenti diripit ense.

et lib. III. u. 49.

. . . . *auri cum pondere magno.*

V. 167. *uerubusque trementes conserit artus.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 215-6.

Tergora diripiunt costis, et uiscera nudant:
Pars in frusta secant, uerubusque trementia figunt.

V. 168. *flamma torrente.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 550.

. . . . *flammis ambit torrentibus.*

V. 171. *Tempore iam ex illo.* Sic incipit Virg. *Aen.* lib. I. u. 627.

V. 172. *Incipit.* Ms. *Incepit.*

V. 173. *secumque.* Ms. *seumque.*

V. 176. *ascendere praeda.* An *abscondere praedam?*

V. 178. *Et lare capta parat tuta subsidere ualle.* Ms. *et lari tuta parat capta subsidere ualle.* Virg. *Ecl.* II. u. 40.

. . . . . . *nec tuta mihi ualle reperti.*

V. 181. *Obsidione premens.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 647.

. . . . . *ingentique urbem obsidione premebat.*

V. 182. *peruerso numine turmas.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 584.

Contra fata Deum, peruerso numine, poscunt.

V. 183. *in latis prostrauit cuspide campis.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 465. . . . . *latis diffundite campis.*

V. 184. *fatis urguebat acerbis.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 587.

. . . . *quandoquidem fatis urgetur acerbis.*

Etiam in Codice, quo usus est Ruizius, ut publici iuris faceret reliqua Corippi carmina, semper *urgeo* uerbum cum *u*, litera liquida, inuenitur sic *urgueo*; qua de re animaduertendum esse lectorem uisum est ipsi editori ad u. 33. *Fragmenti in laudem Iustini.* Nic. Rittershusio autem placuit haec constans orthographia ueterum uerbi *urgeo* cum littera *u urgueo*, ut ad cit. uersum testatur pag. 383. edit. Romanae 1777. Hinc ego ueritus sum Codicis nostri antiquam scripturam

immutare, ubicumque eam inueni. De ratione scribendi eandem uocem uidesis Cellar. *Orthogr. Lat.* p. 117. ed. Patau. 1724.

V. 185. *Regnaque centeno properans iam fregerat anno.* Regnum Vandalorum in Africa innuit hic poëta, quod annis circiter C. uiguit; qua de re uide supra ad u. 16. huius libri. Anno nempe CCCCXXVIII. a Bonifacio comite uocatus fuerat Gensericus in auxilium contra Aëtium, et anno CCCCXXX. iam totam fere Africam sibi subiecerat: hinc constat hic loqui auctor de iis, quae ibidem acciderant centeno post anno, scilicet DXXX. Christi.

V. 188. *infensasque.* Ms. *infessasque.*

V. 189. *uires ualidas tunc Naufur anhelus.* Ms. *uires tunc naffur anhelus.* Vox *ualidas* adieci, quia mancus in Codice erat hic uersus; eamque accersiui ex Virg. *Aen.* lib. VI. u. 833.

Neu patriae ualidas in uiscera uertite uires.

Feci *Naufur*, quia etiam infra lib. VI. u. 384. est *Naufur anhelus.* Attamen fateor, hunc et sequentem uersum adhuc indigere medica manu.

V. 194. *Acti fatis urguemur iniquis.* Ms. *atti fatis* etc. Virg. *Aen.* lib. I. u. 36. *Errabant acti fatis.*
lib. II. u. 257. . . . . *fatisque Deum defensus iniquis.*
lib. III. u. 17. . . . . *fatis ingressus iniquis.*
et lib. X. u. 380. . . . . *fatis adductus iniquis.*

V. 196. *uersos miseris tunc flere penates.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 264. . . . . *uersosque penates.*

V. 198. *Hildimer.* Hic procul dubio est ille rex Vandalorum Hunerici filius, quem passim Historici uocant *Hildericum*, uel absque aspiratione *Ildericum*, qui regnauit ab anno DXXIII. ad DXXX. usque in Africa.

Exstat in Musaeo Triuultio eius numus argenteus tertii moduli uel quinarius, caput regis imberbe repraesentans parte antica cum inscriptione D N HILDIRIX REX, et parte auersa mulierem stantem, coronam spicis contextam in capite habentem, et extensa utraque manu spicas gerentem, cum epigraphe FELIX KART. Quem praestantissimum numum eundemque rarissimum praedicat Echhel *Doctrina Numorum Veterum* T. IV, p. 138. Fortasse tam *Hildericus* quam *Hildimer* idem est ac *Nobilis* uel *Nobilissimus* ex radicibus *Idel* uel *Adel*, *Nobilitas*, et *Rich* uel *Reich*, *diues*, quod parum distat sensu a *Mehr*, *multus*, uel *amplius:* ut sit quasi *Nobilitate affluens.* Qui Germanicam linguam callent, facilius me intelligent. Sane Wachterus in *Glossario Germanico* T. I. p. 45. interpretatur *Hilderich*, *nobilitate potens.* De hoc rege pauca referam ex Procopio *De Bello Vand.* lib. I. cap. IX. p. 199. *In regnum* (Trasamundo) *successit Ildericus Honorici filius ac Gizerici nepos*, *uir subditis affabilis*, *totus ad mansuetudinem natus*, *qui nullo unquam modo Christianos uexauit: at idem ualde imbellis*, *res militares ne auribus quidem admittebat. Quamobrem fratris ipsius filius Hoamer*, *uir bello praeclarus*, *Vandalorum expeditionibus praeerat*, *sic*, *ut eorum Achilles nominaretur. Regnante Ilderico Mauri Byzaceni*, *qui parebant Antallae*, *praelio fudere Vandalos.*

V. 200. *Vincere*, *nec tantis poterat concurrere signis.* Ms. *Vincere aut tantis* etc. Virg. *Aen.* lib. VI. u. 147-8.

. . . . *aliter*, *non uiribus ullis*
Vincere, *nec duro poteris* cet.

Qui uellent tueri *aut* Codicis, dicere deberent *de industria noluisse* etiam hic Corippum *elidere uocalem* e *ante* a, ut fecit in Libris *De Laudibus* III. u. 238. et

IV. u. 28., de quibus uide Rittershusium ad priorem uersum p. 415., et Fogginium ad posteriorem p. 482.

V. 201. *rumpuntur stamina fato.* Lucan. *Pharsal.* lib. III. u. 19. . . . . . . *rumpentes stamina Parcas.*

V. 202. *Casus quid terret iniquus?* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 475.

Nec minus Aeneas casu perculsus iniquo.

V. 203. *Saepe irata piis seruat fortuna nocentes.* In Codice est: *Sepe iuata*, sed aliquantulum abrasum fuit *u.* Lucan lib. III. u. 448.

. . . . . . *Seruat multos fortuna nocentes.*

V. 206. *Nec spes ulla fugae.* Sic incipit Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 131. et lib. X. u. 121.

V. 207. *nec sistere contra.* V. ad lib. II. u. 229.

V. 209. *Ruptis tegitur gens impia saxis.* Virg. *Georg.* lib. II. u. 156. . . . . *praeruptis oppida saxis.* et u. 557. *Impia quam caesis gens* cet.

V. 210. *Vallibus et scissis.* Senec. *Troad.* u. 178.

Tum scissa uallis etc.

V. 212. *Vndique praecisis munitus rupibus* cet. Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 233. . . . . *praecisis undique saxis.*

V. 218. *deuia siluae.* Tibull. lib. IIII. carm. III. u. 2. *deuia montis;* et Lucan. *Phars.* lib. IIII. u. 161. *terrarum in deuia.* V. supra ad lib. II. u. 277.

V. 219. *Hildimer ut septas* (sic, non *septos*, ut male in textu) *uidit munimine fossas.* Ms. *Nildimer ut settas* cet. De eo uide supra u. 198., ubi rectius est *Hildimer.* Ouid. *Metam.* lib. XIII. u. 212.

. . . . . . *munimine cingere fossas.*

V. 220-1. *Atque in praecipiti, nullo iam tramite, pugnae Stare locos.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 460.

Turrim in praecipiti stantem.

V. 223. *quo tendat in hostes.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 917.

. . . . . . nec qua ui tendat in hostes.

V. 226-7. *. . . . . . siccis exarserat ardor*
Faucibus, et nimius miseros commouerat aestus.

Virg. *Aen.* lib. iI. u. 358.

Faucibus exspectant siccis.

Ms. pro *nimius aestus* habet *nimios estas.*

V. 230. *Plenos portabant fontibus utres.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 119.

. . . . . . fontemque ignemque ferebant.

V. 231. *Haud procul inde caua spectantes ualle ministri.* Ms. *Aut procul inde caua spettantes* cet. Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 642.

Haud procul inde, citae cet.

et *Georg.* lib. iI. u. 391.

Complentur uallesque cauae cet.

V. 234. *sic fata trahebant.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 709.

. . . . quo fata trahunt.

V. 237-8. *. . . . de summis reduces contorsit habenas*
Montibus: hunc sequitur densis exercitus armis.

Virg. *Aen.* lib. XI. u. 765. desinit: *detorquet habenas.* et lib. XII. u. 471. *. . . . . flectit habenas.*
Item lib. iI. u. 626.

Ac ueluti summis antiquam in montibus ornum.

lib. X. u. 766.

Aut summis referens annosam montibus ornum.

lib. XI. u. 836-7. *. . . . . . . in montibus Opis*
Alta sedet summis.

Item lib. iI. u. 383. *. . . . densis et circumfundimur armis.*
et. u. 409. *. . . . . . . et densis incurrimus armis.*

V. 239. *Inuia rupta.* Sil. lib. IiiI. u. 306.

. . . . . . dumosa per inuia.

V. 241. *Et summo de monte.* Ms. *Et summo de more.* Virg. *Aen.* lib. III. u. 655. . . . . . *summo cum monte.* V. et supra ad u. 237-8.

V. 242-3. . . . . *raptantur signa retrorsum* (deleatur hîc comma in textu) *Versa fuga.* Virg. *Georg.* lib. IIII. u. 85.

Aut hos uersa fuga uictor dare terga subegit.

V. 244. *Liber equus, laxisque leuis transiret habenis.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 67.

. . . . . . *et laxas sciret dare iussus habenas.*

et lib. XI. u. 493. *Tandem liber equus* cet.

V. 245. *perque ardua montis.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 513-4. . . . . *Ipse ardua montis*
Per deserta.

V. 247. *Fata premunt.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 375.
Numina nulla premunt.

V. 249-50. . . . . . . *seseque suis per pectora telis*
Transfodiunt. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 543.
Confixique suis telis, et pectora duro
Transfossi ligno, ueniunt.

V. 251. *pondus ciuile repellit.* Rursus occurrit. lib. IIII. u. 195. . . . . . . *pondus ciuile perurguet.* Vtrobique *pondus ciuile* est, ut puto, multitudo ciuium; nam Nonius Marcellus *De Proprietate Sermonum* Cap. VI. n. 102. inter *Auctores Linguae Latinae* Col. Allobr. 1622. p. 746. ait: *Pondus pro numero.* Varro *De Vita Populi Rom.* lib. IIII. *E Graecia Asiaticas in uillas comportasse magnum pondus omnium artificum.* Liuius autem lib. III. cap. 28. *ciuilem clamorem* dixit *clamorem ciuium suorum;* et passim usurpatur *bellum ciuile*, idest *ciuium.*

V. 252. *Sic pariter turbata ruunt de montibus altis.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 673.

Praecipites pariterque ruunt.

et lib. IIII. u. 164. . . . . *ruunt de montibus.*
Item *Georg.* lib. IIII. u. 112. et *Aen.* lib. X. u. 707. similiter desinunt: *de montibus altis.*

V. 253. *uectator.* Vox addenda Lexicis Latinis. In Cod. est *uettator.*

V. 254. *rapidi iactatus turbine cursus.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 446. . . . . *iactati undis et turbine.*
et lib. VII. u. 676. . . . . *cursu rapido.*

V. 255. *Concidit, et dominum uasto sub pondere frangit.* Ms. *Confluit* (quod fortasse retineri potest) . . . . *frangis.* V. supra ad u. 143. Virg. *Aen.* lib. V. u. 447-8.

. . . . *pondere uasto*
Concidit.

V. 256. *Ceu glaucam ueniens grando destringit oliuam.* Ms. *Ceu glauca ueniens grando destringit uliuam.* et in margine: *comparatio.* De epitheto *glaucam* iuncto cum *oliuam* uide ad lib. I. u. 534. Colum. lib. XII. cap. XXXXVII. *oliuam manu destringere.*

V. 257. *Arboris excutiens concusso uertice fructus.* Ms. *Arbores* etc. Virg. *Aen.* lib. II. u. 629.

. . . . . . *concusso uertice nutat.*

V. 258. *Tunc pariter praeceps* etc. Ms. *Tunc praeceps pariter* cet. Fortasse non adhuc sanus est etiam sensus huius uersus.

V. 261. *Inuida, quae tantam properabant perdere gentem.* Ms. *Inuidia que* etc. Virg. *Aen.* lib. VII. u. 304.

Mars perdere gentem etc.

V. 262-3. . . . . *regemque trementem*
Annorum fessum numero. Ms. *Armorum* habet pro *Annorum.* Meam correctionem tuetur Virg. *Aen.* lib. II. u. 596-7. . . . . *fessum aetate parentem*
Liqueris Anchisen?

Imo Hildericus, uel, ut eum noster poëta uocat, Hildimer rex *annorum numero fessus* uere dici hic potuit ab eo, quia natus erat ex Eudoxia filia Valentiniani III. Aug. post annum CCCCLVI., quo ea tradita fuit Hunerico nuptui a Genserico, ut testatur Cl. Morcellus *Afr. Christ.* T. III. p. 168. n. III., et ante annum CCCCLXXII., quo, uirum ceu Arianum auersa, aufugit, et Hierosolymae decessit. Vide Theophanis *Chronographiam* ad annum CCCCLXIV. ed. Paris. 1655. p. 102., et Cl. Morcell. l. c. p. 185. Hinc anno DXXX. fortasse septuagenarius iam erat Hildericus.

V. 264. *Deiicit.* Ms. *Deiecit.* Quater Virgilius usus est illa uoce, totidemque uicibus in capite uersus. Procopius *De Bello Vand.* lib. I. cap. IX. p. 199. et seq. sic deditionem Hildimeri, quam innuit hisce uersibus poëta, narrat: *Quidam erat e Gizerici stirpe Gelimer, Gelaridis filius, Genzonis nepos, pronepos Gizerici, iam grandis natu, uno praecedente aetate Ilderico; ideoque ad regnum, ut existimabatur, propediem peruenturus* (Gizericus enim testamento mandauerat suis, *ut regnum Vandalicum ei semper obueniret, qui per uirilem stirpem recta serie propinquitatis Gizericum ipsum attingens, cognatos suos aetate praecurreret.* Procop. ib. cap. VII. p. 196.) *Is quidem* (nempe Gelimer) *aetatis suae bellicosissimus habebatur; et idem uafro in primis ac maligno uir ingenio, mouere noua, et in alienas opes inuolare callebat. Cum autem nimium differri sibi regnum uideret, se intra legem ac praescriptum tenere non poterat: uerum sibi munia regis arrogans honorem ante diem usurpabat, et Ilderico facili indulgentique utens, impotentia animi efferebatur. Tandem Vandalorum fortissimis quibusque in suas partes pertractis, suasit, ut*

regnum Vandalicum sibi traderent, deiecto a gubernaculis Ilderico, tum ob ignauiam et illatam a Mauris cladem, tum quod Iustino Aug. Vandalorum opes eo proderet animo, ne ipso ex alio gentis regiae ramo editus regnum obtineret, eo spectare calumnians missam Byzantium legationem. His illi inducti, rem exequuntur. Ita dominatum occupat Gelimer, et Ildericum VII. annos regno potitum, cum Hoamere eiusque fratre Euagee in custodiam tradit.

V. 265. *Tunc doluit princeps dirupto foedere regni.* Ms. *direpti federe regni.* Infra u. 308. rursus legitur: *dirupto foedere.* Procopius l. c. p. 200. sic pergit rem hanc narrare: *Iustinianus iam Imperator, Legato in Africam ad Gelimerem cum hisce literis misit: « Contra » ius et reuerentiam, quam Gizerici testamento debes, » in eo peccas, quod senem, eumque propinquum tuum, » ac, si quid Gizerici decreta ualent, Vandalorum Re- » gem habes in uinculis, et per uim regno spolias, cum » prope adsit, ut legitime id assequaris. Absiste iniuria, » nec iusto Regis nomini praeopta tyranni appellatio- » nem tantulo praeuiam interuallo: sed uiro huic pro- » pediem morituro per te liceat regiae dignitatis speciem » titulo tenus sustinere: tu partes Regis imple, et ex- » specta dum temporis beneficio, et Gizerici lege, quod » unum tibi deest, rei nomen accipias. Quae si feceris, » Deum propitium, nosque amicos habebis. » Haec quidem significabat epistola: Gelimer uero Legatos remisit, frustratus eorum operam. Imo uero Hoamerem luminibus orbauit: Ildericum atque Euageem arctiori custodia sepsit, peccati insimulatos, quod Byzantium aufugere meditarentur. His quoque auditis, Iustinianus legationem alteram misit, et literas in hanc sententiam scriptas: « Priorem*

32

» *ad te epistolam scripsimus, id persuasum habentes, te* » *nunquam consilio nostro aduersaturum. Nunc, quando* » *libet ita regnum tenere, ut tenes; cape sis quidquid* » *inde fortuna tibi dederit. Ad nos tantum Ildericum et* » *Hoamerem caecum cum fratre mitte, solatio leuandos,* » *quod admittere possunt, qui uel regnum, uel oculos* » *amisere. Ac nisi sponte petitioni concesseris, rem ar-* » *bitrio tuo non permittemus. Mouet enim nos fiducia,* » *quae illis in nostra amicitia fuit. Nec nobis obstabit* » *pax cum Gizerico composita: nam eius legitimo suc-* » *cessori non inferemus bellum; sed illatam iniuriam ul-* » *ciscemur.* » Post responsionem Gelimeris, quam ibidem affert Procopius, haec idem subiicit: *Iratus iam satis Gelimeri Iustinianus Aug. cum has literas accepisset, ad ultionis cupiditatem exarsit acrius, censuitque, ut consilia acute inueniebat, et impigre exequebatur, bellum sine mora cum Persis dirimendum esse, et in Africam transferendum.*

V. 268. *dirum senserunt omnia bellum.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 217. . . . . *dirum execrantur bellum.*

V. 269. *Namque inter geminas pressa est tunc Africa pestes.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 845.

Dicuntur geminae pestes.

Quae hic raptim tangit poëta, fuse descripta leguntur a Procopio libris binis *De Bello Vandalico.*

V. 276. *Vt perit in dubiis puppes, heu,* cet. Ms. *puppis. Puppes* autem pro *puppis* in singulari tuentur Vossius *De Analogis* lib. I. p. 751. apud Ricciol. *Prosod. Reform.* To. II., et Probus apud Lancellot. *Nou. Meth.* In margine e regione huius uersus legitur: *Comparatio.*

V. 277-8. . . . . *solito miseratus ademit*
More. Ms. *Morte.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 357.
. . . . . . *solito matrum de more.*

V. 280. *Sidonios patres.* Ms. *Sidomos* uel *Sitomos.* Nota, quod auctor Periocharum perperam putauit mentionem hic fieri a poëta de patre Iohannis, quem infra uocatum fuisse *Euantum* constat; quamquam manifeste hi *Sidonii patres* sint patres Carthaginiensis senatus.

V. 283. *uestris erecta triumphis.* Ms. *nostris eretta triumphis.*

V. 290. *Nostra decem tellus plenos laxata per annos.* Ms. *Nostra ducem plenos* cet. *Planos* enim est mendum typographicum. Virg. *Aen.* lib. VII. u. 53.
. . . . . . *iam plenis nubilis annis.*

V. 292. *praedam.* Ms. *preda.*

V. 293. *Non mentis consensit inops tunc Africa bellum.* Vox *inops* abest a Codice, in quo sic uersus et sensus claudicabant. Eam mutuatus sum a Claudiano *De Bello Gildonico* Carm. XXVI. u. 521.
Si non mentis inops cet.
Liu. lib. VIII. cap. VI. *consensit et senatus bellum.*

V. 294. *spectabit.* Ms. *spettabit,* sed puto legendum esse *spectauit.*

V. 295. *Pinguescunt sanguine campi.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 491-2.
. . . . *sanguine nostro*
Aemathiam et latos Haemi pinguescere campos.

V. 296. *Ossibus albescunt.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 39.
. . . . . *campique ingentes ossibus albent.*

V. 297. *sparsi.* Ms. *sparsa* contra metri rationem atque sensus.

V. 299. *Marte.* Ms. *Morte.*

V. 300. *campos, et magno ornare decore?* Ms. *campos. ornasti magno decorans.*

V. 302. *Asper et ille semel bellum tentauit Iaudas.* Ms. *Aspice ille semel bellum tentauit iudas.* De binis uictoriis, quas Solomon retulit anno DXXXV. contra Mauros rebelles in Africa consulendus est Procopius *De Bello Vand.* lib. II. cap. XI. p. 262. et cap. XII. p. 264. Ex *iuda* Codicis feci *Iauda*, nam de eo hic loqui poëtam nullus dubito. Is *Iaudas Iabdas* uocatur a Maltreto in uersione *Historiae Vandalicae* Procopii, nam Graece est Γ*άβδας*, quod apud Graecos a tempore usque Iustiniani idem erat ac Γ*αύδας*. Fuit is *princeps Maurorum Aurasium montem incolentium*, ut nos docet Procopius *De Bello Vand.* lib. II. cap. XII. p. 264. D., qui, post descriptam stupendam cladem Mauris a Romanis militibus sub Solomone illatam, narrat: quod reliquiae Barbarorum *in Numidia cum suis ducibus se receperunt, et Iabdae, Maurorum Aurasium montem incolentium Principis, fidem implorarunt.* Item cap. XIII. pag. 265. subiungit: *Dum haec in prouincia Byzacena geruntur, interea Iabdas Aurasianorum Maurorum princeps, bellatoribus amplius XXX. M. stipatus, Numidiam uastat, Afrosque in seruitutem non paucos abripit.* Pergit Procopius narrare singulare certamen Iaudae cum Althia ad centurias praeposito custodiae castellorum regionis illius; quo in certamine ob superatum Iaudam Althias *magnum per totam Africam sibi nomen parauit*, ut ait idem Procopius ibidem p. 266., ubi sic prosequitur: *Salomon autem Carthagine moratus aliquantisper, montem uersus Aurasium contra Iabdam copias duxit, eum insimulans, nec falso, quod, dum Rom. exercitus Byzacenis motibus impeditus esset, ipse multa*

Numidiae loca uastasset . . . . Itaque Romanus exercitus, Salomone duce, cum Mauris omnibus sociis, castra metatus est ad fluuium Amigam, qui Aurasium praeterlabens, tractum illum rigat. Iabdas e re sua non fore sentiens, si aciem hosti opponeret in planitie, omnia in Aurasio monte comparauit, prout censuit iis maxime impeditum iri aduentum hostis etc. Capite autem XIX. pag. 282. et seqq. addit anno XIII. imperii Iustiniani uel Christi DXXXVIIII. Africae iterum praefectum fuisse Solomonem, qui, suscepta in Mauros montis Aurasii incolas expeditione, Zerbulum castellnm in eodem monte a Iabda conditum oppugnauit et cepit; et cap. XX. p. 286. subdit: Iabdam fugisse *sauciatum spiculo in femore;* nec non cap. XXV. p. 295. narrat: quod Gontharis tyrannidem affectans, Mauros in Romanos commouit, ut Carthaginem peterent, sicut reuera fecerunt Numidae et Byzaceni. Istis Antalas imperabat, illis autem Cutzina et Iabdas.

V. 305. *At sensit prorsus.* Ms. *At sentias orsus.* Sed secundas curas exspectat hic uersus.

V. 307. *Cura nefanda piis.* Ms. *Cura nefandi piis.* Hic innuit poëta seditionem militum contra Solomonem, quam fuse narrat Procopius cit. lib. II. *De Bello Vand.* cap. XIV. p. 269. et seqq., quae accidit anno Chr. DXXXVI.

V. 309. *non aequo marte, periclum.* Ms. *non equae marte periclum.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 540.

Atque ea per campos aequo dum Marte geruntur.

Procop. l. c. p. cit. 270. haec refert: *Ita demum conspiratione uulgata, complures* (rebelles) *parum tuti Carthagine sibi uisi, confestim ex urbe excesserunt: mox uici ab iis diripi, obuiique Afri omnes hostilem in modum*

haberi coepti. Narrat subinde Procopius, quod secum Solomon in Siciliam nauigauit, et Belisarium ex ea insula in Africam reduxit.

V. 310. *Stutias hinc celeri deuictus tempore cessit.* Ms. *Sed tamen hic celeri* cet. nullo sensu. Imitatus est auctor Virgilii *Aen.* lib. V. u. 445. qui desinit:

. . . . . . *celerique elapsus corpore cessit.*

A nostro Poëta *Stutias* uocatur seditionis caput, ut uidebimus pluries infra, qui *Stozas* est apud Procopium, qui lib. II. *De Bello Vand.* cap. XV. p. 272. haec profert: *Seditiosi, direpta Carthagine, in campum Bullae conueniunt, et Stozam Martini stipatorem, animosum sane uirum ac strenuum, Tyrannum sibi deligunt; ut, Caesarianis exactis ducibus, uniuersa Africa potiantur.* Rectius a nostro poëta *Stutias* uocatur, ut mihi uidetur; quia idem fortasse erat apud Vandalos ac apud Germanos nunc *Stutzer,* nempe *strenuus,* uel, ut placet Wachtero in *Glossario Germanico* pag. 1642., *iuuenis superbe incedens.*

V. 311. *Hunc Membressa* cet. Vrbs ea erat Africae Proconsularis, seu Zeugitanae prouinciae, nota praecipue in historia ecclesiastica; habebat enim sedem episcopalem, et distabat a Carthagine tantum L. M. P. Vide Cellar. *Not. Orbis ant.* lib. IV. p. 162., *Vetera Romanor. Itinera* curante Wesselingio Amstel. 1735. p. 45., Car. a S. Paulo *Geogr. Sacr.* p. 89. Ed. Amstel. 1704., et Cl. Morcelli *Afr. Christ.* T. I. p. 223. Audiamus Procopium narrantem, quae hic tangit poëta, lib. et l. citt. p. 272-3. *Belisarius autem, centum e satellitio suo delectis, Salomone comite, nauim, quam unam acceperat, Carthaginem appulit prima face: quando obsessores deditionem urbis postridie faciendam cupidissime*

exspectabant: qua spe capti pernoctarunt. Vt illuxit, ac Belisarium adesse auditum est, mouere protinus, et turpiter, inordinateque se in fugam dedere. Belisarius, cum militum duo circiter millia collegisset, ac uerbis, ut Imperatori studerent, hortatus, donatiuo etiam amplissimo confirmasset, insecutus est fugientes, et assecutus ad urbem Membresam stadiis CCCL. Carthagine dissitam. Vtrique ibi metati, se ad pugnam accingunt: ac Belisarius quidem propter fluuium Bagradam, Stozas uero in loco edito ac difficili uallum ducit; neutro urbi, moenibus nudae, committere se uolente. Postero die ad pugnandum accedunt, hinc factiosi numero confisi, illinc Belisariani, hostium, tanquam mente et duce carentium, contemptu elati . . . . . . (p. 274.) *Ecce autem, dum utrinque ad pugnam proceditur, in factiosam Stozae aciem ex aduerso uentus cooritur uehemens ac permolestus. Quamobrem se ibi proelium non facturos secundum rati . . . ., inde se mouerunt oblique.* (p. 275.) *Verum Belisarius, ubi illos turbatis ordinibus ac promiscue circumagi animaduertit, proelium confestim iniri iubet. Illi inopinato impetu perculsi, pro uirili quisque parte, incompositissime fugere; donec ingressi Numidiam, se ibi denuo collegerunt . . . . . His confectis, rediit Carthaginem Belisarius . . . . . Itaque compositis, quoquomodo potuit, rebus Africae, et Carthagine Ildigeris ac Theodori fidei credita, in Siciliam renauigauit.*

V. 312. *Hunc.* Ms. *Nunc.*

V. 315. *agmina.* Ms. *agmine.*

V. 317. *Germano.* Fuit hic Germanus filius fratris Iustiniani Imp., et ille, cuius filia Iustina nupsit Iohanni nostro. V. supra ad lib. I. u. 202-3. Missus autem fuit in Africam a Iustiniano anno DXXXVII.,

ut Solomoni succederet, et Praetorii Praefectura fungeretur. De eo Procopius agit integris capitibus XVI. et XVII. citati lib. II. *De Bello Vand.*; Cap. uero XVI. p. 276. haec ait: *De his* (quae in Africa contigerant) *certior factus imperator, Germanum, fratris sui filium, e patriciorum ordine cum exiguo comitatu misit.* Iohannem etiam nostrum interfuisse tunc una cum Germano in proelio contra Stutiam constat ex sequenti cap. XVII. p. 278., ubi narrat Procopius Stutiam exercitum reduxisse e Carthaginiensi tractu in Numidiam, et subdit: *Eodem paulo post Germanus cum omnibus copiis se contulit, praeter caetera, quibus optime instructus erat, ingentem plaustrorum uim secum agens. Hostem assecutus ad Scalas ueteres, ut Romani uocant; aciem ita disposuit. Obiectis hosti carrorum frontibus, peditatum omnem, cui Domnicus praeerat, ad illud munimentum locauit, ut a tergo tuti rem gererent animosius. A laeua peditatus stetit ipse cum lectissimis equitum, et qui Byzantio cum eo uenerant: caeteros in cornu dextero, non in unum coactos, sed in tria diuisos agmina, statuit: quorum primum Ildiger, alterum Theodorus Cappadox, postremum, quod maius erat, Iohannes Pappi frater ducebat* . . . . (p. 279.) *Stozas* . . . . *cum suorum flore Iohannem, eosque, qui cum ipso erant, adortus est. Illi impressione fracti terga promiscue uertere: factiosi instare fugacibus, uexillis eorum omnibus statim potiti. Quidam etiam in peditatum inuecti, iam eius ordines rumpebant; cum Germanus stricto gladio omnes cornu sui turmas compellens, obiectum sibi rebellium agmen labore multo disiecit, ac subinde in Stozam incurrit* etc. *Sic demum* (p. 280.) *Stozas a Romanis plane derelictus, cum Vandalis aliquot concessit in Mauritaniam: ubi, ducta in*

matrimonium cuiusdam principis filiam, habitauit. Seditionis hic fuit exitus.

V. 318. *Te cultor Vatari.* Ms. *Te cellas uatari.* Fortasse *Vatarus* est idem ac amnis *Vadara,* de quo uide lib. II. u. 68. Imo uidetur esse illud flumen, quod Procopius, hic paulo supra ad u. 311. citatus, uocat *Bagrada,* Graece Βαγράδας, nempe *Vagradas.* In *Tab. Peuting.* autem est *Vatari* locus Africae. V. eand *Tab.* iuxta edit. Aesinam 1809. Segm. III. litt. F.

V. 320. *nostrae requies pinguissima terrae.* Hae uoces *nostrae* et *terrae* in Codice rescriptae apparent, et pro postrema prius aderat *tellus;* sed etiam Iohannes L. de Bonis exscriptor Codicis, qui in sua *Romulea* lib. II. inseruit hunc et sequentes XV. uersus, a uersu nempe 222. ad 237, habet:

. . . . . . *nostre requies pinguissima terre.*

V. 323. *Libyae.* Ms. *pluuie* praemisso puncto. Ita etiam Ioh. L. de Bonis in cit. lib. II. *Romuleae* u. 225. Attamen, qui plures eiusdem libri uersus exscripsit in eodem membranaceo Codice, qui continet *Eclogas* et *Romuleam,* fecit *totum,* quam uocem reciperem, quia Virgilius et Ouidius eam iungunt cum orbe; nempe ille Ecl. I. u. 67.

Et penitus toto diuisos orbe Britannos.

et alter *Fastor.* lib. I. u. 85.

Iupiter arce sua totum cum spectet in orbem.

Sed *Libyae* legendum puto, tum quia accedit magis ad *pluuie,* tum quia *orbis* usurpatur etiam de parte terrae seu regione, ut notat Forcellinus ex Plin. lib. et cap. XII.

V. 325. *gemmiferis.* De hac uoce desiderabatur exemplum, quod ad gemmas arborum spectaret.

V. 327. *nouellas*, idest uineas uel uites, ut Virg. Ecl. iiI. u. 11.

Atque mala uites incidere falce nouellas.

nisi mauis intelligere quascunque plantas teneras, ut Psalmo CXXVII. u. 3. *Filii tui sicut nouellae oliuarum.*

V. 328. *ad aratra iuuencos.* Similiter desinit Virg. *Georg.* lib. iiI. u. 50.

V. 333. *moxque.* Ms. *uoxque.*

V. 334. *Mulcebant.* Ms. *mulcebunt.*

V. 335. *Et uariis hominum releuabant pectora curis.* Ms. *musis;* sed Io. L. de Bonis in Poëmate, cui titulus *Romulea* lib. iI. u. 237., habet eundem uersum, ubi in Cod. Triuultiano A. 273. bis melius legitur *curis.* In Cod. autem A. 275. est *musis.* Sane et apud Cic. *Catil.* I. cap. 13. est *releuare aliquem cura et metu.*

V. 337. *fatorum stamina.* Propert. lib. IiiI. Eleg. VII. u. 51. . . . . *fatorum nulli reuocabile stamen.*

V. 339. *tenens.* Ms. *tenes;* pro quo Ioh. L. de Bonis habet *rotans.* Ille hunc cum uersu antecedenti sic intulit in sua *Romulea* L. iI. u. 149-50.

Cur quis es hominum tenui pendentia filo
Fata rotans leuiter pellis quoque rumpitur orbis.

Veruntamen hic et plures sequentes uersus indigent secundis curis, uel meliori Codice, ut restituantur ad ueram lectionem. Forsan aliquis uersus deest.

V. 340. *referens.* Ms. *referes.*

V. 343. *labantem.* Ms. *labentem*, quam lectionem fortasse tueri possem; nam in Hymno S. Ambrosii qui incipit: *Aeterne rerum conditor*, correpta est prior syllaba uocis *labentes* in uersu: *Iesu labentes respice*, iuxta omnes codices cum manuscriptos tum impressos librorum, quibus utitur Mediolanensis clerus pro

recitandis quotidianis precibus, uulgo Breuiariis. In noua autem recensione eiusdem libri anni MDCCLX., in qua etiam aliquot alii uersus eiusdem Hymni immutati fuerunt, pro *labentes* impressum fuit *labantes*, fortasse quia sic legitur in Editione Operum illius S. Doctoris curante P. Nouri Parisiis 1690. In antiquioribus editionibus retentum semper fuerat uetus et fortasse uera lectio *labentes*.

V. 345. *mortis tam tristis imago.* In margine legitur haec nota: *Hic describitur mortalitas quasi sicut fuit M c III XLVIII.* Idem legitur in Periochis. Pestiferum autem illius anni morbum omnibus innotuit potissimum ex Ioh. Boccaccio. Virg. *Aen.* lib. VI. u. 695. desinit: *tristis imago*, et lib. II. u. 369. *et plurima mortis imago.*

V. 346. *Non orbis nouitate rudis, non tempore Pyrrhae.* In prima parte huius uersus innuit poëta diluuium uniuersale descriptum a Moise in Genesi capp. VI. VII. et VIII.; in altero autem illud Thessaliae, quod cecinit Ouidius *Metam.* lib. I.

V. 347. *Nam, miseros monstris conturbans, letifer annus.* Ms. *Non miseros* cet. Virg. *Aen.* lib. III. u. 139. *lues et letifer annus.*

V. 349. *Vulnera diuinis homines hausisse sagittis.* Ms. *Vluenera diuinis homines auxisse sagittis.* Feci *hausisse;* nam clare hic sermo est de *sagittis diuinis*, nempe Apollinis, quae mortem inferebant Graecis, ut legitur apud Homerum *Iliad.* lib. I. u. 43. et seqq.

V. 351. *Aspectusque feros.* Ms. *Aspettusque ferox.*

V. 352. *Mortibus; haud.* Ms. *Martibus aut.*

V. 355. *Nullis tum redditur ullum.* Ms. *nullus tunc reddit ullum.*

V. 356. *sonuit non luctus in urbe.* Ouid. *Trist.* lib. I. Eleg. III. u. 21. . . . . *luctus gemitusque sonabant.*

V. 363. *Rarus, et in multis domibus uix unus oberrans.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 122.

Apparent rari nantes in gurgite uasto.

et Lucan. *Phars.* lib. I. u. 27.

Rarus et antiquis habitator in urbibus errat.

V. 368. *praedia.* Ms. *prelia.* Ita habet etiam Ioh. L. de Bonis Ecloga. X. *de Morte* u. 47., qui cum aliis pluribus exscriptus ibidem est ex hoc Corippi loco.

V. 369. *Insaturus. Magnis cumulata est arca facellis.* Sic autem I. L. de Bonis citata Ecl. X. *de Morte* u. 48. expressit hunc uersum uno in loco: *Insaturus magnis,* et al.

Insatur et magnus cumulata est arca sacellis.

Vox *insaturus* ignota fuit uel ipsi Forcellino, ut et *facella.* Haec tamen uox deriuata a *facula* translate hic sumpta est pro *numis aureis;* et in hoc sensu non inuenitur exemplum ullum apud Ducangium in *Lexico mediae et infimae Latinitatis,* qui eandem uocem refert ex *Actis S. Tharaci et Sociorum M. M.* seculo IV. fortasse conscriptis; in quibus haec leguntur: *Et mox tres facellae apparuerunt supra ipsorum corpora.* V. eadem Acta ap. Baronium in *Annal. Eccliast.* ad ann. CCXC. n. XXXII. Tom. II. ed. Luc. pag. 261., atque ea, quae ipse Historiae ecclesiasticae parens ibidem paulo infra, et superius n. II. p. 256. affert pro tuenda sinceritate atque antiquitate *Actorum* eorundem; et apud Rosweydum in calce ad *Fastos Sanctorum* Antuerpiae 1607. p. 91. cap. X. Etsi ex Graeco eadem *Acta* conuersa fuerint, tamen uidetur satis antiqua illorum uersio a Baronio et Rosweydo allata, et forsan antiquior illa, quam ediderunt Surius, Ruinartus, et

Bollandistae. Apud Surium nempe *De probatis Sanctorum Historiis* Tom. V. Colon. Agripp. 1580. p. 778. legitur: *Stella lucidissima e caelo terram illustrans et stans super unumquodque corpus* etc. Apud Ruinartum autem in *Actis Martyrum* Veronae 1731. p. 393. n. XI., nec non apud Bueum in *Actis Sanctorum Octobris* Tom. V. p. 583. Cap. IV. n. 45. *Subito misericors Deus stellam splendidam de caelo misit, quae sedebat super singula corpora Sanctorum.* Quamuis autem *facela*, olusculum, scribatur aliquando duplici *l facella*, non puto eam uocem huc pertinere ullo modo.

V. 370. *Et tamen ardor opum numquam satiatur auaris.* Ms. *Et tamen ardor inops numquam satiatur auarus.* In citata autem Ecl. X. I. L. de Bonis u. 49. sic legitur:

Et tamen ardet inops, numquam saturatur auarus.

Feci *ardor opum*, ut ap. Ouid. *Met.* lib. VIII. u. 828.

. . . . . . *furit ardor edendi.*

V. 373. *defuncti.* Ms. *defuncta.* Sed *defuncti* est apud de Bonis cit. Ecl. X. u. 53.

V. 376. *Hinc fera* cet. Ms. *Hic fera* etc. In margine haec adiiciuntur: *Nota quod sedata mortalitate propter auaritiam insurrexerunt quaestiones in libia.*

V. 380. *flagella.* Ms. *fragello.*

V. 382. *adauxit.* Ms. *ademit.*

V. 383. *Erigit.* Ms. *Eriget.* Bis in lib. II. *De Laud. Iustini*, et quinquies in operibus Virgilii, apud quem plerumque initio uersus, reperitur *erigit*, sed nusquam apud eosdem reperi *eriget.*

V. 384. *Hic fratris mortem, concussa mente, dolebat.* Rem narrat Procopius *De Bello Vand.* lib. II. cap. XXI. p. 288., ut iam retuli ad lib. I. u. 469. V. et lib. II. u. 28. et seqq. Praeterea ipse Antalas producit causas

suae defectionis a Romano imperio in Epistola ad Iustinianum, quam recitat idem Procopius lib. cit. cap. XXII. p. 290. B. Haec sunt illius uerba: *Etenim non tantum priuare me est ausus* (Salomon) *annona, quam a Belisario mihi iamdiu decretam ipse concessisti; sed fratrem etiam meum insontem sustulit.*

V. 388. *Non minuisse.* Ms. *Diminuisse.*

V. 390. *Ne mala praedatae.* Ms. *Ne mala prelate.*

V. 393. *ad extremas Libyae sitientis harenas.* Pro aspiratione postremae uocis uide ad lib. I. u. 92. Lucan. *Phars.* lib. I. u. 368.

. . . . . . per calidas Libyae sitientis arenas.

V. 394. *Sole ubi tellurem nimio.* Ms. *Sol ubi tellurem nimio.* Ouid *Metam.* lib. V. u. 484.

Et modo sol nimius cet.

V. 401. *Vt Solomon uidit tantum consurgere bellum.* In margine etiam repetitur *Solomon,* de quo uide supra ad lib. I. u. 470. Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 637.

. . . . subitoque nouum consurgere bellum.

V. 402. *Romanas acies, cunctis de partibus actas.* Ms. *actus.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 707-8.

Ac uelut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper.

V. 403. *aduersis properans concurrere fatis.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 149.

Nunc iuuenem imparibus uideo concurrere fatis.

V. 404. *mandatur pagina.* Barthius *Aduers.* lib. XLII. cap. XIII. col. 1891. animaduertit, *apud Sidonium aliosque eius aeui et generis scriptores Paginam* (ut hoc loci) *Epistolam designare;* sed puto etiam ipsum Ciceronem usurpasse Paginam pro Epistola *Epistol. Fam.* Lib. XVI. Epist. IIII., ubi ait: *Varie sum affectus tuis litteris:*

ualde priore pagina perturbatus, paulum altera recreatus; et *Attic.* lib. VI. Epist. II. *Quoniam respondi postremae tuae paginae prima mea, nunc ad primam reuertar tuam.* Haec tamen exempla Forcellinus refert ad probandum quodcunque Scriptum dictum fuisse Paginam.

V. 408. *Cusina Mastracianis.* Ms. *Cosina mastracianis,* sed infra lib. IV. u. 510. lib. VI. u. 245. et lib. VII. u. 371. 439. 458. 465. et 475. legitur *Cusina.* A Procopio autem uocatur Κουζῖνας *Cuzinas De Bello Vand.* lib. II. cap. X. p. 257. et Κουτζίνας *Cutzinas* cap. XXV. p. 295. et cap. XXVIII. p. 305. item lib. IV. *De Bello Gothico* cap. XVII. p. 614. A Ioh. Malala in *Iustiniano* p. 84. edit. Ven. 1733. uocatur Κουτζίνης, *Cutzines.* In *Historia* autem *Miscell.* apud Murator. *Rer. Italicor. Scriptores* To. I. p. 110. uocatur *Chutinas;* et ibidem in nota 37. subiungitur: *aliter Cuatinas, al. Cutzinus.* In priori ex citatis locis Procopii is narrat anno DXXXIIII. fuisse Cusinam barbarorum Maurorum ducem rebellium in Romanos contra Solomonem; et in secundo ex citatis locis Procopii legitur: quod *Numidis Cutzinas et Iabdas imperabant, Byzacenis Antallas sub Gonthari.* De *Mastracianis* populis fortasse Numidiae, quos secum adduxit Cusinas, nihil inuenire potui apud Geographos. Plura de eodem atque de eius fide in Romanos habes ex hoc Corippi Poëmate; illius autem infelicem exitum narrat Malala loco cit. hoc modo: *Mense ianuario indictionis XI.* (anno DLXIII.) *Africae quaedam regiones a Mauritanis occupatae sunt. Cutzines enim, gentis eius exarchus, ex quo Maurorum dominium susceperat, auri quantitatem quandam a Romanorum pro tempore praefecto accipere solitus fuerat. Ceterum Iohanne cognomento Rogathino* (in Africam) *adueniente, nec pecuniam ei*

pro more soluente, quin e contra dolo illum interficiente; Cutzinae ipsius filii, paternam caedem ulturi, arma sumpserunt; Africaeque regiones quasdam inuadentes, loca nonnulla occuparunt, incolis interfectis expilatisque. Imperator itaque Iustinianus nepotem suum Marcianum expediuit.

V. 410. *Pelagius.* Ms. *Pellagius* duplici *l.* Primam in *Pelagius* producit etiam s. Prosper apud Ricciolium in *Prosodia reformata*, qui recitat hunc illius uersum:

Quid prodest uerbis commentum Pelagianum.

Sed Baptista Mantuanus, quem propterea reprehendit idem Ricciolius ibidem, corripuit in hoc uersu:

Armipotens sumptis audere Pelagius armis.

V. 411. *fessis non uiribus.* Ms. *festis non uiribus.* Val. Flacc. lib. II. u. 69-70.

. . . . . . *Cereris munere fessas*
Restituunt uires.

V. 412. *In fratres.* Prius legebatur in Codice *Infauces;* sed postmodum in pluribus litteris intermediis haec uox adeo fuit immutata, ut nescias quid legas.

V. 415. *uersis contraria fatis.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 287.

. . . . . . *et uersis lugeret Graecia fatis.*

V. 417. *nostras peruenerat oras.* Exempla ex Ouidio et Claudiano de hoc uerbo cum solo accusatiuo uide apud Forcellinum, quibus addere potes aliud Claudiani exemplum ex Carm. XV. u. 326.

Hesperiam peruenit auus.

V. 425. *Lachesis.* Ms. *latesis.*

V. 426. *palmas.* In Codice est *p̄mas,* ita ut legere quisque possit *premas;* sed fortasse in antiquiori Codice erat *p̄lmas*, idest *palmas.*

V. 428. *Guntarich.* Ms. *Cunctarit*, sed infra pluries *Guntarich.* Is *Gontharis* uocatur a Procopio, qui *De Bello Vand.* lib. II. a cap. XIX. usque ad libri eiusdem finem saepe eius meminit. Citato capite p. 282. dicitur *Gontharis e stipatorum Salomonis* (post eius reditum in Africam, qui contigit anno DXXXIX.) *numero, bellator egregius.* A Paulo Diacono *Hist. Miscell.* lib. XVII. edit. Aldinae 1521. p. 304. uocatur *Guntarith;* ubi *Vintarith* legitur in editione Muratoriana inter *Rer. Italicar. Scriptores* To. I. p. 107., ubi liber cit. est XVI. Nescio qua auctoritate nisus Cl. Morcellus *Afr. Christ.* T. III. p. 298. eum dicat *Armenum;* nam Armenicae linguae ignarum fuisse patet ex eo, quod narrat Procopius *De Bello Vand.* lib. II. cap. XXVIII. p. 303. D., ubi exponit, quomodo ab Armenis ad mensam occisus fuerit, inter alia haec referens: *Incepto conuiuio, rem aggredi destinans Artasires, manum acinacis capulo iam admouebat; sed Gregorius eum tenuit, lingua monens Armenia, nondum sat bene potum Gontharin, mentis compotem adhuc esse.* Imo nomen ipsum eum Vandalum fuisse monstrat; nam iuxta Wachteri *Glossarium Germanicum* a *Gund* (p. 644.) *uoce Francisca et Vandalica*, quae *bellum* uel *proelium* significat, *Gontharis* (p. 625.), *Guntharis* est idem ac *pugnax*, uel *bellicosus*, et *Gundericus* interpretatur *bellipotens*, qui fuit *rex Vandalorum in Hispania, apud Isidorum in Chronico.* Grotius tamen *quoties Gund offendit in nominibus propriis beneuolum aut beneuolentiam interpretatur,* ut refert idem Wachterus cit. p. 625., qui eum refellit. A poëta nostro hic *infelix* uocatur Guntarich fortasse propter infelicem exitum cuiusdam expeditionis contra Mauros a Solomone iussae, uel quia, ut uidebimus infra, anno

DXXXXV. die tricesimo sexto post occupatam ab eo tyrannidem ipse confossus gladiis Armenorum misere interiit.

V. 430. *minax non presserat hostis.* Ms. *minas non presset hostis.* Potes etiam legere pro *minax*, *minans.*

V. 431. *Non metus acer agens.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 366.

Aut metus acer erat; et lib. III. u. 682.

Praecipites metus acer agit.

V. 432. *Signa, refert clamore fugam.* Ms. *Signa refert fugamque fugam.* Correxi ex Virg. *Aen.* lib. XII. u. 252.

Conuertunt clamore fugam.

sed ex eiusdem lib. VIIII. u. 378., qui incipit:

Sed celerare fugam.

poteris fortasse supplere *celerare* pro *clamore.*

V. 435. *Haec fors.* Ms. *Nec forsan.*

V. 437. *turbat, quae.* Ms. *turque.*

V. 438. *Sequitur densis iam fortior armis.* Vide supra ad u. 238.

V. 439. *Hostis acerba furens.* Virg. *Georg.* lib. III. u. 149.

Asper, acerba sonans; et *Aen.* lib. XII. u. 398.

Stabat, acerba fremens.

Ouid. *Heroid.* Epist. VIII. u. 107. *Acerba gemens.*

et Lucr. lib. V. u. 34. *Acerba tuens.*

V. 440. *transfixo pectore telis.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 48. desinit: *transfixo pectore flammas.*

V. 441. *Immeritus Solomon. Tunc omnis uertitur ordo.*

Virg. *Aen.* lib. III. u. 1-2. . . . . . *euertere gentem*

Immeritam uisum superis.

et u. 376. . . . . *is uertitur ordo.*

Etiam in margine repetitur: *Solomon.* Eius mortem descripsit Procopius, ut retuli ad lib. I. u. 470.

V. 444. *Fleuit tunc tristis arator.* Virg. *Georg.* lib. III. u. 517. . . . . . . *it tristis arator.*

V. 446. *periere.* Ms. *perere.*

V. 448. *pariter.* Ms. *pauper.*

V. 449. *libertas.* Ms. *liberta.*

V. 450. *secura.* Ms. *secuta.*

V. 453. *carent, armenta peredit.* Ms. *caret armenta per eden.*

V. 458. *Stutias.* Etiam in margine legitur *Stutias.* De eo uide supra ad u. 310.; et iis, quae ibidem retuli ex Procopio, iunge haec alia ex Iornande *De Regnorum Successione* ap. Murator. *Rer. Italicar. Scriptor.* T. I. p. 240.: *Stozas, pene ultimus militum, et Martini clientulus Magistri militum, tyrannidem arripiens, auctorque seditiosorum effectus, Cyrillo, Marcello, Fara, aliisque diuersis iudicibus dolo peremptis, in ducem Salomonem saeuiebat, totamque Africam tyrannico ritu uastabat.*

IN LIBRVM IV.

NOTAE.

V. 1. *Dum placet*, idest *Dum uolo*. Ms. *Ductor Iacet.*

V. 5. *Miles trepidos*. Ms. *milex trepidus.*

V. 8. *Himerius*. Ms. *imerius*. Hic est ille dux, de quo nonnulla tradit Procopius *De Bello Vandalico* lib. II. cap. XXIII., quae tamen non congruunt cum iis, quae noster poëta canit. Haec sunt illius uerba p. 291. et seq. *Iterum Antalas ac Maurorum exercitus in Byzacio coire, socio Stoza cum exigua Romanorum militum ac Vandalorum manu. Filius uero Sisinnioli Iohannes, solicitis precibus Afrorum uictus, collectas copias in eos duxit, atque Himerium Thracem cum omnibus, quibus praeerat, numeris Byzacenis, ac singulorum ducibus Menephesen in Byzacio sitam petere, et uires iungere sibi iussit. Postea compertum habens ibi hostes metatos esse, Himerio per literas, quid contigisset significat, mandatque, ut secum alibi coëat; ne separate, sed una omnes illi occurrant. Forte accidit, ut diuersum ingressi iter tabellarii, deerrauerint ab Himerio; qui in hostium castra atque adeo manus delapsus est. In eo Romanorum exercitu erat Seuerianus adolescens, Asiatici filius, natione Phoenix, ortu Emesenus, turmae equestris ductor. Praeter hunc et L. eius milites, nemo manum cum hoste conseruit. Illi quidem impetum aliquandiu sustinuere: deinde uero multitudine oppressi, euasere cursu in collem proximum, ubi castellum erat non satis firmum. Quamobrem hostibus, qui illo ascenderunt, se permisere. Nec Seuerianum militumue quemquam spoliarunt uita Barbari;*

sed cum omnes coepissent uiuos, Himerio in custodiam dato, milites, se in Romanos arma laturos magno studio pollicentes, Stozae tradiderunt: Himerio mortem, nisi imperata faceret, intentarunt. Mandarunt autem, aliqua arte efficeret, ut Adrumeto, urbe maritima potirentur. Vt collibitum id sibi esse asseuerauit Himerius, Adrumetum cum eo petunt. Vrbi iam propinqui, illum modico interuallo praemittunt, nonnullis Stozae militibus stipatum, et Mauros in speciem uinctos trahentem interea, dum ipsi subsequerentur. Haec autem praeceperant, nuntiaret portae custodibus, ui uictum ac fusum hostem ab Imperatoris exercitu, moxque affuturum Iohannem cum Maurorum captiuorum turba innumerabili: tum reclusa porta, urbem cum comitatu intraret. Morem is gessit; itaque decepti Adrumetini, cum nihil esset, cur duci militum omnium, qui in Byzacio alebantur, diffiderent, reserata porta, hostes acceperunt. Qui cum Himerio ingressi erant, eductis protinus gladiis, ne portam custodes clauderent, prohibuere, omnemque Maurorum exercitum admiserunt in urbem: qua direpta, ac paruo munita praesidio, Barbari discesserunt. Romanorum, qui uiui in eorum potestatem uenerant, elapsi nonnulli se recepere Carthaginem: Seuerianus atque Himerius in illo fuere numero. Quisquis enim Mauris fuga subtrahere se uolebat, facile poterat. Multi a Stoza digredi uoluerunt. In libro autem III. *De Bello Gothico* Procopius narrat capite XXXVII. p. 554. Rhegium Calabriae Himerium propugnasse, et cap. XXXVIIII. pag. 557. Gothis se dedisse.

V. 12. *Blandior infausto mandatur epistola uersu.* Plin. *Epist.* lib. IIII. Epist. XI. *Non paginas tantum epistolae, sed etiam uersus syllabasque numerabis.*

V. 14. *Esse Iohannis.* Hic Iohannes fuit Sisinnioli filius, de quo plura narrat Procopius lib. II. *De Bello Vand.;* nempe cap. XIX. p. 282. ait: *Imperator uero Germanum cum Symmacho ac Domnico Byzantium reuocauit, resque omnes Africae iterum Salomoni commisit, anno imperii sui XIII.* (Christi DXXXVIIII.) *adiunctis copiis atque ducibus, quorum e numero fuere Rufinus ac Leontius filii Zannae, cuius pater Pharesmanas et Iohannes Sisinnioli filius.* Recole hic etiam quae retuli supra ad lib. II. u. 36. ex cap. XXII. pag. 289-90.; iisque iunge haec pauca ex cap. XXIII. p. 293. *Iohannes, quem in aliquo numero ponebant Mauri, offensus Sergio, plane cessabat.* Fere eadem habentur in *Historia Arcana* cap. V. p. 18. *Extincto Solomone, cum duces alii, tum milites pugnae discrimina detrectarunt, omniumque maxime Iohannes Sisinnioli, qui ad Areobindi usque in Africam aduentum proelio abstinuit; nempe in Sergium odio, quodque is esset imbellis et delicatus,* etc. ut in cit. nota quam consule. Alia de eodem Iohanne ex Procopio paulo supra allata fuerunt ad u. 8., et reliqua proferentur infra.

V. 16. *ceu.* Ms. *seu.*

V. 18. *Attollunt.* Ms. *At tollunt.*

V. 19. *aura.* Ms. *auri.*

V. 23. *parauit.* Ms. *putauit.*

V. 24. *igniuagos.* Martianus Capella usus est eadem uoce *De Nuptiis Philologiae* lib. VIIII. p. 304., ubi de Iride ait: *quae uias uestigia exitusque igniuagae denunciationis agnoscit.*

V. 25. *patuere.* Ms. *patueri.*

V. 28. *reuocare pedem. Nam sistere contra.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 125. . . . . *reuocatque pedem.*
Item uide ad lib. II. u. 229.

V. 30. *Via nulla salutis.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 96. desinit: *Via prima salutis.*

V. 31. *circumuolat.* Ms. *circomuolat.*

V. 32. *Mors erat ante oculos.* Iisdem uerbis incipit Lucan. *Phars.* lib. VIIII. u. 763.

V. 34. *Dedecus.* Ms. *Delctus.*

V. 36. *Occurrit.* Ms. *Occubuit.*

V. 39. *Crebro sonat ungula cornu.* Virg. *Georg.* lib. III. u. 88. . . . . *et solido grauiter sonat ungula cornu.*

V. 40. *Atque feris pauidos urget, de montibus hostes.* Hic et mox infra Codex habet *urget,* non uero, ut alibi, *urguet.* Pro *montibus* Ms. habet *moribus.* Virg. *Ecl.* V. u. 28. . . . . . . *montesque feri.*

V. 41. *Cebar.* De hoc loco, si tamen est nomen proprium loci, nullam mentionem reperi apud geographos. Ptolemaeus meminit cuiusdam oppidi *Chobat* Mauritaniae Caesariensis, et *Coba* municipium est in *Itinerario* Antonini. Vide Cellar. lib. IV. cap. VI. p. 192.

V. 43. *Cum miseri tenuere Mileu castella tribuni.* Ms. *Cum miseris tenuere miles castella tribunis.* Vrbs clara in Numidia fuit *Mileu,* ubi episcopus sedit S. Optatus, sic uocata in *Tabula Peutingeriana,* et ab Aethico. Ab aliis ea *Mileum* siue *Mileuum* aut *Mileui* etiam nuncupatur. V. Cellar. lib. IV. cap. V. p. 181.

V. 44. *Dux erat.* Ms. *Dixerat.*

V. 46. *et telis uenientes pellimus hostes.* Ms. *et tettis* cet. Virgilii *Aen.* lib. XII. u. 595. prae oculis habebat exscriptor Codicis, ubi legitur:

Regina ut tectis uenientem prospicit hostem.

V. 48. *Languantanque cohors, et densis Naufur in armis.* Ms. *Laguantaque cohors et densis naffur in armis.* De *Languantan* uide supra ad lib. I. u. 144., et pro *Naufur* confer notam ad lib. II. u. 52.

V. 49. *saeuum fingens compescere bellum.* Lucillius lib. XXX. apud Nonium Marcellum *De Proprietate Sermonum* cap. IV. u. 413. inter *Auctores Latinae Linguae* Dion. Gothofredi Coloniae Allobr. 1622. pag. 703.

Et saeuo ac duro in bello multo optimus hostis.

V. 50. *In medias acies stricto uolat igneus ense.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 224. incipit: *In medias acies.* et u. 227. *In medias dat se se acies.* Item u. 175. *Tum pius Aeneas stricto sic ense precatur.* et lib. XI. u. 746.

. . . . *uolat igneus aequore Tarchon.*

V. 55. *simul promittit et urget.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 433.

Hinc Pallas instat et urget.

Pro *urget* uide paulo supra ad u. 40.

V. 56. *Hortaturque uiros.* Sic incipit pariter Virg. *Aen.* lib. V. u. 177.

V. 57. *terrore.* Ms. *et errore.*

V. 58. *Proiiciunt.* Ms. *Proiciunt.*

V. 64. *Iustiniana polis.* Plures urbes sub Iustiniano Imp. sortitae sunt eius nomen, quas enumerat Procopius in Libris *De Aedificiis Iustiniani.* In Africa Carthago et Hadrumetus Byzacii metropolis uocabatur utraque *Iustiniana*, ut legitur ibidem lib. V. cap. V. p. 115., quia utramque post debellatos Vandalos ille Augustus muris cinxit. De posteriori hic loquitur poëta procul dubio, cuius ciues saepe Mauri appetebant armis, ut narrat idem Procopius loco mox citato. Videatur etiam Nic. Alemanus in *Notis historicis ad* illius *Historiam Arcanam* cap. XI. p. 125., ubi decem et octo recensentur urbes de Iustiniani nomine uocatas. Confer etiam uerba Procopii, quae retuli ad huius libri u. 8.

V. 66. et 73. *Marturius.* Ms. *maturius;* sed infra uu. 201. et 503. est *marturius.*

V. 76. *Proditione pia cuius profecit.* Ms. *Proditione pia cuius patefecit.* Rem narrat Procopius, qui *De Bello Vand.* lib. II. cap. XXIII. cit. p. 292. et seq. post ea, quae protuli ad u. 8. huius libri, haec subiicit: *Aliquanto post sacerdos quidam (Paulo nomen erat) Nosocomio praefectus, cum ciuitatis optimatibus quibusdam agens, Equidem ipse, inquit, Carthaginem proficiscar, spe ductus, fore ut cum copiis propediem redeam: uobis uero ut in urbem Caesarianus intromittatur exercitus curae sit. Eum illi funibus religatum e muro noctu demiserunt. Hinc ipse ad littus maris progressus, ac nauigium piscatorium nactus, ab iis, ad quos id pertinebat, multa impetrauit pecunia, ut Carthaginem ueheretur. Quo delatus, et ad Sergium introductus, rem plane enuntiauit, ualidasque copias petiit, utpote qui recipere Adrumetum pararet. Renuenti Sergio, et Carthaginiensis praesidii tenuitatem causanti institit, ut aliquot saltem sibi milites adiungerentur. Assumptis tandem non amplius octoginta, hanc artem excogitat. Collecta magna ui nauium scapharumque, nautas plurimos, aliosque Afros in eas imponit, militum Romanorum more uestitos. Tum oram soluit, et recta Adrumetum uersus cum omni classe celerrime nauigat. Vt proxime urbem uenit, quosdam submittit, qui significent primariis ciuibus, Germanum Augusti ex fratre nepotem, modo Carthaginem aduectum florentem exercitum Adrumetinis mittere. Quo nuntio erectis mandat, ut ea nocte portam unam aperiant. Exequuntur illi mandata: itaque Paulus in urbem cum comitibus acceptus, facta hostium internecione, Adrumetum Augusto recuperauit.*

V. 79. *campo congressus aperto.* Virg. *Georg.* lib. II. u. 280. . . . . . *et campo stetit agmen aperto.*
Item *Aen.* lib. X. u. 540.

Quem congressus agit campo.

lib. XI. u. 493. . . . . *campoque potitus aperto.*
et lib. XII. u. 353.

Hunc procul ut campo Turnus conspexit aperto.

et u. 450. . . . . *campoque atrum rapit agmen aperto.*

V. 83. *Ariobindi.* Ms. *Ariob indis.* Hinc auctor Periocharum, qui uidetur fuisse idem exscriptor Codicis, putauit *Ariob* quendam uenisse *ab India* usque. A Procopio, qui saepe in libris suis eius meminit, idem uocatur Ἀρεόβινδος, *Areobindus, De Bello Persico* lib. I. cap. VIII. et seq. p. 23. et seqq. et alibi. Fuit ille Olybrii gener, Proiectae, Vigilantiae Iustiniani sororis filiae, maritus, et magister militum Orientis. Eius aduentum in Africam nunciat Procopius *De Bello Vand.* lib. II. cap. XXIV. p. 294. sic: *Id temporis* (anno DXXXXIIII.) *alterum militiae magistrum cum paucis militibus in Africam misit Imperator. Is erat Areobindus, genere quidem clarissimus in ordine senatorio; sed plane armorum rudis.* Confer Alemanum in *Notis ad Hist. Arc.* cap. V. p. 13. cap. XII. p. 69. et cap. XXI. p. 97. Edit. Lugd., uel pagg. 98. 139. et 161. Edit. Paris. 1663., ubi legitur tum *Areobynthus* tum *Areobyndus*, et is asseritur utramque gessisse praefecturam, urbanam et praetorianam.

V. 84. *Gens territa cessit.* Quater usus est Virgilius uoce *territus*, semperque ut hic in quinta sede uersus.

V. 85. *Languantan.* V. ad lib. I. u. 144.

V. 88. *Inter utrumque ducem.* Nempe Sergium et Ariobindum, de quibus Procopius post ea, quae retuli

de aduentu Ariobindi in Africam ad u. 83. huius libri, haec addit: *Appulsa Carthaginem classe, in Numidiam Sergius cum suis copiis profectus est. Areobindus uero, ubi Antalam ac Stozam non procul Sica Veneria (urbs illa tridui distat Carthagine) castra metatos audiit, Iohannem Sisinnioli filium cum exercitus flore destinat, et Sergio scribit, uti suos cum Iohanne copias copulet, quo iunctis uiribus petatur hostis. At litteras remque ipsam in postremis habente Sergio, Iohanni paucorum duci necesse fuit cum infinita hostium multitudine conferre manum.*

V. eod. et seqq. . . . . *Nescit commissa potestas*
Aequales sufferre duos: consortis amicum
Saecula nulla ferunt. Eandem sententiam habet Lucan. *Pharsal.* lib. I. u. 92-3.

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

V. 92. *Crura.* Ms. *Clura.*

V. 94. *Mundus adhuc rudis.* Ms. *Mundus ad hunc rudis.* Innuit poëta inuidiam Cain aduersus Abel.

V. 95-6. . . . . *non maxima rerum*
Roma, nouos proprio quae sanxit sanguine muros.
Ms. *Romano uos proprio que sunxit* cet. Lucan lib. I. cit. u. 95.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Virg. *Aen.* lib. VII. u. 602-3. . . . *Nunc maxima rerum*
Roma colit. Cic. *Orat. post reditum ad Quirites* cap. V. *Cum omnia cum omnibus foedera sanguine meo sancirentur.* Seruius ad Virg. *Aen.* lib. XII. u. 200. scribit: *Sancire proprium esse sanctum aliquid, idest consecratum facere fuso sanguine hostiae et dictum sanctum quasi sanguine consecratum.*

V. 100. *Quisque suos tenuere duces.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 743.

Quisque suos patimur manes.

V. eod. *dumque ille superbus.* Superbiam Sergii praedicat Procopius pluribus in locis supra relatis ad u. 14. et 88.

V. 101. *iste.* Ms. *ille.* Ariobindus, ut Sergius, erat et ipse magister militum in Africa.

V. 104. *feros, aequis non partibus, hostes.* Ms. *faros equis non partibus hostes.* Cic. *Act.* IV. in Verr. cap. XXI. *Hostis ferus et immanis.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 754.

. . . . *atque illi partibus aequis.*

V. 106. *amore.* Ms. *amare.*

V. 107. *Signa mouens, densos iuit moriturus in hostes.* Ms. *Signa mouens densos uidit* cet. Virg. *Georg.* lib. III. u. 236. incipit: *Signa mouet;* et *Aen.* lib. II. u. 511. desinit:

. . . . . *ac densos fertur moriturus in hostes.*

V. 109. *Secum ad bella trahens.* Ms. *Sotii ad bella trahens.* Claud. *De Bello Get.* Carm. XXVI. 202. incipit:

Secum cuncta trahens.

V. 110. *contempsit.* Ms. *contenxit.*

V. 111. *hostis.* Ms. *hostes.*

V. 114. *Et sociis.* Ms. *Et socios.*

V. 117. *mortis honestae.* Ex Lucan. *Phars.* lib. X. u. 540.

V. 119. *Hostis adest, socii.* Ms. *Hostis adest sotii.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 38.

Hostis adest, eia.

V. 120. *Martis opus?* Ms. *Mortis opus?* Vide ad lib. I. u. 451.

V. 122. *Nunc uirtutis opus.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 469.

Hoc uirtutis opus.

V. 124. *Romani, pro laude pii; gentesque superbas.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 527.

Iustitiaque dedit gentes frenare superbas.

et lib. XII. u. 49. . . . . *pro laude pacisci.*

V. 126. *Fac nos uelle fugam.* Ms. *Fac nos nolle fugam.* Alii fortasse corrigent: *Hanc nos uelle fugam?*

V. 128. *dedecus.* Ms. *dedicus.*

V. 133. *Vulnere letali.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 580.

Spiramenta animae letali uulnere rupit.

V. 137. *Ecce acies Massyla ruit.* Ms. *Ecce acies massilla ruit.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 132.

Massylique ruunt equites.

V. 138. *longo stetit ordine. De Laud. Iust.* lib. II. u. 280.

Tunc ordine longo.

et lib. IV. u. 67. . . . . *staret in ordine longo.*

Virg. septies habet: *ordine longo.*

V. 139. *uolucres pugnam mouere sagittae.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 415. . . . . *uolucres haesere sagittae.*

V. 140. *pennato figuntur corpora ferro.* Plin. *Hist. Nat.* lib. XXXIIII. cap. XIIII. agit *de ferro pennato,* idest pennis munito, ut aërem facilius penetret, quemadmodum in telis et sagittis uidemus. *Vt ocius,* subdit ille, *mors perueniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennasque ferro dedimus.*

V. 149. *et latos frangit manditque per agros.* Virg. *Georg.* lib. IIII. u. 522.

Discerptum latos iuuenem sparsere per agros.

V. 150. *Massylas.* Ms. *Massilas.*

V. 152. *Hunc imitata cohors ingens fugitiua perurguet.* Ms. *Hunc imita cohors. gelidus fugittiua perurguet.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 710.

Vna ingens Amiterna cohors.

et lib. XI. u. 500. de Camilla ait:

. . . . . . *quam tota cohors imitata.*

De orthographia uerbi *perurguet* uide quae adnotaui ad *urguebat* u. 184. lib. II.

V. 153. *uolat igneus aequore toto;* ut Virg. *Aen.* lib. XI. u. 746. iam cit.

. . . . . . *uolat igneus aequore Tarchon.*

V. 155-6. . . . . *ceu uictor ouans. Iam sanguine multo*
Arma calent. . . . . Virg. *Aen.* lib. V. u. 331.
Hic iuuenis, iam uictor ouans.

Lucan *Phars.* lib. VII. u. 443.

. . . . *calet omne nocens a Caesare ferrum.*

Claud. *De Raptu Proserp.* lib II. Carm. XXXV. u. 202.
Sanguine fraena calent.

V. 158. *Triste nefas!* Virg. *Aen.* lib. II. u. 184.

. . . . . . *nefas quae triste piaret.*

V. 161. *e.* Ms. *et.*

V. 162-3. . . . . *crimenque Latini*
Nominis. Lucan. *Pharsal.* lib. V. u. 59.
Fortunae, Ptolemaee, pudor, crimenque deorum.

V. 165. *pariter concurrere telis.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 489. . . . . . *paribus concurrere telis.*

V. 166. *Et bellum ciuile datum est.* Ms. *Et bellum ciuile latum est* contra leges uersus. Cic. *Philipp.* XI. cap. 8. *Sertorianum bellum a Senatu priuato datum est.*

V. 169. *contra stetit acrior arcu.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 938. *Stetit acer in armis.*

V. 172. *sua.* Hanc uocem adieci ad complementum uersus.

V. 173. *Perque femur duri transiuit arundo tyranni.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 499.

Perque uterum sonitu, perque ilia uenit arundo.

Fere idem de morte Stutiae legitur apud Procopium *De Bello Vand.* lib. II. cap. XXIV. p. 294. et seq. *Cum autem inter illum* (Iohannem Sisinnioli filium) *ac Stozam capitale odium inueterasset, alter alterum manu sua conficere, et peracta caede emori peroptabat. Tum igitur, proxime antequam proelium iniretur* (Iuxta Corippum autem hoc erat iam coeptum, ut patet ex uersibus superioribus) *ex acie uterque sua admissis equis concurrit. Adhuc Stozas accedebat, cum Iohannes, intento arcu, dexterum illius inguen transfixit. Stozas letali accepto uulnere concidit, haud exanimis quidem, sed post ictum huiusmodi non diu uitam producturus. Statim omnes accurrere, tum Stoziani, tum Mauri; et postquam deficientem animo uiribusque ad arborem deposuere, in aduersarios animose inuecti, Iohannem ac Romanos omnes nullo negotio in fugam uerterunt; quippe cum illos longe numero superarent. Iohannem in eo rerum articulo dixisse ferunt, iam sibi mortem iucundam fore, quando concepti in Stozam uoti compos euasisset. Ibi locus quidam decliuis erat: ubi Iohannes lapso in caput equo excussus, cum in eum saltu se se tollere conaretur, ab hostibus comprehensus et caesus est; uita clarissime et magna cum laude fortitudinis acta. Stozas necis huius accepto nuncio, efflauit animam, id unum effatus se iam suauissime emori.* Victor Tunonensis in *Chronico* pluries edito, et postremo in *Bibliotheca Patrum studio Andr. Gallandi* To. XII. pag. 230. sic ait: *Post consulatum Basilii V. C. anno V. Stuza tyrannus apud Africam, portu Taceae congressione facta, Iohannis Romanae militiae ducis iaculo percussus est: parique uice Iohannes Stuzae: qui confestim alterutro utrique gladio ceciderunt: et dominico die, quo pugna facta est,*

moriuntur. Marcellinus Comes autem in *Chronico* p. 73. edit. Lut. Paris. 1619. haec habet: *Ind. VIII. Post consulatum Basilii anno IV. In Africa Iohannes inruens super tyrannum Stotzam, interimit eum, et ipse ab eius occiditur armigero.* Hoc Cl. Morcellus *Afr. Christ.* T. III. pag. 298. refert ad annum Christi DXXXXIIII., ad cuius exitum spectat indictio VIII. quam iungit cum anno IV. P. C. Basilii Marcellinus; attamen hic uidetur ad sequentem annum reducere DXXXXV., cum quo concordat Victor; hic enim V. annum notat post consulatum initum Basilii, et ille IV. annum post consulatum exactum; ut obseruat Phil. a Turre in sua *Dissert. Apolog.* edita Patauii MDCCXIII. p. 112. et. seq. Iornandes *De Regnorum Successione* apud Murator. *Rer. Ital. Scriptor.* To. I. p. 142. *In Africa,* ait, *a Mauris dudum perempto Salomone Stozas et Iohannes inuicem singulari certamine corruunt.* Tot testes arcessiui, quia poëta noster mortem Iohannis non describit; etsi illum cecidisse in hoc conflictu cum Stutia, uel potius paulo post, ut scripsit Procopius, coniicere facile quisque potest ex iis, quae sequuntur, et maxime ex u. 382., ubi Antallas dicit: *Primi post fata Iohannis.* Confer u. 168-9. ubi hic pariter uocatur: *Iohannes Primus;* unde puto Iohannem, quem Sisinnioli filium uocat Procopius, nuncupatum fuisse etiam *Primum,* ut alter *Iohannes* cognominatur *Felix* lib. V. u. 520. huius poëmatis.

V. 177. *letali uulnere.* V. supra ad u. 133.

V. 178-9. . . . . *Hunc morte cadentem*
Suscipiunt. Virg. *Aen.* lib. XI. u. 805-6.
. . . . *dominamque ruentem*
Suscipiunt.

V. 181. *et immensus duris dolor ossibus arsit.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 66. . . . *et duris dolor ossibus ardet.*

V. 186. *Quo ruitis?* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 313. incipit pariter: *Quo ruitis?*

V. 191. *Alueus amnis erat mediis.* Ms. *medius.* Hic amnis fortasse erat Tusca, qui diuidit Numidiam a Prouincia Proconsulari.

V. 195-6. . . . . *miseros pondus ciuile perurguet,*
Hostilisque metus! Vide ad lib. iiI. u. 251. *alios pondus ciuile repellit.* Etiam Iustinus lib. XII. in fine opponit *ciuilem hostili*, ubi ait: *Victus erat non uirtute ciuili, sed fraude hostili.*

V. 197-8. . . . . *propriis modo pectora contis*
Transfodiunt. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 543-4.
Confixique suis telis et pectora duro
Transfossi ligno, ueniunt.

V. 199. *immani pondere frangit.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 401. desinit: . . . . *geminos immani pondere cestus.*

V. 200. *Sic periit miseranda manus.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 259. *Vel Priamo miseranda manus.*
Hic uidetur innuere poëta etiam mortem Iohannis Primi, ut narrat Procopius loco paulo ante citato. Fortasse etiam aliquis uersus omissus fuit ab exscriptore Codicis, in quo ea exprimebatur. Haec suspicio uim acquirit ex sphalmate sequentis uersus.

V. 201. *Dux simul e mediis postquam Marturius illis.* Hic uersus sic truncus legitur in Codice: *Dux simul marturius illis.* Cum autem in margine paulo infra exstent haec uerba: *postquam medio*, suspicatus sum ea spectare ad eundem uersum, quem, ut potui, restitui.

V. 202. *Vix potuit tentare fugam moriturus in hostes.* Ms. *muriturus* pro *moriturus* habet. Virg. *Aen.* lib. iI. u. 511. et lib. VIIII u. 400. et 559. desinunt: *moriturus in hostes*; et lib. XII. u. 484. . . . *fugam cursu tentauit.*

36

V. 203-4 . . . . *Fortuna salutem*

Praestitit audenti, duraque e morte leuauit. V. supra ad lib. I. u. 561-2. et infra ad lib. V. u. 711. Virg. it. *Aen.* lib. X. u. 791.

Hic mortis durae cet.

V. 205. *anima fugiente, dolebat.* Virg. *Georg.* lib. IiiI. u. 526. . . . . . . *anima fugiente uocabat.*

V. 206. *bellasse ferum, suspiria ducit.* Ms. *bellaxe* etc. sed *bellasse* est apud Ioh. L. De Bonis lib. I. Poëmatis *pro Galeatio Vicecomite Duce Mediolani* u. 824. iuxta Cod. A. 275. et u. 895. iuxta Cod. A. 274. Ouid. *Met.* lib. X. u. 402. . . . . *suspiria duxit ab intimo pectore.*

V. 207. *Cum gemitu.* Ms. *Cum gemitum*, et *Congemitu* legitur apud De Bonis l. mox cit. u. 896. Virg. *Georg.* lib. iiI. u. 223. incipit pariter: *Cum gemitu.* Sic et *Aen.* lib. iiI. u. 577. et lib. IiiI. u. 687.

V. 208. *fueras tam dira uoluptas?* In nuper cit. Cod. poëmatis De Bonis u. 896.

. . . . . . *fuerat tam dira uoluntas?*

V. 209. *Cum rerum ingratus domino.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 286. *Romanos rerum dominos.*

V. 210. *Modo poenitet ista.* Plaut. *Stich.* Act. I. Sc. I. u. 50.

Et me quidem haec conditio nunc non poenitet.

V. 211. *trahis. Reddam, improba, poenas.* De Bonis l. cit. u. 900. habet *trahit* cet. Sallust. *Iugurt.* cap. XVII. *Vt ille impietatis in parentem nostrum graues poenas reddat.* Virg. *Aen.* lib. IiiI. u. 386.

. . . . . . *dabis, improbe, poenas.*

V. 212-4. *Quas merui. Furiis socius Catilina cruentis*
Exagitatus adest. Video iam tartara fundo;
Flammarumque globos, et dira incendia uolui.

Ms. *Quas merui. furiis sotias catelina furentis.*
Exagitatus adest uideo iam tartara fundo
Flamarumque globos et dura incendia uolui.

Ioh. L. De Bonis l. c. u. 831-2. iuxta Cod. A. 275.
Que merui patior uideo iam tartara mestus
Flammarumque globos et dira incendia uolui.

Sed in Cod. A. 274. legitur:
Quas merui, furens sotius catellina furentis.

et cet. ut in Cod. Corippi. Virg. *Aen.* lib. iiI. u. 331.
. . . . *et scelerum Furiis agitatus Orestes.*

Georg. lib. I. u. 472-3.
Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam,
Flammarumque globos.

Item *Aen.* lib. VIIII. u. 77. . . . . *saeua incendia.*

V. 215. *cum durae crimine mortis.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 430. desinit . . . . *crimine mortis.*
et lib. X. u. 791. incipit:
Hic mortis durae cet.

V. 218. *et infelicem animam mors impia clausit.* Tacit. *Annal.* lib. VI. cap. penult. *Interclusa anima* (Tiberius) *creditus est mortalitatem expleuisse.*

V. 219-20. *Occidit ut Stutias: quamquam ducis esset acerbus*
Morte dolor populo, nempe morte Iohannis Primi. De utriusque interitu lege, quae retuli paulo supra ad u. 173.

V. 222. *Guntarich.* Ms. *Gyuntarich.* Vide supra ad lib. iiI. u. 428.

V. 223. *adulter.* Sic uocatur Guntarich, quia cupiebat sociare sibi Proiectam neptem imperatoris Iustiniani, et uxorem Ariobindi, quem contra fidem datam et iuramento firmatam occiderat. V. Procop. *De B. V.* lib. iI. c. XXV. et seq. p. 295. et seqq.

V. 225. *Ductorem incautum*, nempe Ariobindum, de quo uide Procop. l. cit. cap. XXVI. pag. 297. et seqq.

V. 226. *Obpressumque dolo rapuit.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 397-8.

Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit.

V. 227. *haud.* Ms. *aut.*

V. 231. *Nam breuiata dies.* Ms. *Alij breuiata dies.* Iob cap. XVII. u. 1. *dies mei breuiabuntur.* Matth. cap. XXIIII. u. 22. *nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Mar. cap. XIII. u. 20. *Et nisi breuiasset Dominus dies, non fuisset salua omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breuiauit dies.* Corippus innuit hic breuitatem regni Guntarich, de quo ait Procopius *De Bello Vand.* lib. II. cap. XXVIII. p. 305., et Victor in *Chronico* ad an. DXXXXVI. perdurasse tantum XXXVI. dies.

V. 332. *Athanasius Afros.* Ms. *athanasius hafros.* Procopius Athanasii consilium, quod memorat hic poëta, non innuit. Huius uiri tamen pluries mentionem facit, scilicet *De Bello Goth.* lib. I. cap. VI. p. 323., ubi eum dicit *fratrem Alexandri senatoris et legatum* Iustiniani ad Theodatum Italiae Regem, et lib. II. cap. XXII. p. 441. in quo narrat dimissum fuisse a Vittigi et ornatum praefectura praetorii Italiae, et cap. XXIX. p. 460. Lib. autem III. cap. XXXII. p. 540. uocat eum Leontii socerum. Deinde fuit, ut legitur *De Bello Vand.* lib. II. cap. XXIV. p. 294., ad praefecturam Africae translatus, ubi Guntarich tyranno adulatus est; ab eoque uita donatus, cum ipso epulatus est in extrema illius coena, ut uidebimus infra.

V. 235. *clamare.* An *damnare?*

V. 240. *Guntarich.* Ms. *Guntarith.* De uarietate huius nominis uide ad lib. iiI. u. 428. et lib. hunc IiI. u. 222. et infra u. 369.

V. 242. *Et male consessas.* Ms. *Et male confessas.* Marcellinus Comes p. 75. in *Chronico* ad ann. Christi DXXXXVII. haec scripsit: *Ind. X. P. C. Basilii VI. Eodem anno de Africa neptis Imperatoris reuertitur uidua, occiso Areobinda a Gunthario tyranno, qui cum Stotza iuniore tractans eum occiderat. Sed Artabanes utrosque comprehensos Guntharium occidit, Iohannem idem Stotzam iuniorem uinctum transmisit ad principem.* Victor Tunonensis in *Chronico* haec refert: *Post C. Basilii V. C. anno VI.* (Chr. DXLVI.) *Guntarith magister militum Ariobindum patricium, principemque Romanae apud Africam militiae, eo tempore ab Imperatore missum, Carthagine intra palatium nocte perimit, et regnum cum tyrannide assumit. Hunc Carthaginis dux Artabanus, trigesimo sexto regni sui die prandentem interfecit.* Iornandes *De Regnorum Successione* int. *Rer. Italicar. Scriptores* T. I. p. 282. *Alius Iohannes, qui Stozas iunior dicebatur, suscepta tyrannide, Guntharim magistrum militum secum esse suadet. Qui interficiens Ariobindam, iugalem eius neptem Imperatoris sibi cupiens sociare, praeuenitur ab Artabane, qui eo in conuiuio trucidato, neptem Imperatoris ereptam ad urbem principi dirigit cum honore, simulque ferreis uinculis colligatum ei tyrannum destinauit Iohannem, qui Stoza perempto, in eadem successerat tyrannide, quem in urbem discussum, manibusque truncatis, ad exemplum caeterorum in patibulo fixit.* Sed praestat totam tragoediam apud Procopium legere, qui fuse eam exponit lib. iI. *De Bello Vand.* Aliqua huc tantum proferam

ex cap. XXVIII. p. 302. et seqq. *Cum caetera quoque Gontharis ex sententia composuisset, pridie quam in expeditionem exiret, statuit epulis familiares accipere. Eas autem in conclaui, quod ex longo tempore conuiualibus toris tribus instructum erat, celebrauit. In primo ipse, ut par erat discubuit, unaque Athanasius, Artabanes, amici quidem Gontharidis, ac demum Petrus natione Thrax, qui Salomonis stipator fuerat. Duo reliqui Vandalorum proceribus fortissimisque assignati sunt. Iohannem Stozianorum ducem Pasiphilus conuiuam apud se habuit: caeteri, ubicunque Gontharidis familiaribus placuit, mensis consederunt. Simul ac ad eas epulas inuitatus est Artabanes, id tempus tyrannicidio peropportunum esse ducens, ad exequendum consilium mentem appulit . . . .* (p. 304.) *Longius processerat compotatio, cum madidus uino Gontharis protectoribus ambitiosa quadam benignitate dapes impertiit. Quas illi cum accepissent pararunt edere, egressi conclaui, praeterquam tres, qui soli apud Gontharin remansere: in his erat Vlitheus . . . . Artasirem tyranno iam proximum famulus quidam repellit, illoque paululum retrogresso, strictum ferrum deprehendens, Ecquid istud, exclamat, praeclare uir? Gontharis auri dexterae manum praetendens, illum ore conuerso respicit. Eodem temporis puncto ipsum gladio ferit Artasires, et sincipitis partem cum digitis decutit . . . . . Vt exilientem Artabanes Gontharin uidit, machaeram ancipitem et oblongam, quam gerebat haerentem femori, eduxit, atque in sinistrum latus tyranni, prope quem accubuerat, capulo tenus adactam reliquit in uulnere. Nihilo is minus tentauit e toro corpus corripere: uerum lethali accepta plaga ibidem concidit . . . .* (p. 305.) *Iohannes* (dictus Stoza iunior) *cum Vandalis*

aliquot profugit in templum: quos, inde fide publica eductos, Byzantium misit Artabanes, et restitutam ditioni Caesareae Carthaginem custodiuit. Patratum est tyrannicidium die trigesimo sexto post occupatam tyrannidem, anno imperii Iustiniani XIX., Christi uero DXXXXV.

V. 254. *Nec latet.* Ms. *Nec lates.*

V. 255. *tardumque iubar.* Auctor *De Laud. Iustini* lib. II. u. 94. de sole cecinit:

Ardentes radios mittit iubar.

Hîc autem lunam apte uocat *tardum iubar.*

V. 258. *lampadis.* Ms. *lampedes.*

V. 259. *Surgebatque dies.* Virg. *Aen.* lib. III. u. 588.

Postera namque dies primo surgebat eoo.

V. 262. *hortatur.* Ms. *ortatur.*

V. 263. *Arma parare iubent, iussum spectare.* Ms. *Arma parere iubent iussa spectare.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 18.

Arma parate.

V. 264. *Signa ferunt ornantque uiri, gaudentque tuentes.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 575. desinit pariter:

. . . . *gaudentque tuentes.* . . . ; lib. VI. u. 198.
Obseruans quae signa ferant. . . ; lib. VII. u. 628.
Signaque ferre iuuat. . . . ; et lib. VIII. u. 498.
Signaque ferre iubent.

V. 268. *geminas tendens cum lumine palmas.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 97.

. . . . *et duplices tendens ad sidera palmas.*

V. 269. *Ore canens haec uerba refert.* Pro *canens* bis scripsit *ciens* I. L. de Bonis in Cod. A. 274. Sed lectioni Codicis Corippi fauet Virg. *Aen.* lib. III. u. 373.

Atque haec deinde canit diuino ex ore sacerdos.

V. 272. *Tu, conditor orbis.* Ab ipso Corippo *De Laudibus Iust.* lib. IV. u. 300. uocatur Christus:

Factorque et conditor orbis.

V. 273. *tu conteris arma.* Ps. XXXXV. u. 10. *Arcum conteret, et confringet arma.*

V. 274. *tu, nostris solitus succurrere rebus.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 335. . . . . *rebus succurrite fessis.*

V. 275. *duris a gentibus.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 730.

. . . . *gens dura.*

V. 278. *Cum populo iam ferre potest; nam noctibus omnes.* Ms. *Populo* etc., cui praemisi *Cum*, quia uersus erat mancus. Vide an pro *noctibus* Codicis legendum sit *nexibus.* Poëta noster *De Laud.* lib. IV. u. 62.

. . . . *et ferri nexibus arctant.* Virg. *Ecl.* VI. u. 23.

Quo uincula nectitis?

et *Ecl.* VIII. u. 78. . . . . . . *uincula necto.*

V. 279. *palmis post terga reuincti.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 57.

Ecce, manus iuuenem interea post terga reuinctum.

Hinc pro *palmis*, ut habet Codex Corippi et I. L. de Bonis p. 209. et 218. Cod. A. 274. in Poëmate *pro I. G. Vicecomite* u. 364., fortasse erit legendum *palmas.*

V. 280. *Aspice, sancte Pater.* Ms. *Aspice tanta pater.*

V. 281. *Sub nostris pedibus Maurorum sterne cateruas.* Ps. XXXXVI. u. 4. *Subiecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris.* Pro *sterne* Codex Corippi habet *externa;* sed in Cod. A. 274. I. L. de Bonis citt. pagg. 209. et 218. u. 368. rectius est:

Sub nostris pedibus Gallorum sterne cateruas.

Imo legitur apud Virg. *Aen.* lib. VII. u. 426.

Tyrrhenas, i, sterne acies.

V. 283. *solite.* Perpende sensum huius aduerbii non prorsus eundem ac illum, quem adnotauit Forcellinus apud Plautum.

V. 284. *fac gaudia luctus.* Ier. cap. XXXI. u. 13. *conuertam luctum eorum in gaudium.*

V. 285. *siccas infundit arenas.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 389.

Et sola in sicca secum spatiatur arena.

V. 286. *Quippe dolor pietasque mouent, mentesque benignas.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 422. incipit pariter:

Quippe dolor . . . .; et lib. I. u. 308. desinit:

. . . . *mentemque benignam.*

V. 288. *consummans omnia uerbis.* Codex Corippi, et etiam I. L. de Bonis in cit. Ms. A. 274. p. 209. et 219. scripsit *consumans* unico *m*, ita ut parum differat scriptura a *confirmans.* Quare suspicor hanc fuisse lectionem Codicis antiquioris, ex quo descriptus fuit Triuultianus. Nam apud Virg. legitur *Aen.* lib. XII. u. 212.

. . . . . . *firmabant foedera dictis.*

V. 290. *heros.* Ms. *eros;* sed *heros* habet Cod. 274. p. 209.

V. 292. *Ipse capit tumulum; quo* cet. Virg. *Aen.* lib. VI. u. 754.

Et tumulum capit (Anchises), *unde* cet.

et lib. XII. u. 562.

. . . . *tumulumque capit* (Aeneas), *quo* etc.

V. 293. *Consilio cunctos releuaret more ministros.* Corippus in *Paneg. Anastasii* u. 29.

Iudiciis releuare piis.

et Virg. *Aen.* lib. VII. u. 246-7. . . . . *cum iura uocatis*

More daret (Priamus) *populis.*

V. 294. *Conueniunt lectique duces, fortesque tribuni.* Ms. *Conueniunt letinque* uel *letimque* cet. Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 119-20. . . . . *et dicite lectos*

Dardaniae uenisse duces.

Poteram etiam legere *laetique*, ut Virg. *Aen.* lib. II. u. 260-1. . . . . *laetique cauo sub robore promunt*

Tisandrus Sthenelusque duces.

Sed hoc epitheton, quod quammaxime congruit huic Virgilii loco, non bene aptatur, ut puto, loco Corippi, ubi forsan alii legent *utrinque;* quod tamen non mihi uidetur conuenire, ubi agitur de ducibus tantum, qui suberant Iohanni. *De Laud. Iustini* lib. iiI. u. 356. desinit similiter: . . . . . *fortesque tribuni.*

V. 295. *condenso ex agmine, miles.* Desideratur in Codice praepositio *ex,* quam suppleui ex Virg. *Aen.* lib. V. u. 378-9.

. . . . nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire uirum.

Scio Ruizium dixisse, aliquando a Corippo uitari elisionem uocalium, ut lib. IV. *De Laud.* u. 28., ubi ipse edidit: *More apum;* sed eum redarguit Dempsterus, et *More apium* contendit esse ibidem ueram lectionem. Ter apud Virg. legitur *Agmine denso,* nempe *Aen.* lib. iI. u. 450. lib. VIIII. u. 788. et lib. XII. u. 442., et Lucr. lib. I. u. 586. *Agmine condenso.*

V. 296. *stipante caterua.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 501. et lib. IiiI. u. 136. desinunt pariter: *stipante caterua.*

V. 297-8. *Non aliter quam examen apes per mutua nexis*
Efficiunt pedibus, regem dum saepe secuntur. etc.

In margine e regione prioris uersus legitur *Comparatio.* Pro *Efficiunt* in Codice est *Effigiunt,* ut et *secuntur,* quod postremum retinui, etsi Critici id improbent, ut ait Forcellinus uerbo *Sequor.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 66-7. de apibus pariter ait:

. . . . . et, pedibus per mutua nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit.

V. 301. *primusque.* In Ms. deest copula *que.*

V. 302. *densis exercitus alis.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 382. desinit iisdem uerbis.

V. 304. *de montibus altis.* Sic Virg. *Georg.* lib. IIII. u. 112. et *Aen.* lib. X. u. 707. desinunt.

V. 305. *Ecce uolat.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 324. incipit similiter.

V. 306. *Et celso medium fulgentem colle* cet. Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 604.

. . . . . . celsoque omnis de colle uideri.

V. 307. *Alipedis celeris.* Ms. *Alipedes celeres.*

V. 308-9. *. . . . . uolucres per gramina cursus*
Corripuit; densum et dirumpens concitus agmen.

Virg. *Aen.* lib. VII. u. 808-9.

. . . . per summa uolaret
Gramina . . . . . .; et lib. V. u. 833-4.
. . . . densum Palinurus agebat
Agmen.

V. 310-2. *Flexit equo, pedibusque boni tunc more magistri*
Oscula pressa dedit feruens: Iamque omnis in illum
Turba coit, causas cupiens cognoscere rerum.

An *Flexit equum?* ut apud Caesarem *De Bello Gallico* lib. IIII. cap. XXXIII. *equos sustinere, et breui moderari ac flectere.* At hic uidetur idem esse ac *equo descendit,* uel *ab equo desiluit*, ut apud Virg. *Aen.* lib. XI. u. 499-501.

. . . . . . portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit: quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis.

Imo suspicor pro *Flexit* esse legendum *Fluxit.* De uoce *more* uide supra ad u. 293. Ouid. *Her.* Epist. II. u. 94.

Oscula per longas iungere pressa moras.

et *De Laud. Iustini* noster lib. I. u. 158. supra cit. ad lib. I. u. 119-20. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 801.

Sed manus e castris propere coit omnis in unum.

et lib. X. u. 410.

Non aliter socium uirtus coit omnis in unum.

Georg. lib. iI. u. 490.

Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas.

V. 314. *ne pacem oret.* Ms. *ne pacem orent.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 80.

Pacem orare manu . . . . .; lib. XI. u. 110-1.

Pacemne . . . . Oratis? et u. 414.

Oremus pacem.

V. 315. *sic coepit Amantius ore.* Adieci *sic coepit,* quia mancus est hic uersus in Codice, illudque arcessiui ex lib. iiI. *de Laud.* u. 270.

Crudus et asper Auar dictis sic coepit acerbis.

Item lib. iI. u. 10.

. . . . et supplex lacrimis ita coepit abortis.

Imo Virg. *Aen.* lib. I. u. 525.

Maximus Ilioneus placido sic pectore coepit.

V. 317. *Gentibus in mediis portans mandata, cucurri.* Ms. *Gentibus in medii* cet. Virg. *Aen.* lib. iI. u. 512.

Aedibus in mediis.

et lib. X. u. 682-3. . . . . *cateruis*

Vertitur in mediis. . . . Item lib. VIIII. u. 312.

Multa patri portanda dabat mandata.

V. 319. *Montibus in summis.* Virgilii exempla allata sunt supra ad lib. iiI. u. 237-8.

V. 320. *Aere ciens: cursu rapido.* Ms. *Nocte ciens.* etc. Recole Virg. *Aen.* lib. VI. u. 165.

Aere ciere uiros; nisi malis legere: *Voce ciens;* ut *Aen.* lib. iiI. u. 68. . . . . . . *uoce ciemus.*

Ibid. lib. VII. u. 676. inuenies etiam: *cursu rapido.*

V. 322. *Vt quondam Ditem moturum proelia Diuis* cet. In margine est *Comparatio.* Hac de re uide Claud.

Carm. XXXIII. *De Raptu Proserpinae* lib. I. u. 32. et seqq.

Dux Erebi quondam tumidas exarsit in iras
Proelia moturus superis, quod solus egeret
Connubii, sterilesque diu consumeret annos, cet.
Iam quaecunque latent ferali monstra barathro
In turmas aciemque ruunt, contraque Tonantem
Coniurant furiae: crinitaque sontibus hydris
Tisiphone, quatiens infausto lumine pinum,
Armatos ad castra uocat pallentia Manes. etc.

V. 325. *Ac Charonta senem deserta currere cymba.* Ms. *Ac carona senem deserta currere terniba.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 304. *senior* uocatur Charon, et eius *cymba* memoratur ibidem u. 303. et 413.

V. 326-7. *Tisiphonem ualidam flammis et pondere pinum*
Quassantem, Alecto tortis saeuisse chelydris. Ms. *Tesiphone . . . . aletto . . . . chelidris.* In margine legitur: *Nota nomina furiarum.* Claud. loco mox citato u. 40., qui incipit *Tisiphone* cet., ut supra.

V. 329. *densum circumstetit agmen.* Ms. *densum circomstitit agmen.* Pro *densum agmen* uide supra ad u. 309. Ex *circonstitit* autem potuissem facere etiam *circumstitit,* ut habet Cellarius in *Libro memoriali Latinitatis probatae* uerbo *Sto;* quamquam Forcellinus tantum habeat *circumsteti,* et *circumstetit* legatur in pluribus praecipuisque editionibus Virgilii *Georg.* lib. IiiI. u. 361. et *Aen.* lib. iI. u. 559. et lib. VIII. u. 300., ubi occurrit idem uerbum in penultima sede uersus.

V. 330. *Obtulit.* Ms. *Octulit.*

V. 331. *praefectus; et omnîs.* Ms. *presectus et omnis* pro *omnes.*

V. 332. *intonat ore.* Sic pariter desinit Virg. *Aen.* lib. VI. u. 607.

V. 334. *Suspiciens.* Ms. *Subspiciens.* In margine est sequens nota: *Hic refertur ambaxiata Iohannis.*

V. 337. *pacem bellone petamus?* Virg. *Aen.* lib. X. u. 378. . . . . *pelago Troiamne petemus?*

V. 338-9. *Permisere loqui, digitisque silentia linguis*
Imposuere suis. Ms. *Promisere loqui dignisque* cet. *De Laud.* lib. I. u. 123.

Ora premens digito, dextraque silentia fecit.

Virg. *Aen.* lib. XI. u. 241.

. . . . *Tunc facta silentia linguis.*

V. 340-1. . . . . . *pietas ut magna regentis*
Omnia contineat, crebro sermone cucurri.

De Laud. lib. I. u. 168-9.

. . . . *Quem non hominem pietate benigna*
Continuit . . . .; et lib. IV. u. 195-7.

. . . . *omnes pietate paterna*
Semper alens, semperque monens, rituque regendi
Continet ipse suos. Cic. *Phil.* XIV. cap. V. *crebèrrimum fuisse sermonem;* et Virg. *Aen.* lib. XII. u. 222-3.

. . . . *crebescere uidit*
Sermonem.

V. 345. *periisse.* Ms. *deperisse,* quod uersus mensura reiicit, etsi eodem uerbo usus sit Corippus *De Laud.* lib. II. u. 69. . . . . *iusto mucrone superbi*
Depereant.

V. 347. *temptantes proelia.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 912.

. . . . *et proelia tentent.*

V. 350-1. *Illi inter sese, fracto sermone, furentes*
Latratus uarios. Virg. *Georg.* lib. IIII. u. 174. et *Aen.* lib. X. u. 146. et lib. XII. u. 720. incipiunt pariter:

Illi inter sese. Pro *furentes latratus,* intellige *furiose edentes latratus;* ut Stat. *Theb.* lib. VIIII. u. 5.

Praecipuum tunc caedis opus, Gradiue, furebas.

In Lexicis Latinis hucusque non fuit adnotatum, quod *latratus* translate sumantur pro *uoces barbarorum.* De uerbo *latro* u. ad lib. iI. u. 27.

V. 353. *Monte lupi.* Ms. *Montem lupi.* In margine autem legitur : *Comparatio.*

V. 361. *Armenio, necuisse semel, quos fingit amicos.* Ms. *Armenio licuisse* etc. Hic sermo est de Artabane, qui occidit ferro Guntarich, de quo uide supra ad u. 242. Nota autem exemplum contra Diomedem et Priscianum, qui ita distinxerunt praeterita uerbi Neco, ut Necaui sit quasi ferro occidi, Necui, quasi suffocaui. Inter Opera Tertulliani *incerti Auctoris aduersus Marcionem* lib. iI. u. 178-9.

Sponsa uirum necuit, genuit sed sponsa leonem:
Virgo uiro nocuit, sed uir de uirgine uicit.

Hic agitur, ut patet, de morte illata ab Eua Adamo porrigendo eidem noxiale pomum. Petrarcha fortasse Poëma istud Corippi uidit, nam huius uersus postremam partem imitatus est Ecl. VI. u. 93. ubi legitur etiam in eodem nostro Codice : *quos fingis amicos.*

V. 362. *Arte noua.* Ms. *Arte mihi.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 477. pariter incipit : *Arte noua.*

V. 363. *Non iussus merui? Cautus.* Ms. *Non iussis* cet. *De Laud.* lib. iiI. u. 226.

Fulmineus, cautus, uigilans, uocatur Narses.

V. 365. *Fida satis!* Virg. *Aen.* lib. iI. u. 377. incipit iisdem uerbis.

V. 366. *Guarizila.* Hoc nomen fratris Antalae, iussu Solomonis morte multati, non prodit ipse Procopius, qui libro iI. *De Bello Vand.* cap. XXII. p. 290. etiam ipsius Antalae recitat epistolam ad Iustinianum, in qua conqueritur de morte fratris. Vide supra ad lib. I. u. 469.

V. 369. *Guntarich.* Ms. *Zuntarich.* V. supra ad lib. III. u. 428.

V. 373. *dedisset.* Ms. *dedisses.*

V. 377-8. . . . . . . *pacem qui quaerere nostram*
Non humili cum iure putat, sed callidus arte.

In margine sic legitur: *N. pro Flo.*; idest: *Nota pro Florentinis.* Fortasse hîc auctor notulae huiusmodi innuit illam pacem, quam Florentini obtinuerunt a Pisanis quodam artificio, cuius meminit Ioh. Villanus lib. IX. cap. LXXXV., et Muratorius post eum in Annalibus Italiae ad annum MCCCXVII.

V. 382. *Primi post fata Iohannis;* nempe Iohannis Sisinnioli filii, ut eum uocat Procopius, quique *Primus* uocatur etiam supra u. 169. huius libri. Eius mortem innuit Poëta tum hic tum uersibus 219-20., eamque Procopius descripsit loco supra cit. ad u. 173.

V. 384. *Terreat ergo lupum, pascens in uallibus, agnus.* Ms. *agnum.* In margine est: *Comparatio.*

V. 385. *Et leo iam metuat surgentem in cornua ceruum.* Ms. *geruum.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 723-5. . . . *leo* . . .
. . . . *si forte* . . . .
Conspexit . . . . . *surgentem in cornua ceruum.*

V. 386. *Viuidus ore canis leporem, damamque pauescat.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 753. . . . . *uiuidus Vmber;* scilicet *canis,* ut explicat Erythraeus in *Indice in Virgilium,* et Ruaeus in Nota ad hunc locum; item *Georg.* lib. III. u. 410.

Et canibus leporem, canibus uenabere damas.

V. 387. *Et ferus accipiter mitem sub nube columbam.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 721-2.

Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam.

V. 388-9. *Armiger ipse iouis, liquida tremefactus in aethra,*
Effugiat raucamue gruem, cygnumue canentem.
Ms. in u. priori habet *liquidam . . . . . in etram*, et in posteriori *cignum* in textu, et in margine *al. cycnum* ab altera manu. Virg. *Ecl.* VIIII. u. 29.

Cantantes . . . . cycni.

Aen. lib. V. u. 255. . . . . *Iouis armiger . . . .*
lib. VII. u. 65. . . . . *liquidum trans aethera uectae.*
lib. VIIII. u. 563-4. . . . . *cycnum*
Sustulit, alta petens, pedibus Iouis armiger uncis.
et lib. XII. u. 247-50.
Namque uolans rubra fuluus Iouis ales in aethra . . . .
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.

V. 391. *Romanis totiens iterum concurrere uictis.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 489-90.
Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum uidere Philippi.

V. 392. *et proelia temptent.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 912. iisdem desinit uerbis.

V. 393. *Vix ea legatus: media inter uerba cucurrit* etc. Imitatus est hoc loci auctor Virg. *Aen.* lib. XI. u. 296-9.
Vix ea legati: uariusque per ora cucurrit
Ausonidum turbata fremor: ceu, saxa morantur
Cum rapidos amnes, clauso fit gurgite murmur,
Vicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis.
Item *Aen.* lib. XII. u. 318.
. . . . . . media inter talia uerba.

V. 395. *Turbine ceu.* In margine est: *Comparatio.*

V. 397. *sonos, et litora lapsu.* Ms. *sonis* (prius tamen habebat *sonum*), *et litora laxu.*

V. 398. *Cuncta fremunt, crebroque resultant aspera fluctu.* Ms. *Cuncta femunt crebroque resulta aspera fluctu.* Virg.

Aen. lib. XI. u. 299. paulo supra recitato:

Vicinaeque fremunt ripae cet.

et lib. V. u. 150. . . . . . *pulsati colles clamore resultant.*

et lib. VIII. u. 305. . . . . . *collesque resultant.*

V. 399. *Imperat erecta mutaque silentia dextra.* Ms. *Imperat erepta* cet. *De Laud.* lib. II. u. 177.

Erectaque manu cet., et lib. I. u. 123.

. . . . *dextraque silentia fecit.*

Iudic. cap. III. u. 19. *Et ille imperauit silentium.* Item *Act. Apostolor.* cap. XIII. u. 16. *manu silentium indicens.* et cap. XVIIII. u. 33. *manu silentio postulato.*

V. 400. *Conticuere citi, intentique magistrum.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 1.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

V. 405. *mouens in proelia mentes.* Ms. *mouet* cet., quod fortasse mutandum non erat propter caesuram. Virg. *Aen.* lib. VII. u. 603.

. . . . *cum prima mouent in proelia Martem.*

V. 406. *Talibus incendit dictis, et firmat in hostes.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 197.

Incenditque animum dictis . . .; lib. V. u. 719.

Talibus incensus dictis . . . .; lib. XII. u. 238.

Talibus incensa est iuuenum sententia dictis.

et u. 426. . . . . *primusque animos accendit in hostes.*

V. 407. *Romanis* cet. In margine est: *Oratio.*

V. 408. *Resque simul totum regnauit publica mundum.* Ms. *Resque semper* etc. Quibus displicet *regnauit* cum accusatiuo, uti actiuum uerbum, legant: *toto regnauit publica mundo;* ut Sen. *Herc. fur.* u. 68.

. . . . *uacuo uolet regnare mundo.*

et Ouid. *Metam.* lib. XIIII. u. 223.

Aeolon ille refert Tusco regnare profundo.

V. 409. *domat.* Ms. *domant.*

V. 413. *Et uirtute potens.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 827.

. . . . . . *potens Itala uirtute propago.*

V. 418. *Tunc Romana manus.* Ms. *Tunc roma manus.*

V. 419. *gentesque.* Ms. *gentes* absque copula, unde uersus claudicabat.

V. 421. *Perfida, sed se laeta ferens, meliorque reuisit.* Ms. *Perfidus sed leta ferens meliorque reuissit.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 507. . . . . *talem se laeta ferebat.*

et lib. III. u. 318. . . . . *aut quae digna satis fortuna reuisit.*

V. 422. *fatorum numine.* Ms. *fatorum numere,* quod uidetur exstare ex *munere;* sed pro *numine* est Virg. *Ecl.* IIII. u. 47.

Concordes stabili fatorum numine Parcae.

V. 427. *festae pocula mensae.* Ms. *faste pocula mense.* Valer. Flacc. lib. III. u. 159. . . . . *festae mensae.*

V. 429. *Quid Stutiam referam profugum* cet. Hic loquitur poëta de Stutiae fuga, tunc cum Germanus eius fudit exercitum, ut Procopius refert *De Bello Vand.* lib. II. cap. XVII. p. 279. et seq.

V. 434-5. . . . . . *digna sed morte peremtus*
Occubuit.

Ms. . . . . . . *digna sed marte perhentus*
Incubuit. De morte Stutiae uide supra u. 173. et seqq., et notam ad illum uersum.

V. 437-8. . . . . *secundo*
Marte . . . . . . Virg. *Aen.* lib. X. u. 21-2.
. . . . *tumidusque secundo*
Marte ruat.

V. 439. *Ergo agite, et, belli* cet. Virg. *Aen.* lib. III. u. 114.

Ergo agite, et diuum etc.

V. 440. *Pandite quisque suas in aperta pericula uires.* Ms. *uiros.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 360. desinit :

. . . . . . *in aperta pericula ciues.*

V. 444. *Cernite.* Ms. *Cenite.*

V. 445. *Coniuncti.* Ms. *Coniunctos.*

V. 451. *Nunc nunc insurgite, ciues.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 189. . . . . *Nunc nunc insurgite remis.*

V. 452. *uictoria partes.* Ms. *uirtoria partas.*

V. 454. *locis.* Ms. *loci.*

V. 457. *Dixerat, et saltu* cet. In margine legitur : *Nota, quod hic describitur apparatus proelii.* Iohannes autem *saltu sese composuit super terga equi,* quia adhuc stapedae inuentae non erant.

V. 458-9. . . . . *Sonuere uerendi*
Arma uiri. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 731-2.
. . . . *et arma*
Horrendum sonuere.

V. 460. *Sole repercusso.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 23.
Sole repercussum.

V. 461. *per castra cucurrit.* Ms. *cocurrit.* Sed *cucurrit* est. ap. Ioh. L. de Bonis in Poëmate *pro Galeatio Vicecomite Duce Mediolani* lib. I. u. 470. iuxta Cod. A. 275. et u. 513. iuxta Cod. A. 274., ubi plures ex hisce Corippi uersibus inueniuntur. Virg. *Aen.* lib. II. u. 120. et lib. XII. u. 447. . . . . *per ima cucurrit.*
lib. VI. u. 54. . . . . . . *per dura cucurrit.*
lib. VIII. u. 390. . . . . . . *per ossa cucurrit.*
lib. XI. u. 296. ac lib. XII. u. 66. . . . . *per ora cucurrit;*
nec non alibi.

V. 462. *conuexo margine caeli.* Stat. *Theb.* lib. III. u. 407.
Soluent Hesperii deuexo margine ponti.
In margine Codicis est : *Comparatio.*

V. 463. *medium dum tangit olympum.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 216. . . . . *medium pulsabat olympum.*

V. 466. *Post imitata cohors ualidis incumbit in hastis.* Ms. *astis.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 500.

. . . . . . *quam tota cohors imitata.*

V. 468. *Colla retentat equi. Sonipes celer aequore toto* cet. In margine est sequens nota, cuius tamen pars recisa fuit cum ipso margine: *(Nota pul)crum modum descrictionis* (sic) *(eq)uorum.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 599-600. . . . . *fremit aequore toto*

Insultans sonipes cet.

V. 469. *dextra laeuaque per herbas.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 656. . . . . . *dextra laeuaque per herbam.*

V. 471. *laetatur.* Ms. *luctatur.*

V. 472. *Direxere acies.* Sic plane incipit Virg. *Aen.* lib. VII. u. 523.

V. 473. *Gentius.* Ms. *Gennus* uel *Gemius.* Sed reposui *Gentius*, ut legitur supra lib. iiI. u. 41. et infra hoc libro IiiI. u. 1083. *Magister* uocatur Gentius, ut hic uersu sequenti, etiam citato lib. iiI. u. 42.

V. 474. *Ipse magister.* Etiam in margine repetitur *Magister.*

V. eod. *rutilato.* In mox cit. Poëmate I. L. de Bonis u. 481. est *rutilanti* iuxta Cod. A. 273. tantum.

V. 475. *Fertur equo; cristisque decens, auroque coruscus.* Ms. *Fertur equo; tristisque* cet., et in cit. Poëmate Ioh. L. de Bonis peius adhuc iuxta Cod. A. 273.: *Fertur equo tetusque* etc. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 163.

Purperei cristis iuuenes, auroque corusci.

et u. 365. . . . *galeam Messapi habilem cristisque decoram.* et lib. XI. u. 730. incipit:

Fertur equo.

V. 478. *iuxta iuuenum Putzintulus.* Ms. *iusta iuuenum putrunculus*, et in margine *patrunclus.* Hoc nomen mire uariat in Codice; nam infra u. 1085. legitur *putzurlus*, lib. V. u. 521. *butzunculus*, et lib. VII. u. 370. *putzintele*, nec non u. 474. *putzintulus*, et tandem ibidem u. 479. *putezinteulus.*

V. 480. *supercristata.* Vox addenda Lexicis Latinis.

V. 481. *hasta.* Ms. *asta.*

V. 487. *Gregorius hasta.* Ms. *asta.* In margine repetitur *Gregorius.*

V. 488. *Atque leui clipeo, telo fulgebat Ibero.* Ms. *Iberis.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 626.

Pars leues clipeos cet.; et u. 689.

At leuem clipeum.

Liu. lib. VII. cap. X. *Hispano gladio cingi.*

V. 489. *Geisirich hunc iuxta.* Ms. *Geisirith hunc iusta*, et in margine: *Gersirith.* V. supra ad lib. II. u. 188.

V. 490. *Ante tubam.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 424.

Cur ante tubam etc.

V. 491. *fulgentibus armis.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 749. lib. VI. u. 217. et 861. lib. X. u. 550. lib. XI. u. 188. et lib. XII. u. 275. desinunt iisdem uerbis.

V. 493. *squamas maculis distinguit in auro.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 707.

Nec duplici squama lorica fidelis et auro.

V. 495. *Inde apicem cristasque iuba componit equina.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 869.

Aere caput fulgens, cristaque hirsutus equina.

et lib. XII. u. 492-3. . . . *apicem tamen incita summum*

Hasta tulit summasque excussit uertice cristas.

V. 496. *Cingula gemmiferis stringit fulgentia bullis.* V. supra ad lib. II. u. 131.

V. 497. *Vagina gladius latus exornarat eburna.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 305.

. . . . . . *uagina aptarat eburna.*

V. 498. *Tunc suris ocreas, multo quas uinxerat auro.* Dubia est scriptura Codicis, ubi tam *uinxerat*, quam *iunxerat* legi potest. Pro *uinxerat* tamen aliquo modo facit Virg. *Aen.* lib. I. u. 341.

Purpureoque alte suras uincire cothurno.

et *Ecl.* VII. u. 32.

Puniceo stabis suras euincta cothurno.

Item *Aen.* lib. VIII. u. 624.

Tum leues ocreas electro auroque recocto.

V. 499. *Parthica pellis, habet, rubroque includit in ostro.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 488. . . . . *surasque incluserat auro.* et lib. XII. u. 430. . . . . *suras incluserat auro.* Claud. *De Raptu Proserpinae* lib. II. uel Carm. XXXV. u. 94.

Parthica quae tantis uariantur cingula gemmis.

Cingula autem praesertim militaria fiunt ex corio.

V. 503. *Marturius.* Idem nomen repetitum fuit in margine.

V. 505. *Martianusque potens densos perfertur in hostes.* Nomen *Martianus* adnotatum fuit etiam in margine. Virg. *Aen.* lib. II. u. 511.

. . . . . *ac densos fertur moriturus in hostes.*

V. 506. *Barcaei.* Ms. *barcei.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 42-3.

Hinc deserta siti regio, lateque furentes

Barcaei. . . . Sunt ii populi Africae a *Barce* oppido denominati, ut ait Seruius in eundem uersum Virgilii; quod a recentioribus *Barca* uocatur, olim metropolis regni eiusdem nominis. A Silio *iuuenis Barcaeus* uocatur Annibal; sed forsan potius a familia

Barcha quam a patria. Hoc autem loci apud Corippum *Barcaeus* est adiectiuum a Barce deriuatum.

V. 507. *Senator.* Hoc nomen repetitur in margine. Est autem proprium nomen uiri, non officii aut dignitatis; fuit enim etiam Mediolanensis episcopus S. Senator ab anno CCCCLXXII. ad LXXV., de quo uide Oltrocchi *Ecclesiae Mediolanensis Historiam Ligusticam* pag. 92. et seq. item 132. et seqq. Eiusdem nominis, Senatoris nempe, occurrit alter Sanctus in *Martyrologio Romano* sub die XXVI. Septembris, ubi Baronius in Nota ait: *Fuit autem Senator, ita dictus intimus homo S. Germani Episcopi Antisiodorensis, de quo Constantius in uita illius lib. II. cap. VI. Fuit et alius eiusdem nominis Romanus* (debuerat dicere *Mediolanensis*) *presbyter, qui functus est legatione cum S. Abundio ac sociis Constantinopolim missis a S. Leone Papa, ut apparet ex ipsius epistola XXXIII.; itemque Cassiodorus dictus est cognomento Senator.*

V. 508. *Fertur equo.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 678.

. . . . . et equo uenator Iapyge fertur.

V. 509. *stipante caterua.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 501. et lib. IiiI. u. 136 desinunt iisdem uerbis.

V. 510. *Cusina Massylis.* Ms. *Cusina massilis.*

V. 513. *aequiperans.* Ms. *equiperans.* De eodem uerbo Mich. Ruizius Assagrius ad lib. iI. *De Laudibus Iustini* u. 80. haec testatus est: *Sed et aequiparare, quod admodum Corippo frequens est, semper in exemplari nostro manuscripto aequiperare legitur.* Rittershusius autem ad u. 74. eiusdem libri iI. ait: *Sic semper in manuscripto Ruizii legebatur aequiperare, quod equidem credo uerissimum, cum et ipse in aliis Mss. auctoribus ita constanter legerim, et in uet. gloss. sit aequiperas ἐξισοῖς.*

Cur hanc ueterum orthographiam mutauit? Barthius, etsi nihil dicat de hac orthographia, ad cit. u. 80., attamen scribit ibidem *Aequiperat*, et *Aequiperata* p. 320. apud Fogginium.

V. 516. *Iohannes.* Et in margine repetitum fuit hoc nomen. Is autem est fortasse qui *Iohannes Felix* uocatur lib. V. u. 520.

V. 517. *Iam senior, grandisque annis; cui cruda senectus.* In margine haec leguntnr: *Nota descriptionem Iohannis senis propriam.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 304. de Charonte ait:

. . . . . . *cruda deo uiridisque senectus.*

V. 518. *quam maximus hostis.* Ms. *qua maximus hostes.*

V. 520-1. *Discolor hunc portat maculis uariatus in albis*
Parte niger sonipes, gemmis auroque superbus.

Virg. *Aen.* lib. I. u. 659. et 732. ponit in eodem uersus sede: *gemmis auroque;* item lib. V. u. 565-6.

. . . . *quem Thracius albis*
Portat equus bicolor maculis;

et lib. VIIII. u. 49-50.

. . . . *maculis quem Thracius albis*
Portat equus.

V. 524. *Itque reditque uolans.* Ms. *Idque redit uolans;* prout lib. VII. u. 12. Virg. *Aen.* lib. VI. u. 122.

Itque reditque uiam cet.

V. 525. *Fronimuth erectis iuxta mouet.* Ms. *Frominicth erettis iusta muuet;* et in margine *Frominich.* Mihi uidetur rectius hoc nomen Vandalicum scriptum fuisse lib. V. u. 518. *Fronimuth.* Etenim *Fron* est idem ac *sacer, sanctus*, in *Glossario* Schilteri in Tomo III. eiusdem *Thesauri Antiquitatum Teutonicarum* p. 331.; uel etiam *pulcher, uenustus, dominicus, illustris, magnificus, praestans, eximius*, in *Glossario Germanico* Wachteri

col. 495. et seq., apud quem col. 1107. *Mut* est *mens*, *anima*, *spiritus*, et *animus*.

V. 526. *et campis socians coniungit apertis.* Ms. *et campis sotians* etc. Habes hic alterum exemplum participii *socians*, quod addere poteris *Lexico* Forcelliniano. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 25.

. . . . . . *campis exercitus ibat apertis.*

V. 531. *Circueunt.* Ms. *Circoeunt.*

V. 532. *Marcentius urguet.* Et in margine legitur *Marcentius.* Hic est fortasse ille, cuius meminit Procopius *De Bello Vandalico* lib. II. cap. XXVII. p. 300. et 302. utpote Byzaceni *praesidii ducem*, et *De Bello Gothico* lib. II. cap. V. pag. 398. *numeris equestribus* praefectum.

V. 533. *Iussaque.* Ms. *Iuxaque.*

V. 534. *cassis premit aurea crines.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 148.

Fronde premit crinem.

V. 535. *Ingens.* Ms. *Erigens.*

V. 536. *Suspendens.* Ms. *Subspendens.*

V. 538. *pharetramque arcumque sonantem.* Ms. *pharetraque* etc. Virg. *Aen.* lib. V. u. 521. desinit pariter:

. . . . *arcumque sonantem.*

V. 541. *Hinc Liberatus erat longa praestantior hasta.* Ms. *asta*, et in margine est nomen *liberatus.*

V. 542. *Hinc Vlitan.* Sic in textu, et in margine *Vtilitan*, quod non capit mensura uersus. Fortasse *Vlitan* est idem nomen Gothicum, ex quo fecit Procopius Οὐλίθεος (*Vlitheus*). Ille enim meminit *Vlithei* patrui Vitigis lib. II. *De Bello Gothico* cap. X. p. 410., et alterius *Vlithei* Gontharidi tyranno fidissimi lib. II. *De Bello Vandalico* cap. XXV. pag. 296., qui illius iussu

Areobindum occidit, cap. XXVI. p. 299., et cum ipso Gontharide occisus fuit, cap. XXVIII. p. 304.

V. 545. *Ifisdaias.* In textu est *ifisclaias*, et in margine *Ifiscaias.* V. infra u. 1104.

V. 546. *Bitipten.* In margine est *Bitimpten.*

V. 547. *uiuida uirtus.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 754. et lib. XI. u. 386. desinunt iisdem uerbis.

V. 550. *praesumptior.* Nota comparatiuum, de quo nullum adhuc exstat exemplum in Lexicis Latinis.

V. 551. *Nec genitore minor.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 129.

Nec Clitio genitore minor.

V. 552. *Persarum teneras, neruo pellente, sagittas.* Cur *teneras* uocet auctor *sagittas Persarum*, prorsus ignoro: unde suspicor adesse mendum, et pro *teneras* corrigendum esse *celeres.* Virg. *Georg.* lib. IiiI. u. 313.

. . . . . . *ut neruo pulsante sagitta.*

et *Aen.* lib. XII. u. 856.

Non secus ac neruo per nubem impulsa sagitta.

V. 553. *Tarasis.* Sic in textu; in margine autem est *Taraxis*, quod metro repugnat. Ibidem est etiam haec nota: *Descriptis equestribus describuntur pedestres et arma eorum.*

V. 556. *Vectus equo.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 651. incipit iisdem uerbis.

V. 561. *Et summae galeae cristis conisque micantes.* Virg. *Aen.* lib. iiI. u. 468.

Et conum insignis galeae cristasque comantes.

V. 562-3. . . . . *horrescit ferreus hastis*
Campus, resplendetque nouis cet.

Ms. . . . . *orrescit ferreus astis*
Campus resplendet. et nouis cet. Virg. *Aen.* lib. XI. u. 601-2. . . . . *tum late ferreus hastis*
Horret ager.

V. 564. *Sic.* In margine: *Comparatio.*

V. 565. *Iohannes.* Sic etiam est in margine.

V. 567. *quis.* Ms. *quid.*

V. 568. *suis.* Ms. *sui.*

V. 569. *Populi ueluti* etc. In margine est *Comparatio,* quae uidetur petita a spectaculo illo adhuc in Hispania uigenti, de pugna cum tauris, quae uulgo uenatio taurorum *(la caccia del toro)* uocatur. Imo Muratorius in *Antiquitatibus Medii Aeui* Dissert. XXIX. T. II. col. 853. et seq., testatur: *saeculo etiam XIV. in ciuitate Romana Ludus Taurorum, siue nobilium iuuenum cum Tauris indomitis certamen in Amphitheatro Titi celebrari consueuisse;* et subdit: *prudentiores certe fuisse* Romanorum *illorum posteros, imo et reliquos populos, qui periculosum adeo certamen, ab unis uilibus gladiatoribus olim usurpatum, totum dimisere agilitati dexteritatique Hispanicae gentis, quam nulla hactenus suorum funera ab huiusmodi spectaculo auertere potuerunt.*

V. 574. *Quaque iubent oculi, configunt.* Ms. *Quoque iubent oculi confingunt.*

V. 577. *Organa* etc. In margine est *Comparatio:* quae desumpta est ab organo musico pneumatico. Claudianus *De Consulatu Mall. Theod.* Carm. XVII. u. 316-9. organum musicum descripserat, sed hydraulicum; hoc autem, de quo agit Poëta noster, est, ut patet, pneumaticum; cuius iam meminerat S. Augustinus in *Enarr. in Ps.* LVI. n. 16. Opp. T. IV. Edit. Paris. 1681. col. 538. g. et *in Ps.* CL. u. 4. n. 7. col. 1697. a. Hoc etiam organum describit Iulianus quidam in Epigrammate Graeco inserto in *Anthologia* lib. I. cap. CLXIV., quodque recitat Du Cange in *Glossario mediae et infimae Latinitatis* uerbo *Organum.* Cum autem

de Iuliani aetate non constet, praestat huc referre Cassiodori, qui ante Corippum uixit, eiusdem instrumenti musici luculentam descriptionem, quam fecit in *Exposit. in* cit. *Ps.* CL. Opp. T. II. Edit. Rotomag. 1679. p. 501. et seq. *Organum,* inquit, *est quasi turris quaedam diuersis fistulis fabricata, quibus flatu follium uox copiosissima destinatur: et ut eam modulatio decora componat, linguis quibusdam ligneis ab interiori parte construitur, quas disciplinabiliter magistrorum digiti reprimentes grandisonam efficiunt et suauissimam cantilenam.* De eodem instrumento musico loquitur idem auctor etiam libro I. *Variar.* Epist. XLV. Opp. T. I. p. 21., et *De Artibus* cap. V. *De musica* Opp. T. II. p. 587. uel 579. Hinc miror nullam adhuc specialem mentionem factam de organo pneumatico in Lexicis Linguae Latinae.

V. 583. *Recinarius.* Tum in textu, tum in margine Codex hic habet *ricinarius;* sed ibidem additur: *Nota uirtutes recinarii sotii Iohannis.*

V. 587. *belli domitor, pacisque minister.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 658.

. . . . . . *pacisque bonae bellique ministras.*

V. 588. *Corde humilis, quod Christus amat.* Apud Matth. enim cap. XI. u. 29. ait Christus: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde;* quam sententiam Iuuencus *Hist. Euang.* lib. II. u. 568. sic reddidit:

Namque humili dulcem largibor corde salutem.

Ps. XXXIII. u. 19. *humiles spiritu* (Dominus) *saluabit.*

V. 589. *propiare.* Ms. *properare.*

V. 591. *Non natura.* Ms. *Non nostra* per compendium *nr̄a.*

V. 594. *Ibat equo.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 269.

. . . . quo Turnus equo, quibus ibat in armis.

V. 596. *Forsitan intuita.* Ms. *Fortem maturata.*

V. 597. *Ierna.* In margine Codicis repetitur idem nomen, et legitur sequens nota: *Apparatus alterius partis.*

V. 601. *callidus.* Ms. *calidus.*

V. 604. *premit.* Ms. *premat.*

V. 606. *Non labyrintheis.* Ms. *Non laberintheis.* In margine autem est *Comparatio.*

V. 610-1. *. . . . . Pectus tunc ipse biforme*
Ense ferit: misti generis uomit ille cruorem.

Virg. *Aen.* lib. VI. u. 25.

. . . . mistumque genus, prolesque biformis
Minotaurus.

V. 612. *obscurae.* Ms. *obscure;* sed fere omnes omittit diphthongos.

V. 613. *Tertia constructi.* Ms. *Tertia constricti,* quod forsan poterat retineri. In margine autem haec leguntur: *Nota modum castrametandi maurensium.*

V. 614. *uincitque.* Ms. *uicitque.*

V. 617. *Et tribulos per castra locat, furcasque bicornes.* Ms. *Et triblos;* sed Vegetius lib. III. cap. XXIV. ait *tribulos* esse illos stimulos ferreos, qui in bello aduersus equitatum spargi solent, in quodcumque latus incubuerint, infestum semper aculeum protendentes. Virg. *Georg.* lib. I. u. 264. et lib. II. u. 379. desinunt pariter:

. . . . furcasque bicornes.

V. 618. *magnas.* Ms. *magnos.*

V. 619. *Antalas pariter pugnas determinat arte.* Ms. *dexterminat.* In margine repetitur *Antalas.* Cic. de Orat. *Id, quod dicit, spiritu, non arte determinat.*

V. 623. *Sed propius tenuit munitis agmina* cet. Ms. *Sed proprius tenuit munitis agmine.*

V. 624. *tristes committere pugnas.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 511. . . . . *tristemque hoc ipso in littore pugnam.*

V. 626. *Et uirtus Romana potest.* Lib. III. *De Laud.* u. 381.

Quid uirtus Romana potest.

V. 627. *geminis.* Ms. *genis.*

V. 629. *Languantanque.* Ms. *Languatanque;* sed in margine est *Languantan.* V. ad lib. I. u. 144.

V. 630. *Atque cauas ualles, siluasque et flumina complens.* Virg. *Georg.* lib. II. u. 411.

Complentur uallesque cauae, saltusque profundi.

V. 631. *It, Ierna comitante fero, Brutenque.* cet. Ms. *Id* etc. In margine autem repetitum est tantum nomen *Bruten.*

V. 632. *Camalus.* Etiam in margine est *Camalus.*

V. 633. *in aduersos multis cum milibus hostes.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 75. et 289. habent in eadem atque hic sede uersus . . . . . *multis cum millibus.*
et lib. XII. u. 456.

. . . . . *in aduersos ductor Rhoeteius hostes.*

V. 634. *Hisdreasen, Ialdasque ferox, et Suietira.* In margine: *Dreasan. Ilabdas.* Fortasse *Hisdreasen* idem est ac ille *Esdilasan*, uel *Isdilasan* Maurorum princeps in Romanos rebellis, cuius meminit Procopius *De Bello Vand.* lib. II. cap. X. p. 257. et cap. XII. p. 264.

V. 635. *comprendere.* Ms. *compren.*

V. 637. *Sidisan.* Etiam in margine est *Sidisan.*

V. 639. *At socius laeuo Carcasan.* Ms. *At sotias leuo Catarsan.* Et in margine *Catarsan.* Sed fortasse rectius est lib. V. u. 143. 217. 551. et lib. VI. u. 295. 505. 513. et 517.

V. 641. *Melangus.* Et in margine *melangus.*

V. 642. *Iutungun.* Hoc nomen est ualde dubium in Codice, ubi legere possem etiam *iuctungun* quod repugnaret metro, et *metungun.*

V. 645. *Iamque propinquabant* etc. In margine legitur: *Nota quod incipitur proelium.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 159. lib. IX. u. 371. et lib. XI. u. 621. incipiunt pariter: *Iamque propinquabant.*

V. 646-7. . . . . *uolucresque sagittas*
Depromunt pharetris. Virg. *Aen.* lib. XII. u. 415.
. . . . *uolucres haesere sagittae.*

et lib. V. u. 501. . . . . *depromunt tela pharetris.*

V. 648. *pars obuia.* Ms. *par ouia,* ut et Ioh. L. de Bonis in Poëmate pluries citato iuxta Cod. A. 274. u. 592., sed iuxta Cod. A. 275. u. 449. *parque obuia.*

V. 650. *obstans.* Ms. *hostans.*

V. 651. *pressisque haeserunt agmina frenis.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 600. . . . . . *et pressis pugnat habenis.*
Nisi malis legere *prensis* pro *pressis;* ut ibid. u. 719.
. . . . . . *frenisque aduersa prehensis.*

V. 655. *fertur equo.* Vir. *Aen.* lib. XI. u. 730.
Fertur equo, uariisque etc.

V. 659. *Arripit ille fugam, quem dux sic uoce secutus.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 410.
. . . . *tali fugientem est uoce secutus.*

V. 660. *Antalas? Haec sunt minitantia.* Ms. *amtalas? haec sunt minutantia.*

V. 662. *uelox.* Ms. *uelos.*

V. 665. *suis se immiscuit armis.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 769. . . . . . *se seque immiscuit armis.*

V. 666. *subito.* Hoc aduerbium adieci ego ad complementum uersus, qui claudicabat.

V. 667. *quem Ierna sacerdos.* In margine haec adest nota: *Ierna sacerdos arte magica fecit irruere taurum pro fugando hostes.*

V. 669. *Ammonii signantem numine Gurzil.* De quantitate *Ammonii* uide supra ad lib. iiI. u. 81. Pro *numine* Codex habet *munine*, et de *Gurzil* uide notam ad lib. iI. u. 109.

V. 674-5. . . . . *tremulumque sub armo*
Missile contorquens.

Ms. . . . . *tremulumque armo*
Massile contorquens. Hinc uides me adiecisse *sub* in priori uersu, ut eum sanarem, exemplo auctoris nostri, qui hoc libro u. 759. in fine uersus habet:
. . . . *confixa sub armo.*

V. 676. *raucisono cecinerunt cornua cantu.* Ms. *raucissono concinerunt* etc. Sed in Poëmate pro *Galeatio Vicecomite u.* 454. uel 601. *raucissono cecinerunt* etc. Lucret. lib. V. u. 1085. *Raucisonos cantus.*

V. 677. *Tollitur inde nouus fractis ad sidera clamor.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 566-7.
. . . . *Vndique clamor*
Tollitur.
et lib. XI. u. 745. atque lib. XII. u. 462.
Tollitur in caelum clamor.

V. 681. *Sinifere.* Est nomen fortasse alicuius numinis Maurorum.

V. 682. *Mastimanque ferum: Mastiman assonat echo.* Ms. *Mastimantque ferum mastiman* etc. Vide et aliud fortasse nomen alterius numinis Maurorum; quod Martem fuisse coniicio ex epitheto *ferum.* Sic porro eum uocat Ouid. *Heroid.* ep. VII. u. 160. Idem *Metam.* lib. iiI. u. 587. habet . . . *plangentibus adsonat echo.*

et Pers. *Sat.* I. u. 102.

. . . . *reparabilis adsonat echo.*

V. 683. *Inde ferunt, Gurzil: Gurzil, caua saxa resultant.* Virg. *Aen.* lib. III. u. 566.

Ter scopuli clamorem inter caua saxa dedere.

Lucan. *Phars.* lib. VII. u. 422.

. . . . *Pangaeaque saxa resultant.*

V. 685. *et quassis resonant montana pharetris.* Ms. *et quassis remugiunt montana faretri.*

V. 686. *Vox.* Ms. *Vos.*

V. 691. *Commotae.* Ms. *Commoto.*

V. 692. *Rauca gemunt.* Vt Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 125.

Rauca sonans.

V. 693. *elementa.* Ms. *alimenta.*

V. 694. *cunctique.* Corrige, ut est in Cod. *animique.*

V. 696. *hastis.* Ms. *astis.*

V. 697. *nox atra ruit, carpitque tenebras.* Ms. *nox atra ruit capisque tenebras.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 539. et lib. VIII. u. 369.

Nox ruit.

V. 700. *hinc inde uolant.* Ms. *uolant hinc inde.*

V. 701. *hastilibus.* Ms. *astilibus.*

V. 703. *Mortem.* Ms. *montem.* Sed recte est apud Iohannem L. de Bonis in cit. Poëmate lib. I. u. 576. uel 627. *mortem.*

V. 704. *Sed dispar fortuna regit.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 405.

Nulla uiam fortuna regit.

V. 705. *hasta.* Ms. *asta.*

V. 707. *mors.* Ms. *mos.*

V. 708-9. . . . . *Tunc sanguine misto*
Terra madet. Strident missis hastilibus aurae. Ms.

astilibus. Virg. *Aen.* lib. XII. u. 691.

Sanguine terra madet, stridentque hastilibus aurae.

V. 710-1. *Mars furit, et, media permistus caede uirorum,*
Exanimes conuoluit equos. Coit improba uirtus.

Virg. *Aen.* lib. XI. u. 634-5.

. . . . permisti caede uirorum
Semianimes uoluuntur equi.

et lib. X. u. 410.

Non aliter socium uirtus coit omnis in unum.

V. 712-3. . . . . *caecique tumultu*
Atque furore, uiri aduersis dant pectora telis.

Virg. *Aen.* lib. iI. u. 244. . . . . *caecique furore.*
et lib. XII. u. 540-1. . . . . . *dedit obuia ferro*
Pectora.

V. 715. *dulcesque animas per uulnera fundunt.* Virg. *Georg.* lib. iiI. u. 495.

Et dulces animas plena ad praesepia reddunt.

et *Aen.* lib. iiI. u. 140.

Linquebant dulces animas.

V. 716. *Acer in obnixos rumpens Recinarius.* Ms. *Acer* (*Asper* enim est mendum typographicum) *in obinixos rupens recinarius;* sed I. L. de Bonis in cit. Poëmate iuxta Cod. A. 274. u. 640. habet:

Acer in obnixos rumpens Tadeius.

V. 718. *qui proelia miscens.* Virg. *Georg.* lib. iI. u. 282-3. . . . . *horrida miscent*
Proelia . . . .; et lib. iiI. u. 220., nec non *Aen.* lib. X. u. 23. desinunt . . . . . *proelia miscent.*

V. 719. *ausus tentare.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 499.

Ausus et ipse manu iuuenum tentare laborem.

V. 720. *Fisus.* Ioh. L. de Bonis l. c. u. 644. iuxta Cod. A. 274. *Fixus.*

V. 721 *Excipit.* Septem uersus Virgilius incipit ex hoc uerbo, nempe *Aen.* lib. III. u. 318. et 322., lib. V. u. 41., lib. VIIII. u. 258. et 763., lib. X. u. 387., et lib. XII. u. 507.

V. 723. *Hastaque . . . . cucurrit.* Ms. *Astaque . . . . cocurrit.* I. L. de Bonis l. c. u. 596. iuxta Cod. A. 275., et u. 647. iuxta Cod. A. 274.

Astaque . . . . cucurrit.

V. 724. *Mazax.* Ms. *marax.* V. supra ad lib. I. u. 549.

V. 727. *fatigat.* Eodem uerbo Virgilius desinit sequentes octo uersus, nempe *Aen.* lib. I. u. 284. et 320., lib. IV. u. 572., lib. V. u. 253., lib. VI. u. 79. et 533., lib. X. u. 304., et lib. XI. u. 714.

V. 730. *Flectit equos.* Iisdem uerbis incipit Virg. *Aen.* lib. I. u. 160., et lib. X. u. 577.

V. 731. *ensis.* Sic in Ms., sed apud I. L. de Bonis l. c. u. 604. legitur *enses,* iuxta Cod. A. 275. tantum.

V. 732. *Querit iter. Summis ductor sed uiribus.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 802. incipit pariter:

Quaerit iter.

Item *Aen.* lib. V. u. 226. et lib. VIIII. u. 744.

. . . . *summis adnixus uiribus.*

V. 733. *dictis hortatur amicis.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 147.

. . . . *dictisque ita fatur amicis.*

lib. V. u. 770. . . . . . . *dictis solatur amicis.*

lib. VIII. u. 126., et lib. X. u. 466.

. . . . *dictis affatur amicis.*

item *Aen.* lib. XI. u. 520-1. . . . . . . *dictis*

Hortatur.

V. 735. *belli portare labores.* Exemplum uerbi *portare* pro *ferre,* uel *sustinere* adhuc desideratur etiam in nouis accessionibus ad *Lexicon* Forcellini.

V. 736. *Tandem data copia pugnae est.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 720.

. . . . . . *quoniam data copia pugnae.*

V. 738. *summis impellite uiribus omnes.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 531.

. . . . . . *summis quam uiribus omnes.*

V. 739. *His labor unus erit, nostrae uictoria parti.* Ms. *uictorie.* Virg. *Georg.* lib. IIII. u. 184.

. . . . *labor omnibus unus.*

V. 743. *Dixit: et, in medium* etc. Mss. *Dicit* etc. Virgilius unica uice habet *dicit,* et XXIV. uicibus *dixit;* ut *Aen.* lib. II. u. 376-7.

Dixit: et extemplo (neque enim responsa dabantur
Satis fida) sensit medios delapsus in hostes.

et lib. XI. u. 561.

Dixit, et adducto contortum hastile lacerto.

V. 744. *magnaque fremens it uoce per hostes.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 580.

. . . . . *magnaque incusat uoce Latinum.*

V. 746-7. . . . . *at campis ferreus imber*
Confluit, et neruis uolitans pulsatur arundo. Virg. *Aen.* lib. XII. u. 284.

. . . . *ac ferreus ingruit imber.*

et *Georg.* lib. IIII. u. 313.

. . . . *neruo pulsante sagittae.*

V. 749. *Ense caput rapiens: nec sensit uulnus acerbum.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 382.

Abstulit ense caput.

et lib. XI. u. 823. desinit:

. . . . *nunc uulnus acerbum.*

V. 753. *Currit equus; sanguisque micat, quo colla metuntur.* Ms. *Corruit equus* cet. At libro I. citati Poëmatis

Ioh. L. de Bonis, ubi plures ex hisce uersibus inserti fuerunt, legitur u. 626. *Currit equus* etc. iuxta Cod. A. 275. tantum. Stat. Theb. lib. VIIII. u. 233.

. . . . ferro colla metens.

et Tertullian. *De Anima* cap. LIII. p. 303. ed. Paris. 1675. *ceruicum messis.*

V. 754. *timpora.* Sic legitur hic et infra pluries haec uox: ut et cit. loco Ioh. L. de Bonis u. 627. Cod. A. 275., et u. 778. Cod. A. 274., aliisque in locis, in quibus occurrit haec eadem uox. Ita enim ueteres differentiae causa scribebant, cum significare uellent latera in capite dextrum et sinistrum. Vide, praeter Forcellinum, Vossium in *Etymolog. Linguae Latinae*, Basil. Fabrum in *Thesauro Eruditionis Scholasticae* edit. Lips. 1696., quam correxit Cellarius col. 2301. d., ubi Florus citatur lib. IIII. cap. XII. *stricto ferro cruentat uulnere in timpore.*

V. 755. *per molle cerebrum.* Ms. *celebrum.* Corippus hic imitatus est illos Virgilii *Aen.* lib. XII. u. 536-7.

Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.

Pro *Olli* autem ibi fortasse legit *Molli.*

V. 756. *pellemque secutus.* In Ms. Corippi *pellamque*, uel *pollamque*, uel *pallamque* legitur, cum prior uocalis non clare pateat; sed Cod. A. 274. u. 680. cit poëmatis habet *pallamque.* Virgilius XV. uicibus posuit *secutus* in ultima uersus sede.

V. 758. *hasta.* Ms. *asta.*

V. 759-60. . . . . *Laeuo tremuit confixa sub armo*
Fraxinus. . . . . . Virg. *Aen.* lib. XI. u. 644-5.
. . . . latos huic hasta per armos
Acta tremit.

V. 761. *conserta.* V. infra u. 864. *fugientes conserit hastis;* et alibi ut ex Indice.

V. 762. *Corruit ob uulnus.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 488. incipit:

Corruit in uulnus.

V. 764. *rigido mucrone.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 304.

Sic rigido latus ense ferit.

V. 766. *inertem.* Ms. *icirti.* Feci *inertem* ob illud, quod sequitur: *Armatamque manum;* sed fortasse dicendum erat *inerte*, id referendo ad *iugulum.*

V. 767. *ferrum tenet illa retractans.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 694. . . . . *ferrumque retractat.*

V. 771. *Obuius, adducto tentans hastile lacerto.* Vt Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 402.

Ocius adducto torquens hastile lacerto.

et lib. XI. u. 561.

Dixit, et adducto contortum hastile lacerto.

V. 774. *contentam deuiat hastam.* Ms. *astam;* ut et apud I. L. de Bonis l. c. u. 645., ubi sic male legitur:

. . . . *contemptum deuiat astam,*

iuxta Cod. A. 275.; sed iuxta Cod. A. 274. u. 698. legitur . . . . *contemptam deuiat astam.*

Val. Flacc. lib. III. u. 134-5.

. . . . *et pectus harundo*

Per medium contenta furit.

Notandum erit hoc exemplum uerbi *deuio* etiam actiue adhibiti; nam in Lexicis est tantum ut neutrum.

V. 775. *Suscipiens, ipsumque petit, non territus.* Ms. *Subscipiens* cet. Sed recte *Suscipiens* est apud de Bonis l. c. u. 646. in Cod. A. 275. tantum. Virg. quater usus est uoce *territus*, totidemque uicibus in penultima sede uersus.

V. 776. *inficit herbas.* Ms. *infecit erbes;* sed Cod. A. 274. u. 700. habet *infecit erbas.*

V. 779. *parans defendere fratris.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 447. . . . . *parant defendere telis.*

Sexies item legitur apud Virgilium *defendere,* semperque in quinta sede uersus.

V. 780. *Ecce uolat.* Sic apud Virg. *Aen.* lib. V. u. 324. incipit.

V. 781. *conscia uirtus.* Sic apud Virg. *Aen.* lib. V. u. 455., lib. X. u. 872., et lib. XII. u. 668. desinunt.

V. 783. *hastam.* Ms. *astam.*

V. 786. *Hoc erat.* Sic incipit Virg. *Aen.* lib. II. u. 664.

V. 787. *an fratri potius comes ire parabas.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 881.

. . . . . *et misero fratri comes ire per umbras.*

V. 788. *En perfecta tua est, consumta.* Ms. *consuncta.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 545.

En perfecta tibi cet.

V. 789. *Dura.* Ms. *Dure.*

V. 791. *aduersa Cullan petit arduus hasta.* Hic adest aspiratio in Codice. Virg. *Aen.* lib. X. u. 579.

. . . . *aduersaque ingens apparuit hasta.*

V. 792. *uiros. Campos dat terga per omnes.* Ms. *dire. campos* cet. Virg. *Aen.* lib. XII. u. 463.

. . . . . . *Rutuli dant terga per agros.*

V. 794. *missis configit et hastis.* Ms. *missis confugit et hostis;* ut et Ioh. L. de Bonis l. c. u. 709. Cod. A. 274., sed in Cod. A. 275. u. 655. legitur:

. . . . . . *ipsum cur surgit et hostis.*

Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 543.

Confixique suis telis. . . . . . Cic. IV. *Acad.* cap. XXVIII. *Hercules filios suos configebat sagittis.*

V. 797. *Terror Languantan.* Ms. *Terro ilaguaten.* Vt infra lib. I. u. 166. *ilaguatensis.* I. L. De Bonis habet in Cod. A. 274. u. 712. *Terror.*

V. 798-9. . . . . *Inuadit pectora gentis*
Insolitus uirtute pauor. Ms. *inuadit pettore* etc. Sed *pectora* est apud De Bonis l. c. u. 659. iuxta Cod. A. 275. et *pettora* iuxta Cod. A. 274. u. 713. Virg. *Aen.* lib. II. u. 228-9.

Tum uero tremefacta nouus per pectora cunctis
Insinuat pauor.

V. 801. *Fulmine deiecti, fracta ceruice, gigantes.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 580-1.

Hic genus antiquum terrae, Titania pubes,
Fulmine deiecti, fundo uoluuntur in imo.

V. 803-4. . . . . *iam uertere gentes*
Terga. . . . . . . Virg. *Aen.* lib. VI. u. 491.
. . . . *pars uertere terga.*

V. 806. *Castraque tuta.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 603-4.
. . . . *tuta tenebant*
Castra.

V. 809. *Talibus et dictis.* Sic incipit Virg. *Aen.* lib. X. u. 448.

V. 810. *O miseranda manus, nunquam quae uicta recessit.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 259.

Vel Priamo miseranda manus.

Duodecies utitur Virgilius uoce *recessit* et tantummodo in ultima sede uersus.

V. 812. *Acer agit?* Virg. *Aen.* lib. III. u. 682.
Praecipites metus acer agit.

V. 813. *quum.* Ms. *quem.*

V. 814. *Qua.* Ms. *quam*

V. 815. *Languantan gens dura.* Ms. *Languatan.* Virg. lib. V. u. 730. . . . . . *gens dura atque aspera cultu.*

V. 816. *Austur, equo fidens.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 181.
Astur, equo fidens.

V. 817. *Non pudet.* Sic incipiunt duo uersus Virgilii, nempe *Aen.* lib. VIIII. u. 598. et lib. XII. u. 229.

V. 818. *reuerti.* Sexies reperitur apud Virgilium hoc infinitiuum, totidemque uicibus, ut hic, in fine uersus.

V. 819. *Calidas sic cernere Syrtes.* Et hoc epitheton *calidas* addi potest aliis, quae congessit Forcellinus ad uocem *Syrtis.*

V. 822-4. . . . . *non uincere nostros*
Maximianus auos, Romani fortia regni
Sceptra tenens, potuit. Notum est ex historicis scriptoribus Maximianum Herculeum, ut iam adnotaui ad lib. I. u. 480, subegisse in Africa Quinquegentianos; ignotum autem hucusque fuit, quos populos nequiuerit ibidem uincere, ut ait hic Bruten apud Corippum nostrum. Vide etiam Eckhel *Doctrina Numor. ueter.* Tom. VIII. pag. 4. et 25., et Tillemont *Histoire des Empereurs* To. IV. p. 20. et 26.

V. 827. *Talibus exarsit dictis Maurusia uirtus.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 376.
Talibus exarsit dictis uiolentia Turni.

V. 828-9. *Atque acies conuersa redit, pugnamque resumit*
Acrior. . . . . Virg. *Aen.* lib. V. u. 454.
Acrior ad pugnam redit cet.

V. 830. *Turbine* cet. In margine est *Comparatio.*

V. 832. *infensa.* Ms. *infessa.*

V. 835. *puppem conuertit et altam.* Ms. *et arcem.* Et ap. De Bonis l. c. u. 683. *in artem* iuxta Cod. A. 275., et iuxta Cod. A. 274. u. 738. *in arcem.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 246-7. . . . . . . *impulit altam,*
Haud ignara modi, puppim.

V. 836. *Velaque placatis intendit prospera uentis.* Ms. *Bellaque placidis intendit prospera nautis.* De Bonis hunc uersum cum sequenti contraxit l. c. u. 684 iuxta Cod. A. 275.

Bellaque sic placida promotus uoce refecit.

sed. in Cod. A. 274. legitur *preuettus* non *promotus.* Virg. *Aen.* lib. III. u. 683.

. . . . et uentis intendere uela secundis.

V. 837. *praefectus.* Ms. *preuettus.* Vide not. ad superiorem uersum. Fortasse legendum erat *praeuectus.*

V. 839. *Contorsit.* Ms. *contursit;* ut et ap. De Bonis l. c. u. 686. iuxta Cod. A. 275., sed Cod. A. 274. recte habet *contorsit* u. 741.

V. 840-1. *Perque uiri calidum transiuit lancea pectus*
Acta tremens. Ms. *lancia; lancea* autem est ap. De Bonis l. c. u. 687., iuxta Cod. A. 275., qui tamen seq. u. ex *Acta* fecit *Asta;* sed iuxta Cod. A. 274. u. 742-3. . . . . . *lancia* . . . . . *Asta.*

Virg. *Aen.* lib. XI. u. 644-5.

. . . . latos huic hasta per armos
Acta tremit.

V. 842. *geminas.* Ms. *geminans* per compendium *geminās;* sed apud De Bonis l. c. u. 689. recte est *geminas* in Cod. A. 275. tantum.

V. 843. *Ense ferit.* Sic incipit pariter Virg. *Aen.* lib. VI. u. 251.

V. 845. *Martianumque.* Fortasse hic est ille Marcianus, qui sub Belisario Africam ingressus est in prima expeditione contra Vandalos. Eiusdem meminit Procopius *De Bello Vand.* lib. I. cap. XI. p. 205., ubi ait: *Romanorum militum ductores erant, equitum quidem Rufinus et Aigan domestici Belisarii, Barbatus item et*

Pappus; peditum uero Theodorus cognomento Ctenatus, Terentius, Zaidus, Marcianus, et Serapis.

V. 846-7. *Hisdreasen, summis excussam uiribus, hastam*
Torsit. Ms. *astam.* De *Hisdreasen* uide supra ad u. 634. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 744.

Intorquet, summis adnixus uiribus, hastam.

V. 848. *Fortis equi. Sonipes letali uulnere uictus.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 705-6. . . . . *forti*
Fidis equo? . . . . et lib. VIIII. u. 580.
. . . . *letali uulnere rupit.*

V. 849. *hastam.* Ms. *astam.*

V. 852. *refulsit.* Quinquies usus est Virgilius hac uoce, semperque in fine uersus.

V. 853-4. *At ferus Hisdreasen, uisu tremefactus eodem,*
Continuit sese. Hic in Ms. est *Isdreasan.* V. ad u. 634. huius libri. Virg. *Aen.* lib. II. u. 382.

Haud secus Androgeos, uisu tremefactus, abibat.

lib. III. u. 597-8. . . . . . *aspectu conterritus haesit,*
Continuitque gradum.

V. 855-7. . . . . . . *Nudo tunc ense tribunus*
Insequitur. Domitum, ferrata calce fatigans,
Hisdreasen contorsit equum; sociumque per agmen.

Virg. *Aen.* lib. XII. u. 306.

Ense sequens nudo . . . . .; lib. XI. u. 714.
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.

et lib. II. u. 613.

. . . . . *sociumque furens a nauibus agmen.*

V. 858. *densis se miscuit armis.* Virg *Aen.* lib. II. u. 383.
. . . . . *densis et circumfundimur armis.*

et u. 409. . . . . . *et densis incurrimus armis.*

V. 859. *Vt uero ille sequens auctorem attingere teli.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 36. incipit pariter:

Vt uero Aeneas cet.; et lib. VIIII. u. 748.

. . . . . *neque enim is teli nec uulneris auctor.*

V. 861. *super celerem, Montana.* Ms. *super celerem montana.* Addere poteris Lexicis Latinis uocem *supercelerem*, si tamen non distincte, ut est in Codice, *super a celerem*, ea scribenda sit; et nisi adsit aliquod mendum in hoc uersu.

V. 862. *suscepit.* Ms. *suscipit.*

V. 864. *sociis fugientes conserit hastis.* Val. Flacc. lib. III. u. 162. . . . . *socia sed disiicit agmina claua.* Nota uerbum *conserit* pro *configit*, cuius exempla adhuc desiderantur in Lexicis Latinis.

V. 868-9. *At procul Antalas celso de colle uidebat*
Omnia prospiciens. Non. Ms. *nam* pro *non;* sed De Bonis in cit. l. *pro Vicecomite* u. 829. iuxta Cod. A. 274. recte habet *non.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 604-5.

. . . . . . *celsoque omnis de colle uideri*
Iam poterat legio.

V. 876-9. *Vt leo, uenantum magno clamore coactus,*
Montibus in mediis, stimulis et uerbere caudae
Aspera terga ciens, in proelia suscitat iras,
Ore fremens. . . . . . Virg. *Aen.* lib. XI. u. 728.
Suscitat, et stimulis haud mollibus incitat iras.

Item lib. VIIII. u. 341. et lib. XII. u. 8.

. . . . *(leo) fremit ore cruento.*

V. 881. *infensoque.* Ms. *infessoque;* et apud De Bonis l. c. u. 772. iuxta Cod. A. 274. et iuxta Cod. A. 275. u. 716. *infessusque*, et infra ubi rursus occurrit hic uersus u. 774. in Cod. A. 275. et u. 839. in Cod. A. 274. *infessoque.*

V. 882. *transiuit lancea parmam.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 817.
Transiit et parmam mucro.

V. 883. *Inque uiri costis lato stetit improba ferro.* Ms. *Inque uiri constis leto* cet.; et ap. De Bonis l. c. u. 718. in Cod. A. 275.

Inque uiri tandem fixo cet.

et in Cod. A. 274. u. 774.

Inque uiri costas leto stet improba ferro.

It. u. 776. Cod. A. 275.

Inque uiri costis fixo etc.

et in Cod. A. 274. u. 841.

Inque uiri costis leto stetit improba ferro.

Virg. *Aen.* lib. I. u. 317. et lib. XII. u. 165.

Bina manu lato crispans hastilia ferro.

et lib. IIII. u. 131.

. . . . *lato uenabula ferro.*

Imo, quod latum esset lanceae ferrum, constat ex eodem Virg. *Aen.* lib. XII. u. 374-5.

. . . . *hunc lata retectum*

Lancea consequitur.

V. 885. *crudescit pugna tumultu.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 833. . . . . . . *crudescit pugna Camilla.*

V. 888. *Agmina densantur campis.* Ms. *Agmina densantur cunctis.* Puto tamen hic Corippum imitatum esse Virg. *Aen.* lib. VII. u. 794.

Agmina densantur campis.

Peius est apud De Bonis. u. 721. et 781. iuxta Cod. A. 275.

Agmina densantur omnes.

et in Cod. A. 274. pro *campis* est *cuncte* u. 778. et 846.

V. 889. *collectis firmauit robora turmis.* De Bonis in Cod. A. 274. u. 779. et 847.

. . . . *collettis firmauit robore turmas.*

Hinc puto corrigendum esse:

. . . . *collectas firmauit robore turmas.*

V. 890. *quatiens acerrimus hastam.* Mss. *astam.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 762. . . . . *quatiens Mezentius hastam.*

V. 891. *et densos uolitans perfertur in hostes.* Virg. *Aen.* lib. iI. u. 511.

. . . . . *ac densos fertur moriturus in hostes.*

et lib. X. u. 379.

. . . . *et medius densos prorumpit in hostes.*

et u. 729.

Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.

V. 892. *Obuius ardenti primus sese obtulit Ornus.* Ms. *octulit ornus.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 552.

Obuius ardenti sese obtulit.

V. 893. *Romulea de gente satus, quem Persica mater.* Ms. *Rumulea non gente satus quem perfida mater.* Ouid. *Fastor.* lib. IV. u. 54.

Ilia cum Lauso de Numitore sati.

V. 895. *hastam.* Mss. *astam.*

V. 896. *et.* Mss. *in.*

V. 897. *fatis oblatus iniquis.* Virg. *Aen.* lib. iI. u. 257.

. . . . *fatisque Deum defensus iniquis.*

lib. iiI. u. 17. . . . . . *fatis ingressus iniquis.*

et lib. X. u. 380. . . . . . *fatis adductus iniquis.*

V. 898. *crudo quem feruidus ense.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 682. . . . . . *crudum per costas exigat ensem.*

V. 899. *arcus.* Ms. *arcum.*

V. 900. *Extaque per geminas secuit spirantia.* Virg. *Aen.* lib. IiiI. u. 64. . . . . . *spirantia consulit exta.*

V. 901. *conuersa cuspide Malcum.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 85. . . . . *conuersa cuspide montem.*

V. 903. *Transadigit; socioque infixus deiicit ictum.* Ms. *Transadegit . . . . deicit ictum.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 432. et lib. XII. u. 276.

Transadigit costas cet.

V. 905. *Contempto pedes ibat equo.* Ms. *Contento pede ibat equo.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 880.

. . . . *cum pedes iret in hostem.*

et lib. VII. u. 624.

Pars pedes ire parat.

V. 907. *Tiseran: Tiseras.* Ms. *tisiran. tiseras.*

V. 909. *compressit.* Ms. *impressit.*

V. 910. *per uulnera fratres.* Quater habet Virgilius *per uulnera* in quinta sede.

V. 911. *uterque.* Ms. *utrumque.*

V. 915. *Obuius ire parat.* Sic incipit Virg. *Aen.* lib. X. u. 770.

V. 918. *iniectis perturbant undique telis.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 807-8. . . . . *iniectis sic undique telis*
Obruitur.

V. 919. *Tunc morte peremptum.* Ms. *tunc ille perentum.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 163.

. . . . *uident indigna morte peremptum.*

V. 925-6. *ensipotens rumpens inimica Iohannes*
Agmina.

Ms. *ensipotens rumpetis inimica Iohannis* cet. Lib. IIII. *De Laudibus* u. 366. uocatur *ensipotens* Narses; unde Fogginius ibidem adiecit hanc glossam: *nempe Protospatharius.* Non improbabile est etiam Iohannem hac dignitate donatum fuisse; sed Forcellinus, qui ad eandem uocem Corippum solum citat, eam explicat: *fortis, strenuus, qui ense ualet*, absque ulla mentione *Protospatharii.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 683.

. . . . *media agmina rumpit.*

V. 928. *toto corpore.* Ms. *nouo porpore.* Virg. XIII. uicibus habet *toto corpore*, nusquam *nouo corpore;* nam *porpore* est manifestum mendum.

V. 929. *Ariarith ingentem detruncat.* Ms. *detegat.* Val. Flacc. lib. III. u. 145.

. . . . *prensumque manu detruncat Amastum.*

Dactylus trisyllabus est *Ariarith* hic, ut saepe apud Virgilium *ariete.* De illo autem nomine uide ad lib. V. u. 535.

V. 930. *Ense rotat magnum, et uertens per gramina collum.* Ms. *uertex* pro *uertens.* Lucan. lib. VIII. u. 673.

. . . . *nondum artis erat caput ense rotare.*

V. 932. *peremptus.* Ms. *pereptus.*

V. 933-4. *Flumina rubra uomit Roffas; atque, ilia pulsans,*
Extremis Athiman singultibus ore uocabat.

Ms. pro *ilia* habet *alia*, et *ora* pro *ore.* Fortasse pro *uocabat* legendum est etiam *sonabat.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 414-5.

. . . . . *uomens calidum de pectore flumen*
Frigidus, et longis singultibus ilia pulsat.

et Ouid *Amor.* lib. III. Eleg. VIIII. u. 12.

Oraque singultu concutiente sonant.

V. 935. *Haud procul inde.* Ms. *Aut* cet. Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 642. incipit iisdem uerbis.

V. 941. *Recinarius.* Hic in Ms. *ricinarius.*

V. 944. *Sequitur tunc cetera pubes.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 614. . . . . *sequitur tum cetera pubes.*

V. 947-8. . . . . *prosternens media agmina, muris*
Rumpere castra parans?

Ms. *prosternens agmina montes* cet. Adieci *media* ad complementum uersus, qui in Codice est imperfectus; et hoc feci auctoritate fultus Virgilii *Aen.* lib. XII. u. 683., ubi legitur . . . . . *media agmina rumpit.* Item pro *montes* posui *muris*, quia saepe idem Virgilius iungit *agmina* et *castra* cum *muris:* ut *Aen.* lib. V. u. 805. . . . . *impingeret agmina muris.*

et lib. VIII. u. 800. . . . . *per muros agmina uertit.* Sic pro *castris* faciunt eiusdem libri u. 43.

Castra modo et tutos seruarent aggere muros.

et lib. X. u. 671.

Laurentesne iterum muros, aut castra uidebo.

V. 950. *Laomedontiadas.* Ms. *Laumedontiadas.*

V. 953-4. *Tunc mucrone caput terrae deturbat acerbi*
Masguen, et rigida Nacusan ferit eminus hasta.

Ms. *Masgue* . . . . *asta*

Virg. *Aen.* lib. X. u. 554-5.

Tum caput orantis nequicquam, et multa parantis
Dicere, deturbat terrae . . . .; et u. 346.
. . . . . *et rigida Dryopen ferit eminus hasta.*

V. 955. *media prostrauit arena.* Ms. *media prostratur harena:* sic cum adspiratione omissa a typographis in textu nostro hoc loci. Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 620.

. . . . . . *mediaque inhumatus arena.*

et lib. V. u. 423. . . . . *media consistit arena.*

V. 956. *dominumque ruentem.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 805.

. . . . *dominamque ruentem.*

V. 958-9. *Purpuream fundunt animam. Tunc calcibus ipsam*
Tundit humum moriens.

Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 349.

Purpuream uomit ille animam.

et lib. X. u. 730-1. . . . . . . *et calcibus atram*
Tundit humum exspirans.

V. 960. *Hisbulun ut fortis densos inuaserat hostes.* Ms. *Hic subulun* uel *subulum.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 800. desinit . . . . . . *medios inuaserat hostes.*

V. 962. *Meurren.* Ms. *menrren.*

V. 971. *Deiicit.* Ms. *Deiecit.*

V. 972. *Pinnata.* Ms. *Pinnatum.*

V. 977. *Cambrius infelix, alieno uulnere raptus.* Ms. *Cambrus ut felix* cet. Virg. *Aen.* lib. X. u. 781.

Sternitur infelix alieno uulnere cet.

V. 979. et 984. *hasta.* Ms. *asta.*

V. 994. *succedere castris.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 507.

Succedam castris.

V. 996. *obsessasque.* Ms. *absessasque.*

V. 997. *Hic tamen.* Ms. *Hic non.* Mendum typographicum est eodem in uersu *pagna* pro *pugna.*

V. 999. *Pacificique.* Ms. *Pacisicique.*

V. 1001. *agnoscere.* Ms. *cognoscere.*

V. 1008. *confossus uulnera cultros.* Ms. *confoxos uulnere cultros.* Hinc petere licebit exemplum *cultri* ad usus bellicos adhibiti, quod adhuc deerat in Lexicis Linguae Latinae.

V. 1011-2. *Contiguo riuo pedibus calcatur et amnis*
Purpureus.

Ms. *Contiguos uiros pedibus calcatus et amnis.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 456.

. . . . . . *et plenos spumanti sanguine riuos.*

V. 1015. *E mediis.* Ms. *Emedus.*

V. 1016. *densantur.* Ms. *densatus.*

V. 1017. *concurrere.* Ms. *cuncurrere.*

V. 1020. *Mazax.* Ms. *mezax.* V. ad lib. I. u. 549.

V. 1022. *fugiensque.* Ms. *fugitque.*

V. 1024. *Facto nunc agmine.* Ms. *fato.* cet. Virg. *Georg.* lib. IiiI. u. 167. . . . . *aut agmine facto.*

V. 1028. *sudes, et fracto monte molares.* Ms. *sudes et fracta* etc. Stat. *Theb.* lib. V. u. 386.

. . . . *uastaeque sudes, fractique molares.*

V. 1029. *plumbi.* Ms. *plumbli.*

V. 1031. *flammis.* Ms. *flammas.*

V. 1038. *faciemque uiri uocemque tremescunt.* Sic inuenit Pierius, ut testatur Forcellinus, apud Virgilium *Aen.* lib. III. u. 648. . . . . *sonitumque pedum uocemque tremesco.* et lib. XII. u. 403.

Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremescunt.

V. 1040. *tonitru conterritat.* Ms. *tronitu conterritat.* De hoc uerbo uide ad lib. II. u. 54.

V. 1047. *incendit pectora dictis.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 197.

Incenditque animum dictis.

V. 1048. *Vicistis.* In margine haec leguntur: *Oratio. Nota pulcram orationem Iohannis ad suos uictoriosos. et promissiones largas.*

V. 1050. *Vindictae.* Ms. *Vindice.*

V. 1054. *Iussa.* Ms. *Iuxa.*

V. 1058. *non ullis.* Ms. *non nulli.*

V. 1062. *mattate.* Ms. *mattare.*

V. 1063. *Implicitas planate uias.* V. supra ad lib. II. u. 191.

V. 1066. *Castra petens primus.* In margine haec adsunt: *Nota, quod non sufficit agenda militibus imperare, ni asiduitas iudicis uideatur exigere, ut Cesar qui non precipiebat. sed primus ibat.*

V. 1067. *Quo pedibus uis iuncta.* Ms. *Quo pedibus uicta.*

V. 1071. *Horribili.* Ms. *Horribilis.*

V. 1073. *horrifico celsam terrore sub aluum.* Ms. *orrifico celsam terrore sub album.* Fortasse etiam *album* pro *aluum* poteram tueri.

V. 1076-7. . . . . . . *Cecidit calatusque lapisque,*
Quo cererem frangit. Dirupit uincula pondus.

Ms. *Cecidit letusque lapisque,* et pro *pondus* habet *ponde* uel *pende.* Pro explicatione huius loci, mirifice faciunt ea, quae leguntur in diario mensis nouembris anni

MDCCCXVI. inscripto Gallice: *Bibliotheque universelle rédigée à Genève;* unde non piget huc transcribere ex Tomo III. eius partis, quae titulum praefert *Littérature,* articulo *Géographie historique des États barbaresques, extrait du Quarterly Revew num. XXIX.,* pag. 261., quae sequuntur: *Les femmes des Arabes ne sont pas soumises aux travaux des champs, mais elles sont chargées de moudre le grain, avec le moulin primitif, c'est-à-dire, une pierre qu'on fait tourner avec une manivelle, sur une autre qui est fixe* etc. *Un pére qui marie un de ses enfans lui donne une tente, un moulin à bras, un panier, une jatte de bois, deux plats de terre, et le nombre de chameaux, de vaches, de brebis et de chèvres dont les circonstances lui permettent de disposer.* Item ibidem pag. 258. haec alia leguntur, quae ad rem nostram aliquo modo spectant: *Dans les marches les femmes se groupent ordinairement par trois sur le dos d'un chameau; les enfans, les agneaux et les chevreaux sont placés dans des paniers sur ces animaux.*

V. 1080. *Subductis ueluti moles* etc. Ms. *miles* pro *moles* habet, et in margine est *Comparatio.*

V. 1081. *Cum sonitu deiecta.* Ms. *Consonitu cum sonito dietta.*

V. 1085. *Turbat acerba furens. Pariter Putzintulus.* Ms. *Turbarum acerba furens pariter putzurlus.* V. ad u. 478. huius libri.

V. 1087. *Ceu* etc. In margine est *Comparatio.*

V. 1088. *dura fames.* Horat. *Serm.* lib. I. Sat. II. u. 6.

. . . . . . *duramque famem depellere possit.*

V. 1090. *Fronimuth.* Ms. *Frommut.* V. supra ad u. 525.

V. 1093. *Atque* etc. E regione huius uersus adsunt hae literae *I. t.*, uel potius *N. t.*, quia recisus est

margo paginae, quarum interpretationem aliis relinquo; nisi uelis intelligere: *Nota terminum,* scilicet illam locutionem *roseo ense,* quae occurrit ibidem.

V. 1094. *cateruas.* Ms. *catenas.*

V. 1095. *Cusina Romana.* Ms. *Cusinormans.*

V. 1096. *largum fundens super arma cruorem.* An *super arua?* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 721.

. . . . *et sanguine largo.*

V. 1097. *Maurusia.* Ms. *maurisia.*

V. 1100. *Rescindunt fossas.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 524.
Rescindit uallum.

V. 1101. *Tarasis in medios contra furit arduus hostes.* Ms. *arduis hostes.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 624-5.

. . . . *pars arduus altis*
Puluerulentus equis furit.

V. 1102. *Pectora dux fixit: fractis* etc. Ad uersus mensuram complendam, et aliquem sensum eliciendum adieci *fixit;* sed hic locus adhuc indiget medica manu.

V. 1103. *Viscera rupta natant, calidoque in sanguine torpent.* Ms. *Viscera ructa . . . . . . torpens.*

V. 1104. *Ifidaias summis cum uiribus ardens.* Hic rectius quam alibi scriptum esse uidetur nomen *Ifidaias.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 531.

. . . . . . *summis quam uiribus omnes.*

V. 1106. *prosternens feruenti funera ferro.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 646. iuxta magis receptam lectionem:

. . . . *dant funera ferro.*

V. 1108. *gladiis tunc cetera miscet.* Corippi Ms. *glodiis tunc cetera miscens;* et I. L. De Bonis in Cod. A. 274. u. 865. . . . . . *gladiis tunc cetera miscens.*

V. 1110. *uiis sternuntque cadauera passim.* Ms. *uias* etc. Virg. *Aen.* lib. II. u. 364-5.

Plurima perque uias sternuntur inertia passim
Corpora.

V. 1114. *Fit sonus armorum* cet. Ms. *Fit sonitus armorum* etc. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 752.

Fit sonus, ingenti cet.

V. 1116. *Mistaque per latos densantur funera campos.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 408.

Horrida per latos acies Vulcania campos.

V. 1117. *Qualiter, antiquae sternentes robora siluae.* Ms. *Qualiter antque* cet. In margine est *Comparatio.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 179.

Itur in antiquam siluam cet.

Fere eadem comparatio legitur apud Virg. *Aen.* lib. iI. u. 626. et seqq.

V. 1118. *plantas.* Ms. *plactas.* Bis etiam Virgilius posuit *plantas* in fine uersus; idest *Ecl.* X. u. 49. et *Georg.* lib. iI. u. 300.

V. 1120. *Congeminant ualidos, siluis regementibus, ictus.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 713-4. . . . . *ictus*

Congeminant. . . . . . Stat. *Theb.* lib. V. u. 389.

. . . . *et abiunctis regemunt tabulata cauernis.*

et lib. VIII. u. 17.

Tunc regemunt pigrique lacus, ustaeque paludes.

Hinc supra u. 685. ex *remugiunt* Codicis melius erat facere *regemunt*, quam *resonant.*

V. 1122. *Cunctis.* Ms. *cuncis;* et De Bonis in Poëm. *pro Gal. Vicecomite* lib. I. u. 876. iuxta Cod. A. 274. *cuncti.*

V. 1123. *Animas in uulnere reddunt.* Virg. *Georg.* lib. iiI. u. 495.

. . . . . *animas plena ad praesepia reddunt.*

et lib. IiiI. u. 238. . . . . *animasque in uulnere ponunt.*

V. 1132. *conculcans.* Ms. *conculsans.*

V. 1134. *Diripit ille* cet. Ms. *Dirupit ille* cet.

V. 1135. *Hic pulsat tardos conuersa cuspide asellos.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 273. . . . . *tardi costas agitator aselli.* *Aen.* lib. I. u. 85. . . . . . *conuersa cuspide montem.*

V. 1136. *tarda moueri.* Ms. *tarua nusquam.* Virg. *Aen.* lib. III. u. 700. . . . . *et satis nunquam concessa moueri.* et lib. VI. u. 256. . . . . . . *et iuga coepta moueri.*

V. 1137. *Solus equus currit iam campis nudus apertis.* Ms. *Solus eques* etc.; sed pro *equus* facit epitheton *nudus*, idest absque ephippio et froeno.

V. 1143. *Quis, quisnam est,* cet. Ms. *Quisquis est* cet.

V. 1144. *solatia praestat?* Ms. *sollatia prestet.*

V. 1145. *Dum tu.* Ms. *Dumque.*

V. 1146. *metallum.* Ms. *maxillum.*

V. 1148. *circumfusus.* Ms. *circomfusus.*

V. 1149. *terrens uariis per deuia fatis.* Ms. *externens uariis* etc. Virg. *Aen.* lib. III. u. 450.

. . . . *fatis exterrita dido.*

V. 1152. *Proiiciunt.* Ms. *Proiciunt.*

V. 1154. *Solomonis signa retollunt.* De nouo hoc uerbo addendo Lexicis Latinis uide supra ad lib. II. u. 330. Procopius *De Bello Vand.* lib. II. cap. XXVIII. T. I. pag. 305. refert: *Iohannem, ut Africam attigit, statim inito cum Antala ac Mauris Byzacenis proelio multos occidisse, et recepta ad unum omnia Salomonis signa Imperatori misisse.*

V. 1160. *Dant gemitus miseri.* Ms. *miseros.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 409.

Quosue dabas gemitus?

V. 1161. *concretus.* M. *concretos.*

V. 1168. *Fecit ut ante semel.* Mentionem hic iniicit Poëta noster Christianus de eo, quod accidit populo Hebraeo, dum pugnaret sub duce Iosue, ut legitur in huius libro cap. X. u. 13-4.

IN LIBRVM V.

N O T A E.

V. 1. *Victores placidam Romani nocte quietem.* Ms. *Victoris* etc. Quod tueri possem auctoritate Carisii lib. I. p. 111.; ut iam monui ad lib. I. u. 197. Virg. *Aen.* lib. I. u. 695. . . . . *placidam per membra quietem.*

V. 2-3. . . . . *sed castra uicissim*
Conseruant laeti et uigiles.

Ms. *lucri et ugiles.* Ouid. *Metamorph.* lib. XII. u. 148.
Dumque uigil Phrygios seruat custodia muros.

V. 7. *Virtutemque nouat captae spes addita praedae.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 263.
. . . . *spes addita suscitat iras.*

V. 9. *Maurorum interea, noctis defensa tenebris.* Ms. *Murorum interea* etc. Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 658.
Defensi tenebris, et dono noctis opacae.

V. 11. *iuuat.* Ms. *iuuiat;* sed *iuuat* est apud I. L. De Bonis in Poëmate *pro Gal. Vicecom.* lib. I. u. 937. iuxta Cod. A. 274.

V. 18. *montana flagellis.* Ms. *fragellis.* Pro uoce *montana* uide ad lib. II. u. 56.

V. 19. *Nocte silente.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 527., et lib. VII. u. 87 desinunt . . . . *nocte silenti;*
et u. 102-3. . . . . *silenti*
Nocte.

V. 20. *Exagitat, solidum quatiens leuis ungula campum.* Ms. *Exagitant;* sed apud De Bonis l. c. u. 872. in Cod. A. 275. *Exagitat.* Aliquo modo hoc loci imitatus est auctor Virgilii *Aen.* lib. VIII., u. 596., et lib. XI.

u. 875. quorum prior desinit:

. . . . . *putrem quatit ungula campum.*

et alter . . . . *putrem cursu quatit ungula campum.*

V. 21. *Altera* etc. In margine legitur: *Nota uariam descrictionem* (sic) *diei uenientis et facientis alacritatem de uictoria reddentis laudes Deo.*

V. 22-3. *Oceano reserata dies. Turbatur anhelis*
Aequor, et ardet, equis.

Val. Flacc. lib. I. u. 655.

Emicuit reserata dies.

Virg. *Georg.* lib. I. u. 250., et *Aen.* lib. V. u. 739.

. . . . *equis oriens afflauit anhelis.*

Item. Ouid. *Metamorph.* lib. XV. u. 417.

Equi anheli solis.

V. 26. *Dominum uirtutis. Psal.* XXIII. u. 10. *Dominus uirtutum; Ps.* XXXXVII. u. 9. *in ciuitate Domini uirtutum; Ps.* LXVIII. u. 7. *Domine, Domine uirtutum;* et *Ps.* LXXXIII. u. 2. 4. et 13. *Domine uirtutum.*

V. 30. *Sic prior alloquitur: Quae.* Ms. *quem.* In margine autem additur *Oratio.*

V. 33. *Non Albis populos, saeua non Perside uidi* cet. Silent historici ueteres, quo tempore, quaue occasione bellum inierit Iustinianus ad Albim; sed ex hoc loco constat saltem non iniuria se uocauisse *Alamannicum* et *Germanicum;* de quibus praecipue titulis disputat Guill. Henr. Brucknerus in libello, quem nondum uidi, inscripto: *Iurene an iniuria Iustinianus* illa *nomina usurpauerit.* Fateor tamen, potuisse Iohannem cum *populis Albis* manus conserere non ad Albim, sed alibi, praesertim cum iidem populi, fortasse cum Francis, quorum subditi facti fuerant a Theodeberto, pro Gothis pugnantes, a Narsete caesi fuerunt. Vide Inuernizzi

De Rebus gestis Iustiniani Magni lib. XI. n. XIII. et seq. p. 157. et seqq., et Eckhel *Doctr. Numor. ueter.* To. VIII. p. 209. et seq. Imo hisce de titulis Iustiniani praestat audire Paulum Diaconum, qui lib. I. *De Gestis Longobardorum* cap. XXV. ap. Murator. *Rer. Italicar. Scriptor.* To. I. p. 420. haec testatus est: *Per Belisarium Patricium Persas fortiter* (Iustinianus) *deuicit, perque ipsum Belisarium Wandalorum gentem, capto eorum Rege Gelismero, usque ad internecionem deleuit, Africamque totam post annos nonaginta et sex* (al. *septem*) *Romano Imperio restituit. Rursumque, Belisarii uiribus, Gothorum in Italia gentem, capto Withicis eorum rege, superauit. Mauros quoque post haec Africam infestantes, eorumque regem Attilam* (al. *Antalam*) *per Iohannem Exconsulem* (al. *Proconsulem*) *mirabili uirtute protriuit, pari etiam modo et alias gentes belli iure compressit. Quam ob causam propter horum omnium uictorias, ut Alamannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Wandalicus, Africanusque diceretur, habere haec nomina meruit.* Pro *Perside* in Codice est *perfide;* sed recole, quae de Iohanne supra lib. I. auctor noster testatus est u. 58.

Expulit ut Persas etc.

Vide etiam ibid. u. 449., ubi pariter pro *in Perside* male Codex habebat *imperfide*, et lib. IIII. u. 893. rursus occurrit in Ms. *perfida* pro *Persica.*

V. 35. *Intrepido totiens uultu.* Ms. *Intrepido quotiens* cet. Ouid. *Metam.* lib. XIII. u. 478.

Pertulit intrepidos ad fata nouissima uultus.

V. 37. *Et nostri uirtute Dei.* Phrasis frequens in libris sacris, ut *Sapient.* cap. VII. u. 25. *uapor est enim uirtutis Dei;* *Ecclesiastic.* cap. L. u. 23. *uolens*

ostendere uirtutem Dei; Machab. lib. iI. cap. iiI. u. 24. *ruentes Dei uirtute,* u. 28. *Dei cognita uirtute,* et u. 38. *Dei quaedam uirtus,* et cap. VIIII. u. 8. *manifestam Dei uirtutem;* Matth. cap. XXII. u. 29. *nescientes scripturas, neque uirtutem Dei;* et alibi passim in Nouo Testamento, ubi saepe *uirtus Dei* etiam uocatur ipse *Christus,* ueluti patet ex *Epistola ad Corinthios* I. cap. I., ubi S. Paullus u. 24. *Christum Dei uirtutem* dicit.

V. 38. *Nunc Libycos fines solito custode tueri.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 568.

. . . . . . *et late fines custode tueri.*

V. 40. *Ocius.* Ms. *Otius.*

V. 41-3. . . . . *celsos indagine montes* cet.
Cingite. . . . . . . Virg. *Aen.* lib. IiiI. u. 121.
. . . . *saltusque indagine cingunt.*

V. 44. *Maura.* Ms. *maurox.*

V. 46. *Subiiciet, pacemque petet.* Ms. *Subicient. pacemque petent.*

V. 47-8. . . . . *aut ultima mundi*
Appetet arua. . . . . Virg. *Aen.* lib. VI. u. 477-8.
. . . . *iamque arua tenebant*
Vltima.

V. 49. *Byzacii.* Ms. *Bizacii.*

V. 50. *Massylas.* Ms. *Massilas.*

V. 51. *Sollicitis tristes gladiis urguere phalanges.* Ms. *Sollicitas* . . . . *falanges.*

V. 52. *Et procul a nostris.* Ms. *Et nostris procul.* V. infra u. 244.

V. 53. *et cuncti dicto parere fatentur.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 433. . . . . . . *et dicto parere fatetur.*

V. 58. *felix Carthago.* Plures exstant numi cum epigraphe *Felix Carthago,* praecipue sub Maximiano

Herculeo eiusque filio Maxentio, nec non sub Hilderico rege, signati.

V. 59. *Iustiniana.* Sic uocata fuit Carthago teste Procopio *De Aedificiis Iustiniani* cap. V., ubi iuxta uersionem Maltreti Operum To. II. Parte priori p. 114. haec leguntur: *Ac primum Carthagini, quam hodie Iustinianam iure meritoque appellant, curam impendens* (Iustinianus), *muris, quae passim ruinam dederant, omnino reparatis, nouam fossam circumdedit.* Imo ipse imperator *Nouella* CXXXI. *Iustinianae Carthaginis* meminit sub anno DXLI. Vide et Alemannum in *Notis* ad Procopii *Historiam Arcanam* cap. XI. p. 49. edit. Lugdunensis 1623., uel p. 125. edit. Parisiensis 1663., nempe Operum To. II. Parte posteriori.

V. eod. *excepit.* Ms. *excipit.*

V. 61. *Ingreditur uictor* cet. In margine legitur: *Nota qualiter Iohannes ingreditur urbem cum magno triumpho. et alacritate.*

V. 63. *Sidonii patres.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 682-3. *patresque Sidonios* uocat *Senatum Carthaginis,* ut interpretatur Seruius.

V. 65-7. *Conueniunt fessique senes, pauidaeque puellae,*
Visendi studio: stantes per moenia matres
Aspiciunt, uariisque modis per gaudia plangunt.

Virg. *Aen.* lib. XII. u. 131-3.

Tum studio effusae matres, et uulgus inermum,
Inualidique senes, turres et tecta domorum
Obsedere: alii portis sublimibus astant.

Phrasis *per gaudia* legitur etiam in epigrammate Romae insculpto in Ponte Salario, quem Narses, uictis Gothis, collapsum uetustate restituit. Edidit illud Bonada inter *Carmina ex antiquis Lapidibus* To. II. p. 528.,

sed satis corrupte; unde praestat idem petere ex Grutero p. CLXI. n. 2., et hic recitare; quia, si Corippus noster eiusdem auctor non est, certe est opus Poëtae eiusdem aeui.

Quam bene curbati directa est semita pontis,
Atque interruptum continuatur iter.
Calcamus rapidas subiecti fluminis undas,
Et libet iratae cernere murmur aquae.
Ite igitur faciles per gaudia uestra Quirites,
Et Narsim resonans plausus ubique canat.
Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre iugum.

V. 68. *Contingunt animos.* Val. Flacc. lib. VII. u. 173.
. . . . *animum contingere cura.*

V. 71. *Gentibus ut dubias patefecit in ordine portas.* Mss. *Gentibus ut dubias parte fecit* cet. Sueton. *Caes.* cap. IV. *dubias ciuitates.*

V. 73. *quantis.* Mss. *quantas;* sed *quantis* est apud De Bonis l. c. u. 889. Cod. A. 275.

V. 76-7. . . . . *omnis miratur et aetas,*
Bellica signa cet. Mss. *Bella signa;* sed De Bonis l. c. u. 893. habet *Bellica signa.* In margine autem Codicis Corippi legitur: *(Nota) quod ciues mirantur uidere armigeros rubiginosos et asperos.*

V. 79. *conos.* Mss. *canos;* quam uocem mutauit De Bonis l. c. u. 895. in *fortes;* sed idem in Cod. A. 274. p. 234. Ecloga, cui tit. *Aretium,* habet *conos.*

V. 80. *frena, comas, arcus, pharetrasque sonantes.* Ms. *frea* cet.; sed apud De Bonis tribus in locis legitur *frena.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 660.
. . . . . *pharetramque fuga sensere sonantem.*

V. 82. *Massylo.* Ms. *massilo.*

V. 83-4. . . . . *inscripta ut fronte camelis*
Impauidae sedeant.

Ms. . . . . *inscripta fronte camelis*
Impauide sedeant.

Plinius *Hist. Natur.* lib. VIII. cap. III. sub fin. *inscriptique uultus.*

V. 85. *ausae.* Ms. *alie.*

V. 87. *laborant.* Ms. *laborans;* unde fortasse legere poteris *labores.*

V. 89. *seruire.* Ms. *sentire.*

V. 90. *poenituitque malum.* Cic. *Tuscul. Quaest.* V. cap. XXVIII. *Sapientis est proprium, nihil, quod poenitere possit, facere;* et lib. II. *De Inuentione* cap. XIII. *Quaeri oportet, utrum id facinus sit, quod poenitere fuerit necesse.* Si autem non placet *malum,* ut habet Codex, corrigi poterit *mali.*

V. 94. *Coruorum ueluti* etc. In margine est *Comparatio.*

V. 95. *Matre sedente super.* Pro *desuper,* ut Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 168.

Hae super e uallo prospectant Troes.

Item Lucan. *Pharsal.* lib. VI. u. 291.

Cum super e totis emisit collibus agmen.

V. 97. *paruis ostendere natis.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 413. . . . . *paruos educere natos.*

V. 98. *limina.* Ms. *lumina;* sed De Bonis in Poëmate *de Laudib. Gal. Vicecom.* lib. I. u. 975. iuxta Cod. A. 274. habet *limina.*

V. 99. *Magnanimus ductor* etc. In margine adest haec nota: *Intrat templum uictor, et representat signa deo.*

V. 100. *Orauit Dominum caeli terraeque marisque.* Ms. *terrisque marisque.* Sed De Bonis l. c. u. 902. iuxta Cod A. 275. et u. 977. iuxta Cod. A. 274. habet:

terreque marisque. Corippus noster *De Laud.* lib. iI. u. 161-2. . . . . *caelique potentem*

Exorans Dominum.

V. 101. *munus.* Ms. *minus;* et *manus* in Cod. A. 274.

V. 103. *Christique Patri.* Ms. *christoque pater;* et Cod. mox cit. u. 98. *Christusque pater.*

V. 104. *Syrticus interea Carcasan* etc. Ms. *cartasan,* et in margine legitur: *Cartasan deplorat sua infortunia.* De ratione scribendi hoc nomen uide supra ad lib. IiiI. u. 639.

V. 106. *lacrimis affatur obortis.* Ms. *abortis.* Virg. *Aen.* lib. iiI. u. 492. . . . . . *lacrimis affabar obortis.*
lib. IiiI. u. 30.

Sic effata, sinum lacrimis impleuit obortis;

lib. VI. u. 867. . . . . *lacrimis ingressus obortis;*
et lib. XI. u. 41. . . . . *lacrimis ita fatur obortis.*

V. 114. *deorum.* Ms. *decorum.*

V. 116. *Non ita uult Ammon; non unquam numina Gurzil.* Ms. *Non ita uult amonon. nam qui numina Gurzil.* In margine legitur *Amon.*

V. 117. *dolent.* Ms. *dolet;* quod fortasse retineri poterat.

V. 121. *Aequoris oceani.* Ms. *Equoreis oceiani.*

V. 122. *thetis? Tot et, igne recusso.* Ms. *tetis. tot et igne decusso.*

V. 123. *Astra cadunt.* In margine *Comparatio.*

V. 125. *haud.* Ms. *haut.*

V. 126. *Consulite, et rebus celeres succurrite uestris.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 935.

Consulite in medium, et rebus succurrite fessis.

V. 127. *Bruten* etc. In margine legitur: *Nota, quod iste Bruten fecit, ut Scipio, dum Annibal confregit Romanos apud Cannas.*

V. 130. *potes.* Ms. *potest.*

V. 135. *extendant.* Ms. *extendat.*

V. 139. *confossus ponam sine crimine uitam.* Ms. *confessus* etc. Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 550. desinit pariter:

. . . . *sine crimine uitam.*

V. 140. *Tu nostrae gloria gentis.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 767.

Troianae gloria gentis.

Iudith cap. VI. u. 10. *Tu gloria Ierusalem.*

V. 141. *tu spes fidissima Mauris.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 281. . . . . *spes o fidissima Teucrum.*

V. 142. *clamore sequuntur.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 466., et lib. X. u. 799. iisdem desinunt uerbis. In margine Codicis adest haec nota: *Creatur dux carcasan.*

V. 143. *omnibus unum.* Iisdem uerbis desinunt apud Virg. *Aen.* lib. III. u. 435., et lib. X. u. 201.

V. 147. *corniger Ammon.* Sic est apud Ouid. *De Arte amandi* lib. III. u. 789. V. ad lib. II. u. 110.

V. 152. *Asper* etc. In margine legitur haec nota: *Incipitur sacrifitium, et nota modum sacrificandi.*

V. 154. *Saltusque.* Ms. *sultusque.* V. lib. III. u. 91. et seqq.

V. 157. *feruore.* Sic legitur etiam adhuc in Codice, etsi a posteriore manu deleta fuerit litera *f,* ita ut fere legas *cruore.*

V. 160. *Vt uero toto percepit pectore numen.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 356.

Necdum animus toto percepit pectore flammam.

V. 161. *Suspicit.* Ms. *Suscipit.*

V. 166. *Languantensis.* Ms. *illaguatensis.*

V. 167. *Mazax.* Ms. *marzax.* V. ad lib. I. u. 549.

V. 168. *Byzacii.* Ms. *Bizacii.*

V. 169. *alma quies.* Tibull. lib. I. El. XI. u. 67. *alma pax.* A Corippo autem hoc loci posita est *quies* pro *pax.* Virgilius uero *Aen.* lib. VI. u. 522. dixit *alta quies,* quia ibi *quies* idem est ac *somnus.*

V. 170. *portis ingressus apertis.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 585. . . . . *exierat portis equitatus apertis.*

V. 176. *Subiiciet gentes; et foedera pacis amabunt.* Ms. *Subiacet* etc.; postrema autem uox uersus non satis clara est in priori syllaba, utpote paullulum immutata a recentiori manu. Hinc pro *amabunt* legere poteris etiam *inibunt,* ut *De Laud.* lib. I. u. 142.

Foedere seu pacis cum uictis uictor iniret.

V. 177-8. . . . . *conturbans spiritus ora*
Obstruit.

Ms. *Obtruit.* Virg. *Georg.* lib. IiiI. u. 300-1.

. . . . *et spiritus oris*
Multa reluctanti obstruitur.

V. 180. *Massylas.* Ms. *Massilas.*

V. 181. *Insidiasque.* Ms. *Insidieque.*

V. 182. *Byzacii.* Ms. *Bizacii.*

V. 185. *Carcasan.* Ms. *Carthas an.*

V. 186. *ibit.* Ms. *ibat.*

V. 187. *Infixum rigido uidit caput Africa conto.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 346.

. . . . . *et rigida Dryopen ferit eminus hasta.*

V. 188. *Mentis inops nimium responsis fisus iniquis.* Ms. *fixus iniquis.* V. ad lib. iiI. u. 293. Virg. *Aen.* lib. IiiI. u. 300.

Saeuit inops animi.

et Ouid. *Fast.* lib. IiiI. u. 457. . . . . . *inops mentis.*

V. 189. *Horrida bella.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 86.

. . . . *bella, horrida bella;*

et lib. VII. u. 41. . . . . . . *dicam horrida bella.*

V. 191. *a Syrtibus alae.* Ms. *a sirtibus ala.*

V. 192. *regni.* Ms. *regnis.*

V. 197. *quisquis Syrtica.* Ms. *quis sirtica.*

V. 198. *Asper arat Nasamon, et qui Garamantidos aruis.* Ms. *Asperat namason. Si quis garamantidos aruis.* Nusquam reperitur *Namason;* sed *Nasamones* populi sunt Libyae ad Syrtim magnam, et alii in Marmarica finitimi Garamantibus. Lucan. *Pharsal.* lib. VIIII. u. 439.

Quas (herbas) *Nasamon gens dura legit, qui proxima ponto*
Nudus rura tenet, quam mundi barbara damnis
Syrtis alit.

Vide Cellar. *Notit. Orbis antiqui* lib. IV. cap. iI. P. iiI. p. 115. De Garamantibus uero uide ibidem cap. VIII. p. 223. et seqq.

V. 199. *Pinguis qui margine Nili.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 31. . . . . *aut pingui flumine Nilus.*

V. 205. *Vere nouo.* Virg. *Ecl.* X. u. 74.
Quantum uere nouo etc.; et *Georg.* lib. I. u. 43. incipit *Vere nouo.*

V. 206. *aceruum.* Ms. *arene.* Posui *aceruum* idest *exercitum male coactum.* Fortasse alii melius sanabunt hunc uersum.

V. 210. *Victus ut* etc. In margine *Comparatio.* Ea est petita a congressu Antaei cum Hercule, quem fuse descripsit Lucanus *Phars.* lib. IiiI. a u. 621. ad 653.

V. 212. *Tirynthius.* Ms. *terrinteus.*

V. 213. *summis complexus uiribus hostem.* V. ad lib. IiiI. u. 1104.

V. 219. *liquit.* Ms. *liquid.*

V. 222 *conterritat.* V. ad lib. iI. u. 54.

V. 225. *Et Tripolis uastare agros: Carthaginis altae.* Ms. *Et tripolis uastare castra* etc. Virg. *Aen.* lib. IiiI. u. 97. et 265. desinunt pariter . . . . *Carthaginis altae.*

V. 226. *Carcasan.* Ms. *Carthasan.*

V. 231. *Virtutem indomitam melior sapientia uincens. Ecclesiastes* enim dixit cap. VIIII. u. 16. *meliorem esse sapientiam fortitudine,* et u. 18. *Melior est sapientia quam arma bellica.* Imo *Sap.* cap. VI. u. 1. *Melior est sapientia quam uires, et uir prudens quam fortis.*

V. 238. *Victus* etc. In margine *Oratio.*

V. 240. *Hic Tripolis.* Ms. *Hic tripodes.* V. supra u. 225. *Et Tripolis uastare agros* etc.

V. 244. *finibus.* Ms. *uiribus.* Vide paulo supra u. 52.

V. 245. *propriis.* Ms. *suis.*

V. 246. *locique.* Ms. *locisque.*

V. 248. *Perdidit ipsa suas.* Ms. *Perfodit ipsa suos.*

V. 249. *defessa.* Ms. *disfessa.*

V. 250. *famem.* Ms. *famam.*

V. 251. *Byzacii.* Ms. *Bizacii.*

V. 257. *omnis.* Ms. *omnes.*

V. 260. *Despiciunt, animosque truces, uirtute feroci.* Ms. *Despiciunt animosque truces acies uirtute feroci.*

V. 261. *erectas.* Ms. *eractas.*

V. 266. *comitesque.* Ms. *comites.*

V. 267. *Massylasque.* Ms. *Masilasque.*

V. 268. *Cusina.* Ms. *Cosma.*

V. 272. *carent. Namque africus illic.* Ms. *calent. namque affricus ille.*

V. 275. *Afer anhelus, inops Stygias rimatur et undas.* Quia scilicet, tam profunde excauandis puteis aquae inueniendae caussa, uiderentur uelle usque ad inferos penetrare, uel e Stygio flumine haurire, unde sitim explerent.

V. 278-9. . . . . . . *Abylae Tingensis ad arua Improba.*

Ms. . . . . *lagila tangentis ad auras*
Improbat.

Mons *Abyla* est excelsus Africae in ora Mauretaniae Tingitanae prope urbem Tingin, hodie *Tanger.* Ab Auieno in *Periegesi* dicitur *Maura Abyla;* quare dici potuit a nostro Poëta etiam *Tingensis* a proxima urbe, quae nomen dedit prouinciae Tingitanae. Vide Cellar. *Orbis antiqui Notit.* lib. IV. cap. VII. P. iiI. p. 206. et seqq.

V. 280. *Byzacii.* Ms. *Bizatii.*

V. 284. *trepidant; uultus memorantur acerbi.* Ms. *tremunt uultus memorantur acerbos.*

V. 285. *Gadaias.* De hoc nomine nihil reperi apud antiquos geographos. Fortasse Abylae proximi illi septem montes, appellati *Septem Fratres,* de quibus uide Cellar. loco cit. cap. iiI. p. 207., *Gadaiae* uocabantur lingua Punica. Procopius *De Aedif.* lib. VI. cap. IV. Opp. T. iI. p. 113. ait: *Gadabitanos, finitimos* (Lepti magnae) *Barbaros, qui ad hanc aetatem Graecanicae impietati dediti fuerant, modo perpulit* (Iustinianus), *ut toto animo se Christo adiungerent.* Anne fuerunt isti incolae Gadaiae?

V. 286. *tristesque locos, quîs nullus eundi.* Ms. *tristes locos quis nullus eindi.*

V. 287. *ulla.* Ms. *illa.*

V. 289. *fulminis ignîs.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 177. desinit pariter. . . . . *fulminis ignes.*

V. 290. *impune. . . . . margine.* Ms. *impone . . . . magine.*

V. 291. *Flamina.* Ms. *Flumina.*

V. 295. *iussit.* Ms. *uix.*

V. 296. *Sui.* Ms. *Sibi.*

V. 304. *scrutatur.* Ms. *scruptator.*

V. 307. *Expetiere.* Ms. *Expauere.*

V. 308. *Adrastus latis sitiens.* Ms. *Adastrus latis sentiens.* Quae hic tangit Poëta, fusius descripsit Statius libro IIII. *Thebaidos* a u. 651. ad 738.

V. 309. *erumpens.* Ms. *et rumpens.*

V. 310. *Miles Romanus: Si* etc. Ms. *Milex armatus ait si* etc.

V. 313. *ueniant.* Ms. *neniat.*

V. 315. *atque animas tantum per uulnera fundat.* Ms. *atque manus* etc. Virg. *Aen.* lib. I. u. 102.

. . . . *tuaque animam hanc effundere dextra.*

V. 316. *Cur nos.* Ms. *Cur uos.*

V. 317. *longa sic morte fatigat?* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 488. . . . . *longa sic morte necabat.*

V. 318. *Sit gladiis.* Ms. *Sit gladius.*

V. 319. *fame.* Ms. *famem.*

V. 323. *lumina mersa.* Ms. *lumine merso.* Quinctil. *Declam.* XVIIII. cap. IIII. *mersis deiectisque luminibus.*

V. 328. *Talia saepe monens.* Ms. *Talia sepe mouens.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 650.

Talia perstabat memorans.

In margine est *Oratio.*

V. 336. *Exitiis.* Ms. *Exitus.*

V. 337. *Romanus, et instat.* Ms. *Romanis et instar.*

V. 338. *tentate, duces.* Ms. *tentare truces.*

V. 339. *zona rubens.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 233-4.

Quinque tenent caelum zonae: quarum una corusco
Semper sole rubens, et torrida semper ab igni.

V. 340. *magnoque Catone.* Porcium Catonem censorem constat adhuc iuuenem interfuisse secundo bello Punico sub Fabio Maximo, et postmodum in Africa

fuisse quaestorem. Fuit et alter Cato imperator in Africa, ubi sibi mortem consciuit Vticae, ex qua Vticensis uocatur: de priore autem hic puto mentionem facere Poëtam; nam *magnum* eum dicit, uti fecerat Virg. *Aen.* lib. VI. u. 841.

Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat.

V. 341-2. . . . *legent, quoque et hanc petiisse, minores.*
Vincat amor patriae mortem.

Ms. . . . *legent quoquo hanc scripsisse minores.*
Vincat amor patrie mentem.

Virg. *Aen.* lib. VI. u. 822-3.

. . . . . *utrumque ferent ea facta minores:*
Vincet amor patriae.

V. 343. *Flumine purpureo.* Ms. *Flumine pusapio.*

V. 345-6. . . . . . . *ceu pectora flumine dulci*
Cuncta rigans, uariis epulis

Ms. . . . . *uariis ceu flumine dulci*
Pectora cuncta rigans epulis.

V. 348. *robore.* Ms. *robora.*

V. 352. *palluit herbis.* Virg. *Ecl.* VI. u. 54.

. . . . *pallentes ruminat herbas.*

et Rutil. lib. I. u. 480.

Cum pallent herbae.

V. 353. *rubuerunt floribus agri.* Virg. *Georg.* lib. IIII. u. 306.

Ante nouis rubeant quam prata coloribus.

V. 355. *discurrit.* Ms. *et disscurrit.*

V. 357. *mala gramina pastus.* Sic desinit Virg. *Aen.* lib. II. u. 471.

V. 369. *Facilem iam iam aëra sentit.* Ms. *facilem iam orrea sentit.*

V. 370. *adpropians.* Ms. *ad proprians.* Miror Forcellinum ad calcem sui *Lexici totius Latinitatis* inter *uerba*

a se *improbata et expulsa* reiecisse *Appropiare* Tomo IV. p. 589.; quamuis *Propio, as,* minus usitatum ab antiquis scriptoribus, retinuerit, allato unico exemplo S. Paulini Nolani, cui adiici nunc potest alterum ex nostro auctore lib. IiiI. u. 589. Saue antiquus Interpres Sacrorum Librorum pluries usus est uerbo ipso *Appropio,* in illis nempe omnibus fere locis, ubi in Vulgata noua Versione legitur *Appropinquo,* uti uidere est apud Sabatier *Biblior. Sacror. antiq. Version.* tum in textu, tum in notis. Idem praeterea constat ex ipsa antiqua Versione Psalmorum, qua utitur etiam num clerus Mediolanensis. Imo in ipsa Vulgata Versione adhuc superest idem uerbum duodecies, quod quisque uidere potest ex *Concordantiis* eius. Hinc Io. Math. Gesnerus in *Thesauro Linguae Latinae et Romanae Eruditionis* uerbum ipsum *Appropio* receperat adiecto hoc exemplo: *Vulgat. Luc.* 10. 34. *Appropians alligauit uulnera eius, idest accedens.*

V. 371. *siccis tunc faucibus ipsi.* Ms. *siccis tunc faucibus ipsis.* Virg. *Georg.* lib. IiiI. u. 427-8.

> . . . . *et caua flumina siccis*
> *Faucibus* etc. Item *Aen.* lib. iI. u. 358.
> *Faucibus exspectant siccis* etc.

V. 372. *Impressant.* Desideratur hoc uerbum in Lexicis Latinis, et rursus occurrit infra lib. VI. u. 347.

V. eod. *tinguunt.* De ratione scribendi hoc uerbum apud aliquos ex antiquis auctoribus eadem proferre possem, quae iam retuli ad *urguebat* lib. iiI. u. 184.

V. 375. *Sparsere.* Sic in Codice. An *fugere?*

V. 378. *destituunt contemti.* Ms. *distituunt contenti.*

V. 383. *tondet.* Ms. *tondent.*

V. 385. *puppes.* Ms. *pubes.*

V. 386. *Vectantes*. Ms. *Vettantes*. Hoc participium desideratur in Lexicis Linguae Latinae.

V. 390. *Vrceliana*. Sic in Codice, uel *Yrceliana*.

V. 391. *Astrices*. V. ad lib. II. u. 75.

V. 392. *Errantes habuere domos: gens aspera bellis*. Ms. *Horrantes habuere domus* cet. Iustin. lib. II. cap. III. *gens laboribus et bellis aspera*.

V. 394. *uenientis*. Ms. *uenientes*.

V. 397. *Accipit*. Ms. *Accipe*.

V. 399. *Tua, maxime rector*. In margine est *Oratio*.

V. 411. *miseranda manus!* V. ad lib. IIII. u. 200. et 810.

V. 413. *Recinari*. Ms. *ricinari*.

V. 418-9. . . . . *Prò, pessima uentrem*
Turba colens etc. Hic uidetur respexisse auctorem ad illud Paulli *ad Philipp.* cap. III. u. 19.: *quorum Deus uenter est*.

V. 423. *Noster* etc. In margine est *Oratio*.

V. 426. *Parcere subiectis*. Sic incipit Virg. *Aen.* lib. VI. u. 853.

V. 430-1. . . . . *retinete meam. Genus omne manebit*
Securum Astricum nostro sub principe pollens.

Ms. . . . . *retinere meam. genus omne manebit*
Secum astricum etc.

Plaut. *Captiu.* Act. II. Sc. II. u. 28. iuxta editionem F. M. Auellini Neapoli 1807. p. 23.

Quod genus illic est unum pollens atque honoratussimum.

V. 432. *Haec fatus, donis onerat*. Ms. *Nec fatus* etc. Virg. *Aen.* lib. II. u. 721., et lib. V. u. 421. incipiunt pariter:

Haec fatus. . . . . ; et lib. III. u. 485.
Textilibusque onerat donis: et talia fatur.

V. 433. *natos*. Ms. *nato*.

V. 434-5. . . . . *Virtute Latinos*

Et probitate. Ms. *Et proprietate.* Cic. *Orat. pro Planc.* cap. XXV. *Virtus, probitas, integritas . . . . in candidato requiri solet.*

V. 436. *composta pace recedunt.* Virgilius usus est eadem syncope *Aen.* lib. I. u. 253.

. . . . *placida compostus pace quiescit.*

V. 441. *undique.* Ms. *indique.*

V. 442. *usquam.* Haec uox deest in Codice.

V. 445. *gentisque nefandae.* Virg. *Aen.* lib. iiI. u. 653.

. . . . *gentem effugisse nefandam.*

V. 446-7. . . . . *Redit improba martis*

Syrtica sorte manus.

Ms. *redit improba mortis* cet. Virg. *Aen.* lib. XI. u. 110.

. . . . *et Martis sorte peremptis.*

V. 448. *Explorator.* Ms. *splorator.*

V. 453. *dubiique.* Ms. *dubiisque.*

V. 455. *oceani.* Ms. *occiani.*

V. 457. *Luctificum titana trahens, et fata.* Ms. *Lutificum titana trahens et feta.* Lucan. *Phars.* lib. VII. u. 2-3.

Luctificus Titan nunquam magis aethera contra
Egit equos.

V. 458. *abscondunt.* Ms. *ascondunt.*

V. 459. *squalenti lumine.* Ms. *scalenti lumine.* Stat. *Theb.* lib. I. u. 646. . . . . . . *squalente die.*

V. 460. *Nuntius.* Ms. *Nunctius.*

V. eod. *sub nocte silenti.* Sic desinunt Virg. *Aen.* lib. IiiI. u. 527. et lib. VII. u. 87.

V. 462. *Seu rursus.* Ms. *seu sensus.*

V. 463. *tendit.* Ms. *tentat.*

V. 464. *Astricum gens castra locis. Manifesta relatu.* Ms. *Astriricum gens castra locis* etc. Vide, an pro *locis*

legendum sit *focis*. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 595. desinit:

. . . . . . *digna atque indigna relatu.*

V. 468. *Cusina fidus adest, multa stipante caterua.* Ms. *Cosma* etc. Vide ad lib. II. u. 408.; Virg. *Aen.* lib. I. u. 501 . . . . . *magna iuuenum stipante caterua.* et lib. IIII. u. 136. . . . . . *magna stipante caterua.*

V. 470. *Hinc furtim transire parat defectus.* Ms. *Hunc* . . . . *defettis.*

V. 473. *facilis labor. Amnis opacus.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 79. . . . . *facilis labor.* et *Aen.* lib. VII. u. 36. . . . . . *fluuio succedit opaco.*

V. 475. *Arboribus septus uariis et arundine glauca.* Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 95-6. . . . . *uariisque teguntur*
Arboribus.
et lib. X. u. 205-6. . . . . . *uelatus arundine glauca*
Mincius.

V. 481. *uel sistere contra?* V. ad lib. II. u. 229.

V. 482-3. . . . . *comtas iubet ire cohortes*
Per numeros turmasque suas. Tunc.
Ms. *te* habet pro *tunc*. Lib. III. *De Laudibus*. u. 179-81.
. . . . *Imitatur olympum*
Officiis Augusta domus, sic omnia clara,
Sic numeris bene comta suis.
V. infra ad lib. VI. u. 137.

V. 484. *Conglomerat.* Ms. *Conglumerans.*

V. 486. *Gallica.* Fortasse est mons *Gallida*, cuius mentio est supra lib. II. u. 77.

V. 489. *Alternae posuere acies.* Ms. *Alterne.* Hic *alternae* est pro *ambae* poëtice, ut uidere est apud Forcellinum. Pro sequenti *posuere* est notandum, locutionem fere similem inueniri in Vulgata *Gen.* cap. XXX. u. 36. *Et posuit spatium itineris trium dierum inter se, et generum* etc.

V. 494. *labentia flumina tantum.* Virg. *Georg.* lib. II. u. 157.

Fluminaque antiquos subter labentia muros.

et lib. IIII. u. 366. desinit

. . . . *labentia flumina terra.*

V. 497. *Implesset.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 605. incipit; *Implessemque.*

V. 501. *comti, subito.* Ms. *conti solito.*

V. 502. *clangore.* Ms. *glongore.*

V. 503. *Praeceptis.* Ms. *Precettis.*

V. 505. *fatis currebat iniquis.* Ms. *satis currebat iniquis.* Tribus in locis legitur apud Virg. *fatis iniquis*, ut adnotaui iam ad lib. IIII. u. 897.

V. 508. *condensis.* Ms. *non densis.* Poëta noster indiscriminatim et saepe utitur adiectiuo *densus* et *condensus.*

V. 509. *conserit hastis.* Ms. *conserit astijs.* De uerbo *conserit* uide ad lib. IIII. n. 864.

V. 510. *figitque.* Ms. *fugitque.*

V. 512. *munibat.* Apud ueteres exisse imperfectum quartae coniugationis uerborum etiam in *ibam*, et futurum in *ibo*, ut *scibam, scibo*, nos docent grammatici, et inter alios Christoph. Cellarius in sua *Grammatica Latina* aucta a Ioh. Math. Gesnero § 101. pag. 56. edit. Mersburgi 1746.

V. 513. *fossasque et castra.* Ms. *fossasque castra.*

V. 514. *tantum ob fluminis undam.* Ms. *tm* omissa lineola superiori, ex qua conficitur *tantum.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 389., lib. VI. u. 714., et lib. X. u. 833. desinunt . . . . *ad fluminis undam.*

V. 515. *expugnare.* Ms. *spugnare.*

V. 517. *Cusina, Massylis.* Ms. *Cosma masilis.*

V. 518. *iuxta.* Ms. *iusta.*

V. 520. *Ductor erat peditum Felix.* In Codice hic euanuerunt aliquot uerba inter *Duc* et *Felix;* ita ut nihil ibidem queat legi.

V. 521 *At lacuum tenuere latus Putzintulus.* Ms. *At lelium tenuere latus butzuntulus.* De hoc nomine uide supra ad lib. IIII. u. 478.

V. 522. *Geisirich.* Ms. *Grisirith.* V. supra ad lib. II. u. 188. et lib. IIII. u. 489.

V. eod. *celsis inclitus armis.* Ms. *celsis induit armis.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 479. desinit:

. . . . *hic inclitus armis.*

Si etiam displicet *celsis*, poteris facere *saeuis*, ut ap. Virg. *Aen.* lib. XII. u. 890.

. . . . . *saeuis certandum est cominus armis.*

V. 530. *his.* Ms. *is.*

V. 534. *suasere.* Ms. *suadere.*

V. 535. *Ariarith.* Ms. *Ariarit;* sed infra u. 543. recipit *t* aspirationem; ut et supra lib. IIII. u. 929. Puto eum fuisse potius Gothum quam Vandalum, quia hoc nomen uidetur ad Gothos spectare; etenim plura eorum nomina desinunt in *rith*, ut Vandalorum in *rich;* quae terminatio uidetur fuisse eiusdem significationis.

V. 535-6. . . . . *duo maxima belli*
Fulmina, Massylae.

Ms. *maxile.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 842.

. . . . *duo fulmina belli.*

V. 537. *pares.* Ms. *patres.*

V. 538. *securus.* Ms. *sicorus.*

V. 541. *Imprimit.* Ms. *Impremit.*

V. 547. *It bene comta manus, frustra quae fata premebat.* Ms. *Id* . . . . *premebant.*

V. 548. *Sic placitum.* Ita incipit apud Virg. *Aen.* lib. I. u. 287.

V. 550. *Tanti causa mali.* Ms. *Tanti nostra mali.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 93. et lib. XI. u. 480. incipiunt:

Caussa mali tanti.

V. 553. *Talibus et dictis.* Ms. *Talibus edictis.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 448. incipit:

Talibus et dictis;

et alibi pluries habet *talibus dictis*, sed nusquam *talibus edictis.*

V. 561. *remouete.* Ms. *remote.*

V. 563. *Vix ea Carcasan: clamor per castra cucurrit.* Ms. *Vix ea carthasan* etc. Virg. *Aen.* lib. XI. u. 296-7.

Vix ea legati: uariusque per ora cucurrit
Ausonidum turbata fremor.

V. 566-7. . . . . *et saeuas stimulat bellona cateruas,*
Barbara sanguineo compellens terga flagello.

Ms. *et seuas samulat* etc. Val. Flacc. lib. V. u. 138.

Vtque securigeras stimulauerit ira cateruas.

Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 703.

Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Lucan. *Phars.* lib. VII. u. 508.

Sanguineum ueluti quatiens Bellona flagellum.

V. 568. *Tunc rabie fera corda tument. Iam linquere castra.* Ms. *iam linque castra.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 49.

Et rabie fera corda tument.

V. 569. *camposque tenebat.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 903.

. . . . *campumque tenebat.*

V. 570. *Amnis erat medius, bellorum fraudibus aptus.*
Massylisque dolis. Ms. *actus Massilisque.* An *Massylumque dolis?* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 60. habet:

Massylum gentes;

et lib. XI. u. 522-3.

Est curuo anfractu uallis, accommoda fraudi,
Armorumque dolis.

V. 572. *steriles tenuere myricae.* Ms. *mirice.* Nota, quam apte Poëta noster *steriles* uocet *myricas;* nam Plinius *Hist. Nat.* lib. XXIIII. cap. VIIII. de myrica agens, dicit: *Vulgus infelicem arborem eam appellat, quoniam nihil ferat, nec seratur unquam.* Eiusdem sterilitatem etiam Virg. innuit *Ecl.* VIII. u. 54. cum ait:

Pinguia corticibus sudent electra myricae.

V. 573. *foliisque oleaster amaris.* Ms. *folicisque* etc. Virg. *Georg.* lib. II. u. 314. et *Aen.* lib. XII. u. 766. desinunt . . . . *foliis oleaster amaris.*

V. 575. *et tristia bella ciebant.* V. ad lib. II. u. 268. et alibi ex Indice.

V. 576. *ferrumque uolatile.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 71. et lib. VIII. u. 694. . . . . . . *uolatile ferrum;*
et Lucr. lib. I. u. 971. . . . . . . *uolatile telum.*
V. infra ad lib. VII. u. 451.

V. 577. *tenuis nec transit arundo.* Virg. *Ecl.* VI. u. 8.
. . . . *tenui meditabor arundine.*

V. 578-9. *Praeualida compulsa manu, nec flectit in hostes*
Liber equum domitor, longo nec ludere pilo.

Ouid. *Epist. Heroid.* VIIII. u. 78.

Praeualidae fusos comminuere manus,

nempe Herculis nentis. Virg. *Aen.* lib. I. u. 160. et lib. X. u. 577. incipiunt:

Flectit equos.

Recte *longum* uocatur a Corippo *pilum;* fuit id enim telum Romanum, cuius hastile teste Vegetio *De Re militari* lib. II. cap. XV. *erat quinque pedum et semis, et ferrum trigonali figura nouem unciarum.*

V. 582. *Abstinuit bellis, aciesque ibi stare coëgit.* In Codice deerat *ibi*, et mancus erat uersus. Liu. lib. VIII. cap. XXIV. *Quamquam Romano bello fortuna eum abstinuit.*

V. 583. *Continuere gradum.* Virg. *Aen.* lib. iiI. u. 598.

Continuitque gradum.

V. 584. *Ausus, in abrupta tenuit uestigia ripa.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 331-2.

. . . . *uestigia presso*
Haud tenuit titubata solo.

V. 585. *Ductor adit uirtute locum.* Cetera huius uersus, ut et quinque sequentium, desunt in Codice nostro Triuultiano, cum iidem integre ibi descripti non fuerint. Fortasse uetus Codex, unde ille exscriptus fuit, mancus hoc loci erat, et uetustate uel situ corruptus.

V. 588. *Condensos.* Ms. *Condesos.*

V. 592. *missile.* Ms. *missele.*

V. 597. *Compulsos.* Ms. *Compusos.*

V. 598. *Consilio Paulus sapiens.* Ms. *Auxilio paulus sapiens.* Ouid. *Metam.* lib. XIII. u. 433.

Consilium sapiens.

Ierem. cap. XXXII. u. 19. *Magnus consilio.*

V. 599. *uestigia.* Ms. *uestiā*, ita ut legas *uestina* uel *uestima.*

V. 600. *Mazax.* Ms. *maxax.*

V. 603. *dimisso.* Ms. *demisso.*

V. 605. *Clamor it, alta petens.* Ms. *Clamor id* etc. Virg. *Aen.* lib. IiiI. u. 665-6.

. . . . *It clamor ad alta*
Atria . . . . ; lib. V. u. 451.
It clamor caelo;

lib. VIII. u. 595. . . . . *it clamor, et agmine facto;*

lib. VIIII. u. 664.

It clamor totis per propugnacula muris;

et lib. XI. u. 192.

It caelo clamorque uirum.

V. 606. *Vallibus e mediis per latos agmina campos.* Ms. *Vallibus cruentis perlatas agmine* cet. Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 156. . . . . . . *mediis in uallibus;*
et lib. X. u. 408. . . . . *per latos acies Vulcania campos.*

V. 607. *Dirupto.* Ms. *Diructo.*

V. 610. *iunctisque.* Ms. *uictisque.*

V. 618. *Iohannis.* Ms. *Iohannes.*

V. 621. *Si morimur* etc. In margine est *Oratio.*

V. 624. *flectite.* Ms. *flettere.*

V. 625. *consternite.* Ms. *concernite.*

V. 633-4. . . . . *Tunc proelia surgunt*
Aspera. Ms. *Asper.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 667.,
et lib. XI. u. 635. . . . . *pugna aspera surgit.*

V. 636. *Aereus.* Ms. *Arcus.*

V. 637. *Purpuream fundunt animam.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 349.

Purpuream uomit ille animam.

V. 638. *Ziper, acerba furens, ibat per tela, per hostes.* Ms. *liper acerba* etc.; sed supra est *Ziper* u. 535. et 538. Virg. *Georg.* lib. II. u. 149. . . . . . *acerba sonans;*
et *Aen.* lib. XII. u. 398. . . . . . *acerba fremens.*
Item lib. II. u. 358-9. . . . . . . *per tela, per hostes*
Vadimus;
et u. 527-8. . . . . *per tela, per hostes*
Porticibus longis fugit.

V. 642. *trepidum.* Ms. *tritum* uel *tretum.* Sen. *Herc. Oet.* u. 608. . . . . *Cor attonitum salit,*
Pauidumque trepidis palpitat uenis iecur.

V. 643. *caua tempora ferro.* Sic desinit Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 633.

V. 644. *medium femur amputat ille.* Ms. *magnum* etc.; sed legendum est *medium*, ut apud Virg. *Aen.* lib. XII. u. 926.

Per medium stridens transit femur.

V. 645. *spectassent.* Ms. *spettasset.*

V. 647. *gregem.* Ms. *predam*, contra rationem metri.

V. 648. *molle pecus.* Virg. *Georg.* lib. III. u. 299., et *Aen.* lib. VIIII. u. 341. incipiunt:

Molle pecus.

V. 649. *At parte ex alia Bulmitzis, et Ariarith ingens.* Ms. *At parte ex alia Bulmitis. et ariarth ingens.* Infra uero lib. VII. u. 607. est *Bulmitzis.* Pro *Ariarith* uide supra ad lib. IIII. u. 929., et lib. V. u. 535. Virg. *Aen.* lib. X. u. 362. incipit pariter:

At parte ex alia.

V. 650. *Iohannis.* Ms. *iohannes.*

V. 658. *Carmina* etc. Innuit fortasse hoc loci auctor *Carmina* Ouidii *Metamorph.* lib. I. u. 151-62., ubi describitur gigantum pugna cum Ioue, de qua fit mentio in hac comparatione. In margine legitur *Comparatio.*

V. 660. *flagranti.* Ms. *flagrante.*

V. 661. *nunc.* Cum hic uersus in Codice descriptus bis reperiatur, nempe tum fine unius paginae, tum initio alterius, secunda uice pro *nunc* est *tunc.*

V. 662. *crescit.* Ms. *crescet.*

V. 663. *Innumerosa manus: peditum.* Ms. *pedum.* Voce *innumerosa* usus est etiam Plinius *Hist. Nat.* lib. X. cap. LXV.

V. 664. *circumuolat.* Ms. *circonuolat.*

V. 665. *Stipitis et grauidi.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 507. incipit:

Stipitis hic grauidi.

V. 670. *Ariarith.* Ms. *ariarth,* ut paulo supra u. 649.

V. 671. *Ziper.* Ms. *riper.* V. supra u. 535. et 638.

V. 672. *uenientis.* Ms. *uenientes.*

V. 681. *pulsat.* Ms. *pulset.*

V. 685. *Massylas acies. Nulli temptare.* Ms. *Massilas . . . . temptore.*

V. 688. *pectus anhelum.* Sic desinit Virg. *Aen.* lib. VI. u. 48.

V. 690. *ueniunt.* Ms. *iungunt.*

V. 690-1. . . . . *acres* (Ms. *acces*)

Dant animas. . . . . Virg. *Aen.* lib. XI. u. 800.

Conuertere animos acres.

V. 691. *diffindit.* Ms. *defundit.*

V. 693. *ferus ex.* Ms. *feruens et.*

V. 697. *Dux erat egregius, ductoris nomine fulgens.* Ex uers. 519-20. huius libri uidetur fuisse huius ducis nomen *Felix Iohannes.*

V. 701. *Haec est* etc. In margine est *Oratio.*

V. 702. *Vt pereat Romana manus? Nunc deseris arma?* Ms. *Vt pereat romā manus. quo nunc mea desit arma.*

V. 705. *durisque dolor simul ossibus arsit.* Virg *Aen.* lib. VIIII. u. 66. . . . . . *et duris dolor ossibus ardet.*

V. 711. *Audentes fors prima iuuat.* Ms. *Ardentes* etc. Sed uidimus ad lib. I. u. 561-2. hanc sententiam fuisse familiarem Corippo ex Virg. *Aen.* lib. X. u. 284.

Audentes fortuna iuuat.

Vtrum pro *fors prima* legendum sit *fortuna*, uideant alii.

V. 713. *Mater ut.* In margine est *Comparatio.*

V. 716. *ferrata calce fatigat.* Ms. *ferra calce* etc. Virg. *Aen.* lib. XI. u. 714. desinit pariter:

. . . . *ferrata calce fatigat.*

V. 731. *Maurusia.* Ms. *maurisia.*

V. 732. *Camalusque.* Ms. *camarusque;* sed supra lib. IiI. u. 632. est *Camalus,* et lib. VII. u. 569. *Camalum.*

V. 738. *Missilibus.* Ms. *Massilibus.*

V. eod. *tegmine subter.* Ms. *teghmine subut.*

V. 742. *subuendicat.* Vox addenda Lexicis Latinis.

V. 743. *laeuum.* Ms. *leum.*

V. 746. *rictuque.* Ms. *rituque.*

V. 747. *conciliat, saeuas dum concitat iras.* Ms. *conuiluit seus dum concutit iras.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 813.

. . . . . *saeuae iamque altius irae* etc.

Ouid. lib. IiI. *ex Ponto* el. XIIII. u. 41.

At malus interpres, populi mihi concitat iram.

In Nota autem Burmanni legitur primam editionem habere ibidem perperam *concutit iram.*

V. 748. *Erecta.* Ms. *Eretta.*

V. 752. *uitans.* Ms. *uitas.*

V. 754. *Fluminis in morem.* Ms. *Flumis in morem.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 245. . . . . *in morem fluminis.*

V. 755. *agros.* Huius uocis *g* in Codice abrasum fuit magna ex parte, unde legi potest *acros.*

V. 762. *temptare periclum.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 505. desinit . . . . *tentare pericula belli.*

V. 766. *geminos.* Ms. *geminans.*

V. 770. *rapuitque ex hoste receptum.* Ms. *rapuitque hoste recettum* absque *ex.*

IN LIBRVM VI.

N O T A E.

V. 2. *Iam tutum carpebat iter* etc. Ms. *Iam tutum capebat iter* etc. V. supra lib. I. u. 460.

Byzacii carpebat iter etc.

Virg. *Georg.* lib. III. u. 347. . . . . . *uiam cum carpit;* et *Aen.* lib. VI. u. 629. . . . . . . *carpe uiam.* Item Ouid. *Fast.* lib. III. u. 604.

Secretum nudo dum pede carpit iter.

V. 4-5. . . . . *post bella salutem*

Hic licuit sperare. Ms. *spettare.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 455. . . . . . *hic primum Aeneas sperare salutem*

Ausus.

V. 8. *gauisus aquis; casusque priores.* Ms. *gauisis aquis casusque prioris.*

V. 10. *paruo post tempore uires.* Ms. *paruas post tempora uires.* Virg. *Ecl.* I. u. 30.

. . . . *et longo post tempore uenit;*

et u. 68. . . . . *longo post tempore fines;*

et *Aen.* lib. VI. u. 409.

. . . . *longo post tempore uisum.*

V. 11. *Laetificumque bibunt post tristia bella lyaeum.* V. ad lib. II. u. 268. Respexit Auctor hoc loci ad *Iudic.* cap. VIIII. u. 13. *Numquid possum deserere uinum meum, quod laetificat Deum et homines; Ps.* CIII. u. 15. *Et uinum laetificet* (uel *laetificat*, ut est in Psalterio Mediolanensi) *cor hominis;* et *Eccli.* cap. XL. u. 20. *Vinum et musica laetificant cor.* Lucr. lib. I. u. 194.

Laetificos nequeat foetus submittere tellus.

V. 15. *tunc.* Hanc uocem, quae non legitur in Codice, adieci ad complementum uersus.

V. 20. *insomnem, turbato tempore, noctem.* Ms. *insomne* etc. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 166-7.

. . . . *noctem custodia ducit*
Insomnem.

V. 21. *innumeras uoluens sub pectore curas.* Lucan. Phars. lib. I. u. 272.

Vtque ducem uarias uoluentem pectore curas.

V. supra lib. II. u. 288. et seq.

V. 22. *Concussus pietate pater.* Idem repetitur infra u. 105.

V. 23. *Recinarius.* Ms. *ricinarius.*

V. 25. *Hic mala mista bonis.* Dracontius in *Elegia,* cui titulus *Satisfactio ad Guntharium Regem Wandalorum cum esset in uinculis* u. 57-8. edit. Rom. 1791. p. 375.

Sed diuersa creans, et discordantia, iunxit
Et bona mixta malis, et mala mixta bonis.

Vide fere eandem sententiam apud Ouid. *De Remedio Amoris* u. 323., et Monosticha Iambica in *Florilegio magno seu Polyanthea* Iani Gruteri uerbo *Boni.* P. I. edit. Venet. 1625. p. 288., item Monosticha trochaica u. *Mali.* P. 2. p. 30. Item Lucan. *Phars.* lib. VIII. u. 705-6. . . . . *qui nunquam mista uideret*
Laeta malis.

V. 27. *exponere.* Ms. *ponere.*

V. 28. *Nouit ferus omnia Perses.* Ms. *nouis ferus* etc. Quinctil. *Institut. Orator.* lib. III. cap. VII. *uir Perses.* Poteram tamen corrigere *Persa,* ut *De Laudibus* lib. III. u. 277.

Persae timuere feri etc.

Ad Chosroën Persarum regem missum fuisse Recinarium,

ut de pace ageret, narrat Procopius *De Bello Persico* lib. II. cap. XXVII. p. 157., ut iam monui ad lib. II. u. 314.

V. 30. *Martis opus clarum.* V. ad lib. I. u. 451.

V. 31. *Nouit in infensis.* Ms. *Nouit in infessis.*

V. 35. *Iste putat genitum proprio* etc. Ms. *Ille putat genitum proprium* etc.

V. 38-9. . . . . . *Vana est hominum uigilantia certe,*
Non uigilante Deo.

Ps. CXXVI. u. 1. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam;* uel iuxta Italam ueterem uersionem a Clero Mediolanensi adhuc retentam: *in uanum uigilant, qui custodiunt eam.* Sic etiam legitur apud S. Ambrosium *De Paradiso* cap. IV. Operum T. I. col. 154. edit. Maurinae. Vide et Sabatier *Biblior. Sacror. antiq. Version.* To. II. p. 255.

V. 49. *quid.* Ms. *qui.*

V. 50. *placidus.* Ms. *placitus.*

V. 55. *caput obiectare periclis;* ut Virg. *Aen.* lib. II. u. 752.

V. 56. *Nunc.* Ms. *Non.*

V. 61. *pars.* Ms. *per* uel *par.*

V. 62. *Nunc fortes.* Ms. *hac fortis.*

V. 63. *reparare.* Ms. *repara.*

V. 66. *Et signis se aperire suis: exercitus omnis.* Ms. *Et signis aperire suis exercitus amnis.*

V. 69. *Venient ad litora.* Ms. *ueniet ad litore.*

V. 73. *Consilium.* Et in margine est *Consilium.*

V. 81. *erexit; nec nunc.* Ms. *exexit. nec tunc.*

V. 82-3. . . . . *Iam roscida surgens*
Oceano gelidas aurora remouerat umbras.

Ms. *Occiani gelidas aurora renouauerat umbras.* Virg. *Aen.* lib. III. u. 589., et lib. IIII. u. 7.

Humentemque aurora polo dimouerat umbram;

et lib. XI. u. 210.

Tertia lux gelidam caelo dimouerat umbram.

V. Poëtam nostrum supra lib. I. u. 242-3. et *De Laud.* lib. iI. u. 1.

Roscida purpureos aurora ostenderat ortus.

et Ouid. *De Arte* lib. iiI. u. 180.

Roscida luciferos cum dea iungit equos.

V. 85. *geminasque manus.* Ms. *geminisque* etc. Martial. lib. X. ep. X.

Et pariter geminas tendis in ora manus.

V. 86. *hesterno marte.* Ms. *cristerno marte.* Virg. *Ecl.* V. u. 15. . . . . *hesterno* . . . . *Iaccho.*

V. 87. *Orauitque ferens palmis haec uerba supinis.* Postrema pars huius uocis *supinis* abrasa fuit in Codice, ubi uisitur tantum *sup* . . . . Virg. *Aen.* lib. iiI. u. 176-7. . . . . *tendoque supinas*

Ad caelum cum uoce manus;

et lib. IiiI. u. 205.

Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.

V. 88. *Omnipotens genitor, uirtus et gloria rerum.* In margine legitur *Oratio.* Auctor noster *De Laudibus* lib. iiI. u. 360. haec habet:

Imperii Deus est uirtus et gloria nostri,

A quo certa salus.

Imo ibidem lib. iI. u. 181. Deus uocatur:

. . . . . . *rerum genitor, quas ipse creauit.*

V. 89. *qui foedere certo.* Sic. Virg. *Aen.* lib. I. desinit u. 66.

V. 91. *Tempora permutas, nec tu mutaris in illis.* Dan. Cap. iI. u. 21. *Et ipse mutat tempora et aetates. Ps.* Cl. u. 28. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Item S. Ambrosius in oratione uespertina

sabbati iuxta *Breuiarium Ecclesiae Mediolanensis: Deus, qui super omnia mutabilia* (sic in omnibus antiquis Codicibus tum Mss. cum impressis, non *mirabilia*, ut mendose habent recentiores editiones) *incommutabilis permanes* etc.

V. 93. *Bissenisque diem claudens aequalibus horis.* Mos nempe antiquus diuidendi tum hieme tum aestate duodenis partibus aequalibus diem, totidemque noctem, adhuc uigebat saeculo VI., et diu postmodum perdurauit. Imo saltem apud ecclesiasticos uiros in usu fuisse in Italia saeculo XIIII. constat ex Dante Aligherio, qui in Opere inscripto *Vita nuova* (Op. T. IV. P. I. p. 7. Ed. Ven. 1758.) ait: *L' ora nella quale m' era questa visione apparita, era stata la quarta della notte; sicchè appare manifestamente, ch' ella fu la prima ora delle nove ultime della notte.* Imo clarius idem declaratur in alio eiusdem auctoris opere, cui titulus *Il Convito*, in quo (p. 130. Partis cit.) scripsit: *È da sapere, che ora per due modi si prenda dagli Astrologi: l' uno si è, che del dì, e la notte fanno ventiquattr' ore, cioè dodici del dì, e dodici della notte, quanto che 'l dì sia grande, o piccolo. E queste ore si fanno picciole e grandi nel dì, e nella notte, secondo che 'l dì, e la notte cresce, e scema: E queste ore usa la Chiesa, quando dice Prima, Terza, Sesta, e Nona; e chiamansi così ore temporali. L' altro modo si è che facendo del dì, e della notte ventiquattr' ore, talvolta ha il dì le quindici, e la notte le nove: e talvolta ha la notte le sedici, e il dì le otto, secondochè cresce, e scema il dì, e la notte: e chiamansi ore eguali: e nello equinozio sempre queste, e quelle che temporali si chiamano, sono una cosa; perocchè, essendo il dì eguale della notte, conviene così avvenire.*

V. 95. *Idem auctor dominusque manens, et conditor orbis.* Lib. iiI. *De Laud.* u. 300. uocatur etiam Dei Filius: *Factorque et conditor orbis.*

V. 96. *Credo, summe pater, tua sit quod magna potestas.* Luc. cap. XXI. u. 27. *Et tunc uidebunt filium hominis uenientem cum potestate magna et maiestate.*

V. 97. *fallunt.* Ms. *fallans.*

V. 98. *probari.* Ms. *probare.*

V. 100. *Appropia.* De hoc uerbo uide notam ad lib. V. u. 370.

V. 102. *Massylas, quae bella uolunt.* Ms. *Massilas què tella uolunt.* In nostro Codice saepe est *tellum* cum duplici *l;* sed hoc loci legendum esse *bella* nos docet *Psalmus* LXVII. u. 32. *Dissipa gentes, quae bella uolunt.*

V. 105. *Concussus pietate pater.* Eandem phrasim uide hic supra ad u. 22.

V. 106. *iterumque iterumque gemebat.* Ms. *iterum. iterumque gemebat.* Virg. *Aen.* lib. iI. u. 770. desinit:

. . . . *iterumque iterumque uocaui.*

et lib. iiI. u. 436. . . . . *iterumque iterumque monebo.*

V. 107-8. . . . . *lacrimas et uerba dolentis*
Suscipiens.

Ms. . . . . *lacrimans et uerba dolentis*
Suspiciens.

Pro *suscipiens* autem faciunt sequentes textus Sacrae Scripturae; nempe *Prou.* cap. IiiI. u. 4. *Suscipiat uerba mea cor tuum;* et ibidem u. 10. *Suscipe uerba mea; Eccli.* cap. iI. u. 2. *Suscipe uerba intellectus; Actor.* cap. XVII. u. 11. *Susceperunt uerbum;* et Iac. *Epist.* cap. I. u. 21. *Suscipite insitum uerbum.*

V. 111. *uictos sperare salutem.* Ms. *uinci spettare sequentem.* Fortasse Corippus prae oculis habuit contrariam

Virgilii sententiam *Aen.* lib. II. u. 354.

Vna salus uictis, nullam sperare salutem.

Poteris tamen uersum corrigere alio modo, ita ut desinat ut infra u. 139. . . . . *pugnam sperare sequentem.*

V. 112. *salus sociorum.* Ms. *solus sotiorum.*

V. 114. *Aere ciens. Rara trepidi cinxere corona.* Ms. *Are ciens;* ideoque auctor Periocharum scriptum reliquit: quod Ductor *uadit ad Missam.* Sed legendum esse *Aere* suggerit Virg. *Aen.* lib. VI. u. 165., qui incipit:

Aere ciere uiros etc.

Ibidem lib. X. u. 122. . . . . *rara muros cinxere corona.*

V. 115. *Circumstant.* Ms. *Circomstante.*

V. 117. *releuansque.* Ms. *releuans.* In margine legitur *Oratio.*

V. 118. *animos confringere.* Ms. *animos confringite.* Claud. Carm. XXII. uel *in prim. Consulatum Stilichonis* lib. II. u. 69.

Confringas animum.

V. 122. *autem.* Ms. *aiunt.*

V. 129. *iuuabit.* Ms. *iubit.* Quinquies Virgilius posuit in fine uersus: *iuuabit.*

V. 135. *curas nam corde premebat.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 332. . . . . *curam sub corde premebat.*

V. 136. *campum.* Ms. *uinci.* Virg. *Georg.* lib. III. u. 523.

. . . . *campum petit.*

V. 137. *Disposuitque duces, numeros, fortesque tribunos.* *De Laud.* lib. III. u. 354-6.

Tu numeros numeris, et uires uiribus audes
Exaequare meis? Nostris non fidimus armis
Quamquam ductores, numeri, fortesque tribuni cet.

Dempsterus in eundem locum ait: *Militares copias dictas posteriori aeuo numeros notat Lipsius De Militia*

Rom. lib. IV. cap. 1I. Inter alia testimonia illic allata praecipua obseruatione dignum est illud Sozomeni lib. I. qui haec habet: *Romanorum cohortes, qui nunc numeri dicuntur.* Alia congessit Forcellinus in suo *Lexico.* Noster autem auctor utitur etiam eadem uoce alibi, ut ex Indice; et infra libro VII. u. 641. rursus scripsit:

Signa, ducesque, numeri, fortesque tribuni.

V. 138-9. . . . . *reparare fauendo*

Quadrupedes fessos; nempe blanditiis, acclamationibus, applausu; nisi mauis legere *fouendo,* ut alibi in hoc Poëmate: *fouit equos.*

V. 139. *pugnam sperare sequentem.* Scilicet *obsequentem.* Quod si non placet, lege *secundam;* ut apud Caesarem *De Bello Gallico* lib. 1I. cap. VIIII. *Secundiore equitum nostrorum proelio, Caesar suos in castra reduxit;* et lib. VII. cap. LXII. *Vt suae pristinae uirtutis, et tot secundissimorum proeliorum memoriam tenerent.*

V. 141. *Quo socios.* Ms. *Quos socios.*

V. 142. *contemtis.* Ms. *contentis.*

V. 143. *Vrbs Laribus.* Bis memorat Procopius hanc urbem lib. 1I. *De Bello Vandalico,* cap. nempe XXII. p. 291., et cap. XXVIII. Posteriori hoc loco p. 305. confirmat, quod a nostro Poëta hic narratur, sic: *Post iterum Lebanthae e Tripolitanis partibus magno cum exercitu profecti, ingressique Byzacium, copiis Antalae se adiunxerunt. Quibus Iohannes cum occurrisset, discessit acie uictus, et suorum desideratis quamplurimis, fuga recepit se Laribum.* Hoc nomen Graece est ibidem ἐς Λαρίβους; estque, ut putat Cl. Morcellius *Afric. Christ.* T. I. p. 199., idem ac Ciuitas Larensis Victoris Vitensis, quam *Laribus Coloniam* dicit *Itinerarium Antonini* p. 24. editionis Wesselingii Amstelaed. 1735.,

ubi in itinere a Carthagine Cirtam designatur. Imo Hortensianus episcopus in Conciliis Carthaginiensibus annorum CCLII. et CCLV. *a Laribus* appellatus est, ut et apud Augustinum lib. VI. cap. XXVIII. *contra Donatistas. De muris nouis* eiusdem urbis, *quos condidit Iustinianus*, ut ait Corippus uersibus subsequentibus, nullam fecit mentionem Procopius in libris *De Aedificiis Iustiniani;* sed monet idem auctor, ibidem libro VI. cap. VII. Opp. T. II. p. 117. Iustinianum *urbes in Numidia sitas* (qua in Prouincia erat Laribus) *firmissime communiuisse,* quin eas singillatim enumeret; et paulo infra fatetur de aedificiis Iustiniani *scire se multa praetermisisse, siue magno abdita numero, siue prorsus incognita.*

V. 145. *Iustinianus apex.* Sic incipit pariter *De Laud.* lib. I. u. 355.

V. 145-6. . . . . *orbis dominator eoi*
Occiduique potens, Romani gloria regni.

De Laud. lib. I. u. 111.

Omnia uectantes gemini commercia mundi.

et lib. III. u. 104.

Romano quaeque est prouincia subdita regno?

V. 153. *quod.* Ms. *qui.*

V. 154. *Coniugis* etc. In margine haec leguntur: *Nota hic proprium morem mulierum dolentium.* De coniugis autem Iohannis Felicis luctu ob mortem eius uiri hic loquitur auctor.

V. 155. *pinnata ducis. Stupefacta relinquit.* Ms. *relinquid.* Fama *pinnata* dicitur a Corippo, ut a Prudentio in *Apotheosi* u. 679. iuxta edit. Hanoniae 1613. p. 182.

Quis tam pinnatus rapidoque simillimus Austro
Nuntius.

In edit. autem Areuali u. 611. p. 457. legitur *pennatus.*

V. 156. *oppalluit ore.* Prudent. *Peristeph. Hymn.* I. u. 92. p. 884. cit edit. Rom. 1788-9.

. . . . *ac stupore oppalluit.*

Nota autem Areualum postremum editorem operum Prudentii in dissertatione *Prudentiana* num 256. inter Prudentii imitatores recensere nostrum Corippum. Vide et illius Notas ad pagg. 428. 613. 727. 737. et 1130.

V. 163. *manibusque suis erecta.* Ms. *manibus erepta;* ideoque claudicabat uersus.

V. 164. *obtutus, amens et saucia luctu.* Ms. *octutus, amens. et saucia lucti.* In numero plurali iam usus erat Prudentius priori uoce in *Hamartig.* u. 907. pag. 569.

Nil intercurrens obtutibus.

V. 169. *animi dolor excidit ardens.* Ms. *animis dolor excidit ardes.*

V. 171. *Me* etc. In margine est *Oratio.*

V. 174. *caperent.* Ms. *caperet.*

V. 175. *Claustra duos, ruptae subito.* Ms. *Clausa duos rupit subitus.*

V. 176. *strinxissem pectora palmis.* Ms. *frinxissem pettora palmas.*

V. 177. *Miscuissemque.* Sic in Codice, nec mirandum est fecisse Corippum trisyllabum *miscuissem*, cum saepe sit monosyllabum *cui* apud Poëtas.

V. 178. *Misero possem comes ire per umbras.* Ms. *miseris iterum comes ire per umbras.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 880-1. . . . . *possem tantos finire dolores*

Nunc certe, et misero fratri comes ire per umbras.

V. 179. *licuisset cedere.* Ms. *cupide licuisset.*

V. 180. *iaces externa clausus arena!* Ms. *iaces externus clausus arena.* Virg. *Aen.* lib. V. u. 871.

. . . . . . *ignota, Palinure, iacebis arena.*

V. 184. *Heu nimium confise tui! Quo uersa recurram?* Ms. *recurrat?* Virg. *Aen.* lib. V. u. 870.

O nimium caelo et pelago confise sereno.

V. 185. *Quoque.* Prius erat in Codice *Queque,* quod correctum fuit in *Quoque.*

V. 186. *Tu miserere, precor.* Ms. *Tu miserere quies.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 777.

Faune, precor, miserere.

V. 189. *duras . . . . procellas.* An *diras . . . . procellas?*

V. 193. *Passa.* In Codice olim legebatur *Fossa,* et nunc legitur *Possa.*

V. 194. *Iohannis.* In margine rursus est: *Iohannes.*

V. 195. *Sidoniam . . . . . . urbem.* In margine additur *Sidonia Ciuitas.* Virg. de Carthagine ait *Aen.* lib. I. u. 681-2. . . . . *ad urbem*

Sidoniam cet.

V. 196. *augent.* Ms. *agens.*

V. 197-8. . . . . *lumina salsos* (Ms. *salos*)

Effundunt fontes. Lucret lib. I. u. 921.

Et lacrimis salsis humectant ora genasque.

Etsi quidam falsis falso legant, ut ait Erythraeus in *Indice in Virgilium* uerbo *salsusque sudor.*

V. 199. *omnes uix ordine curas.* Ms. *anas uis,* ubi prius pro *uis* erat *uix.* Ex Virgilio posui *omnes,* qui pluries iungit *omnes* cum *curas;* ut *Georg.* lib. III. u. 123-4. . . . . *et omnes*

Impendunt curas . . . . . . It. *Aen.* lib. V. u. 720.

Tum uero in curas animus diducitur omnes.

et lib. VIIII. u. 224-5. . . . . *omnes animalia somno*

Laxabant curas.

V. 203. *Euigilanter.* Aduerbium addendum Lex. Lat.

V. 204. *amorque.* Ms. *amor* absque copula, quae necessaria est etiam ad complendam mensuram uersus.

V. 206. *Ergo tot proceres genitor tunc ire iubebat.* Ms. *Ergo tot impesas genitor* etc. Virg. *Aen.* lib. X. u. 213.

Tot lecti proceres ter denis nauibus ibant.

Si non placet *proceres* legatur *pedites*, uel *gentes*; ut Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 132-3. . . . . *tot millia gentes*

Arma ferunt Italae.

V. 208. *amicum.* Ms. *amicus.*

V. 209. *Petrus.* In margine est haec nota: *Petrus filius Iohannis ductoris.*

V. 211. *Ferre.* Ms. *Forte.*

V. 212. *reuerende.* Ms. *rerende.*

V. 214. *putent*, *dicantue.* Ms. *putem dicam ue.*

V. 216. *rumore.* Ms. *timore.*

V. 217. *timorem.* Ms. *morem.*

V. 220. *quique.* Hanc uocem suppleui, quia uersus claudicabat. Fortasse melius erat *quisque.*

V. 222. *flectuntque.* Ms. *flettunt.*

V. 225. *Quippe dolor.* Ms. *Quodppee dolor.* Virgilius nouies incipit uersum ab hac uoce *Quippe.* Imo *Aen.* lib. XII. u. 422. pariter incipit:

Quippe dolor.

V. 229. *secumque uolutat.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 533.

. . . . *secumque ita corde uolutat.*

V. 231. *Recinarius.* Ms. *ricinarius.*

V. 235. *cautus in omni.* Ms. *cautus omni.* Cic. *Pro Lege Agraria* cap. I. *cautus in periculis*, et *ad Quintum Fratrem* lib. III. epist. ult. *cautum esse in scribendo.*

V. 236. *Plaustra gemunt onerata uiis, altisque camelis.* Ms. *Plaustra gemunt honorata uiis altis camelis.* In margine est *(Nota loc)utionem propriam camporum.* Ouid. *Ex Ponto* lib. IIII. Epigr. VII. u. 9-10.

Ipse uides onerata ferox ut ducat Iazyx
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.

V. 241. *agmina densant.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 794.

Agmina densantur.

V. 242. *Mittitur* etc. In margine adest haec nota: *Sthefanides mittitur (ad) faciendam pacem.*

V. 243. *Stephanides.* Ms. *Sthefanides.*

V. 245. *Saeuus Ifisdaias, et fidus Cusina functi.* Ms. *functis.* In margine legitur *Ifidaias et cusina.*

V. 250. *arcessere.* Ms. *arcescere.*

V. 253-5. *Hic poterat rabidas uerbis mansuescere tigres,*
Atque feros, facili mulcens sermone, leones,
Serpentumque malum dictis arcere uenenum.

Etiam Virg. iungit simul tigres, leones, et angues *Georg.* lib. II. u. 151-4.

At rabidae tigres absunt, et saeua leonum
Semina: nec miseros fallunt aconita legentes:
Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.

Pro *mansuescere* actiuo uide infra u. 484., et ut quadrisyllabo uide etiam Virg. *Georg.* lib. IIII. u. 470.

Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.

V. 258. *Arte noua.* Sic incipit uersum Virg. *Aen.* lib. VII. u. 477.

V. 264. *Cusina fidus agit. Comitantibus omnia carris.* Ms. *Cosma fidus agit comminatis omnia cannis.* Confer lib. VII. u. 124.

V. 268. *magistrum.* Ms. *Magister.*

V. 272. *Venit Ifisdaias.* Etiam in margine legitur *Ifisdaias.*

V. 273. *Aurasii et latos campos impleuit et arua.* Ms. *Arsuris et latos impleuit tarua campos;* et in margine a secunda manu adiectum fuit *cornua.* In Numidia australi situs est mons *Aurasius,* cuius incolae erant

Mauri sub principe Iauda, de quo mentio fit in sequentibus uersibus, ut Procopius ait libro I. *De Bello Vand.* cap. VIII. p. 196. Vide et ibidem lib. II. cap. XII. et seq. p. 264. et seqq., ubi plura narrat de Iabda (sic enim illud nomen uertit Maltretus ex Graeco Ιαβδας, quod idem sonat ac *Iaudas*) principe Maurorum qui illic habitabant. Sic graphice describitur ibidem nempe cap. XIII. p. 266. Aurasius mons: *Abest mons ille Carthagine dierum iter fere XIII., omnium, qui quidem nobis noti sunt, maximus. Tantum enim spatium ambitu colligit, quantum triduo uir expeditus percurrat. Atque illum quidem si uelis ascendere, difficilem in decliui horridumque offendes. Verum, ubi superaueris, et ad culmen planum euaseris, offeret se camporum aequor patentium, scaturiens fontibus, qui amnes efficiunt: tot pomaria ut miraculo sint. Frumentum ac poma quaecumque ibi proueniunt, tanto altero maiora sunt, quam in reliqua Africa.* Confer etiam eiusdem libri II. cap. XIX. et seq. p. 282. et seqq. et cap. XXV. p. 295., item lib. VI. *De Aedificiis* cap. VII. p. 116. Tomi II., et Cellar. *Geogr. Ant.* lib. IV. cap. V. p. 186-7., qui tamen eundem montem *Austrasium* uocat, etsi in sua tabula geographica exstet *Aurasius.*

V. 277. *Iaudas.* De eo uide nostram Notam ad lib. III. u. 302., nec non Procopium locis nuper citatis, et *De Bello Gothico* lib. IV. cap. XVII. p. 614-5., ubi ita ait: *In Africa omnia Romani praeclare constituta habebant. Siquidem Iohanni, cui Iustinianus Augustus illarum partium magisterium militare detulerat, successus contigerunt maiores fama et audientium fide. Is socio Cutzina, uno ex Maurorum principibus, primum ceteros acie uicit; nec non multo post Antalam et Iabdam;*

qui Mauris Byzacenis ac Numidis praeerant, ita sibi subdidit, ut ipsum tamquam mancipia assectarentur. Procopius, ut uides, hic narrat, quod uariis diuersisque accidit temporibus; nam praepostere Antalae deditionem refert, de qua nihil reperitur apud Corippum nostrum, quia fortasse de ea egit tantum in libro VIII. huius Poëmatis, qui prorsus periit, cum non exstet in Codice unico Triuultiano.

V. 281. *Ductor, ut innumeras* (*innumeris* est mendum typographicum) *firmauit robore turmas.* Ms. *Ductor ut in numeris firmauit robore turmis.* An *innumeris firmauit robora turmis?* In margine autem legitur haec nota: *Ductor mouet campum.*

V. 282. *ut.* Ms. *ubi.*

V. 283. *campis Mammensibus Austur.* Supra lib. II. u. 89. et 91. occurrit in Ms. hoc nomen sic *Astur,* sed ibidem u. 209. et 345., ut hic, est *Austur.* Ibidem ad priorem ex citatis uersibus confessus sum me nescire, quis populus Africae sit *Austur.* Inueni autem, ubi iaceant *campi Mammenses,* nempe in confiniis mediterraneis Byzacii, ut constat ex Procopio *De Aedif.* lib. VI. cap. VI. T. II. p. 116., ubi haec leguntur: *In partibus mediterraneis* (Byzacii) *ad prouinciae fines, ubi ipsam Mauri barbari accolunt, propugnacula* (Iustinianus) *illis opposuit ualidissima: quo fit ut Romanum Imperium incursare amplius nequeant. Cum enim urbes limitaneas Mammam* (Μάμμης), *Telepten, et Cululim firmissimis cinxisset moenibus, castrumque, quod Aumetera uocant indigenae, muniisset, fida illic praesidia collocauit.* Libro autem II. *De Bello Vand.* cap. XI. To. I. p. 259. rursus haec leguntur: *Simul ut* (Salomon) *Mammam* (Μάμμης τὸ χωρίον) *attigit, ubi quatuor Maurorum duces castra*

posuerunt, uallum duxit. Sunt illic montes excelsi: radicibus planities adiacet; in qua barbari, ad pugnam se accingentes, sic aciem instituerunt.

V. 285. *Byzacii.* Ms. *Bisatii.*

V. 286. *iunxerat.* Ms. *uixerat.*

V. 288. *Nuntia pennatis uentos transuerberat alis.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 188. famam uocat *nuntiam.* Apul. *De Deo Socr.* dixit etiam: *Aues Aëra uolitando transuerberant.*

V. 293. *Antalas.* Ms. *amtalan.*

V. 294. *iunxere.* Ms. *iunsere.*

V. 298. *Vincere* etc. In margine est *Oratio.*

V. 300. *istis.* Ms. *his.*

V. 304. *fame.* Ms. *famem.*

V. 307. *Aut.* Ms. *Ast.*

V. 308. *Deficietque fame.* Ms. *Aut fame deficiet.*

V. 314. *horam.* Ms. *oram.*

V. 315. *apta.* Ms. *acta.*

V. 318-9. . . . . *acerbis*
Mentibus. . . . . Virg. *Aen.* lib. V. u. 462.
Et saeuire animis Entellum haud passus acerbis.

V. 320-1. . . . . *nam phoebus anhelis*
Altior ibat equis, medio libratus in axe. Ms. *in axem.* V. lib. I. u. 339-40., et Virg. *Georg.* lib. I. u. 250.
. . . . *ubi primus equis oriens afflauit anhelis.*

V. 322. *Vindicat umbra duas breuiore quo tempore plantas.* Ms. *planctas.* Conf. Ouid. *Metam.* lib. III. u. 58.
Fecerat altissimus iam sol exiguas umbras.

V. 323. *igniuomus.* Huius uocis unicum est exemplum etiam apud Forcellinum ex Lactantii uel Venantii *Carmine de Resurrectione Domini.*

V. 324. *Incipit.* Ms. *Incepit.*

V. 325. *corpora.* Ms. *corpore.* In margine autem legitur: *Nota pulcram destrictionem* (descriptionem) *sitientium.*

V. 332. *Aëris.* Ms. *Aiere.*

V. eod. *tepidumque.* An *tepidoque?*

V. 334. *dulces posuit sitientia fontes.* Ms. *duces* etc. Hirt. *De Bello Alexandr.* cap. VIII. et seq. *Aqua dulcis;* et Cic. *Orat. VI. in Verrem.* cap. LIII. *Fons aquae dulcis.*

V. 336. *Quo more* etc. In margine est *Comparatio.*

V. 338. *Iam sese e pastu referunt, riuoque fluenti.* Ms. *Iam sese et pastu* etc. Virg. *Aen.* lib. VII. u. 700.,

Cum sese e pastu referunt etc.

et *Ecl.* VIII. u. 101. desinit pariter . . . *riuoque fluenti.*

V. 343. *Vndiuagos.* Hanc uocem ad calcem *Lexici* sui reiecerat Forcellinus, qui pro eadem citat Eugenium Toletanum, sed in *Appendice* sua retulit Furlanetus ex Palladii *Epigrammate de ortu solis,* quod legitur in *Anthologia* Burmanni To. II. p. 303. nempe:

Thetyos undiuagae cum prosilit aequore Titan.

Etiam Ricciolius in *Prosodia reformata* pro eadem uoce retulerat u. 9538. Lucani *Phars.* lib. I. u. 414. sic:

Thetyos undiuagae lunaribus aestuet horis.

Sed eam lectionem merito improbant critici, etsi reperiatur in uno Ms. Codice Vossiano, quem citat Oudendorpius ad eundem locum; et rectius legunt:

Thetyos unda uagae etc.

Corippus autem rursus adhibet eandem uocem infra lib. VII. u. 344., et *De Laud.* lib. I. u. 110.

Vndiuagum spectare fretum.

V. eod. *sitiuntque* Ms. *sotiuntque.* In margine haec reperiuntur: *Nota illud Nasonis. Quo plus sunt pute* (*potae* Fast. I. u. 216.) *plus sitiuntur aquae.*

V. 344-5. *Hic genibus fixis, manibus bibit ille cauatis;*
Pronus aquas alius lambit de flumine lingua.

In margine haec leguntur: *Nota etiam uarios modos bibendi.* Videntur autem iidem desumpti ex libro *Iudicum* cap. VIII. u. 6. *Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os proiiciente lambuerant aquas, trecenti uiri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.*

V. 346. *Ille cadum potans; pateram tenet alter, et urnam.* Ms. *Ille cadum potens* etc. Hor. lib. III. *ode* XV. u. ult.

Nec poti uetulam faece tenus cadi.

Virg. *Aen.* lib. V. u. 775. . . . . . . *pateram tenet.* Forsan pro *potans* legendum est *portans.*

V. 347-8. . . . . *ipsas impressat arenas*
Belliger ore, super foedant.

De Verbo *impressat* uide supra ad lib. V. u. 372. Poteris etiam legere . . . . *ipsis impressat arenis*
Belliger ora.

In Codice enim reuera est *ora.* Etiam uerbum *superfoedant,* si iunctim scribatur, addendum erit Lexicis Latinis; sed disiunctim feci *super foedant,* ut est in Codice ipso.

V. 352. *Saeua.* Ms. *Seue.*

V. 362. *Hic ab utroque cadit: gladii* cet. Ms. *Haec ab utroque cadit. gladiis.*

V. 365. *cadebant.* Ms. *cadebunt.*

V. 367. *infensas.* Ms. *infessas.*

V. 370. *Massylas gentes. Bisquinos africus ignes.* Ms. *Massilas gentes bisquinos affricus ingens.* Ante *bisseni,* adiicere poteris in Lexicis Linguae Latinae etiam *bisquini.* Hac uoce usus est Ioh. L. De Bonis *Epistola* XVIII. *ad Regem Vngariae ut tollatur Schisma* u. 39. ubi ait:

Bisquinis uicibus iam sol uarieque uagatur.

Ioh. quoque Aloysius Guidobonus, de quo uide in Praef. nostra, u. 29. ait:

Nec dum bisquinos aetas tua uiderat annos.

V. 374. *Ductoris.* Ms. *Ductori.*

V. 375. *Caecilides.* Ms. et hic ut lib. iiI. u. 47. *Cecilides.*

V. 378. *Non minor.* In margine est *Comparatio.*

V. 380. *Maurusia.* M. *maurisia.*

V. 383. *Ilasguas.* Etiam in margine legitur *Ilasguas.*

V. 384. *Frexes et Naufur.* Ms. *frixes et naufur.* In margine adest tantum . . . *xes* . . . *fur,* priores enim litterae cum eodem margine fuerunt recisae.

V. 387. *laborantem.* Ms. *laborentem.*

V. 388. *Nimirum.* Ms. *Se uirum.*

V. 390. *Fortia facta uiri.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 645. incipit: *Fortia facta patrum.*

V. 391. *Vinci.* Infra lib. VII. u. 20. occurrunt

. . . . *arua Vincensia.*

V. 392. *mari.* Ms. *maris.*

V. 393. *praedia.* Ms. *prelia.*

V. 394. *Temperat ille suas noctis per opaca latebras.* Ms. *Teperat* etc. Virg. *Aen.* lib. iI. u. 725.

. . . . *Ferimur per opaca locorum;*

et lib. VI. u. 633.

. . . . . . *et pariter gressi per opaca uiarum.*

V. 395. *Sollicitaeque celer successit moenibus urbis.* Ms. *Solliciteque celer successit mentibus urbis.* Sed fere omnes diphthongi exulant a nostro Codice. Cic. *Or. pro lege Agrar.* I. cap. VIII. *Ciuitas sollicita suspicione.*

V. 396. *Hostes per medios.* Virg. *Aen.* lib. iiI. u. 283.

. . . . . *mediosque fugam tenuisse per hostes;*

et lib. XII. u. 477. . . . . . *medios Iuturna per hostes;*

et u. 650. . . . . *medios uolat ecce per hostes.*

V. 397. *Non ignota cano.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 91: *Haud ignota loquor.*

V. 399. *Perficiens.* Ms. *Perficere,* quod si retinere uolueris, adde copulam *et* sic: *Perficere, et.*

V. 403. *Hinc redit ad socios: magnum petit inde magistrum.* Ms. *Hic retulit ad sotios. magnum petit magistrum.*

V. 409. *Si dicta feremus.* In margine est *Oratio.*

V. 412. *summo.* Ms. *summa.*

V. 414. *raros iam uidimus hostes.* Ms. *rarus iam rupuimus ab oste.*

V. 415. *Tum locus est, quo.* Ms. *Dum locus est qui.*

V. 416. *Carcasan.* Ms. *Carthasan.*

V. 417. *Tarincus.* Non plane clarum est hoc nomen in Codice, ubi scriptum uidetur potius *tarincius.*

V. 418. *nostris.* Ms. *histi.*

V. 430. *Terribilem Asan.* Ms. *Terribile masan.*

V. 431. *Audacem Tafaran Petrus.* Ms. *Audacem petrum tafaran.* Sequentes uersus requirunt correctionem, quam hic adhibui.

V. 432. *infensis luctantem Iammada telis.* Ms. *infessis* etc. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 793.

Cum telis premit infensis.

V. 434. *Verticis alta rotans truncatis timpora neruis.* Ms. *Virtutis alta rotans truncatis timpora uenis.*

V. 435. *Altisan Stephanus* etc. Ms. *Sthefanus altisan* etc. Ordinem horum nominum immutaui, quia *Stephanus* habet priorem syllabam breuem apud Martialem et Aratorem, ut constat ex *Prosodia reformata* Ricciolii.

V. 436. *Ielidassenque.* Ms. *Ielidas senque.*

V. 437. *Gregorius inficit.* Ms. *grorgius conficit.* Feci *Gregorius,* ut est supra lib. IIII. u. 487., non *Georgius;* nam huius prima passim apud Poëtas corripitur,

ut uidere est in *Prosodia reformata* Ricciolii, ubi citatur pro eadem syllaba producta unicum exemplum Baptistae Mantuani, cuius auctoritas non magni est facienda.

V. 440. *miles, ueloxque.* Ms. *pules uelosque.*

V. 442. *Duro sonat ungula cornu.* Virg. *Georg.* lib. III. u. 88. . . . . . *et solido grauiter sonat ungula cornu.*

V. 444. *Cornipedum fodiens densis calcaribus armos.* Virg. *Aen.* lib. VI. u. 881.

Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.

V. 446. *Dirupto.* Ms. *diructo*, ut lib. V. u. 607.

V. 447. *Non aliter.* In margine *Comparatio.*

V. eod. *conuoluit.* Ms. *cum uoluit.*

V. 448. *Cum tumidus boreas, Scythica iam liber ab aula.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 144. . . . . *illa se iactet in aula*

Aeolus.

Non incongrue post Virgilium noster Poëta uentorum domum *aulam* appellat; est enim *aula*, Graece *αὐλή*, ut scribit Athenaeus lib. V., *ὁ διαπνεόμενος τοπός*, *locus* nempe *subdialis*, *ac perflatilis*, ab *ἄω*, idest *flo.*

V. 449. *Perfurit.* Ms. *Perfuris.*

V. 451. *Vertit arenosas, conturbans aequora, terras.* M. *Vertis arenosas conturbans equo terras.*

V. 459. *Quatuor* etc. In margine adest notula, cuius prior uox recisa fuit, sic *(Quatuor) ligantur captiui.*

V. 463. *Varinnum.* Suspicor hunc esse eundem Maurum, de quo est mentio supra lib. IIII. u. 964., ubi reperi *Varrinnum* etiam duplici *rr.*

V. 465. *Nasamon.* Ms. *mamasan.*

V. 470. *uultuque remisso.* Val. Max. lib. VIII. cap. X. n. III. *uultu remisso, et languida uoce* etc.

V. 473. *Massylique.* Ms. *Massilique.*

V. 475. *Caecilides.* Ms. *Cecilides;* ut alibi. In margine est *Oratio.*

V. 476. *Optime iussa.* Ms. *Octima iuxa.*

V. 484. *Mansuescit.* Exempla huius uerbi actiue sumpti, ut supra u. 253., rara sunt apud Lexicographos Latinos.

V. 494. *humiletque tua uirtute superbos.* Ms. *humilesque.* Ex uerbo *humilio,* quo praeter scriptores ecclesiasticos omnis aeui, incipiendo a Tertulliano, imo a primo saeculo Christiano in quo perfecta fuit antiqua uersio Bibliorum Sacrorum, usus est etiam Ammianus Marcellinus, fecit noster Poëta *humilo* ob metri gratiam tum hoc loci tum libro VII. u. 464. Desumpta est autem haec sententia ex *Ps.* LXXXVIII. u. 11. *Tu humiliasti, sicut uulneratum, superbum: in brachio uirtutis tuae* (uel, ut in Psalt. Mediolan., *et in uirtute brachii tui*) *dispersisti inimicos tuos.*

V. 498. *Finierat dictis.* In margine male est hic *Oratio,* quae uox potius ponenda erat e regione uersus 500.

V. 499. *lumine toruo.* Sic desinit Virg. *Aen.* lib. III. u. 677.

V. 506. *Subiiciet.* Ms. *Subicite.*

V. 508. *Ante tubam.* V. lib. IV. u. 490., idest *Ante proelium,* ut interpretatur P. Pirrho eandem phrasim apud Claudian. lib. I. *in pr. Cons. Stilich.* seu *Carm.* XXI. u. 192.

Ante tubam nobis audax Germania seruit.

V. 509. *tueri.* Ms. *tuorum.*

V. 510. *Nasamon.* Ms. *Sadamon.*

V. 511. *Iussio dura premit. Mortem licet ipsa minentur.* Ms. *Iuxio dura premit. mortem licet ipse minentur.*

V. 517. *Byzacii.* Ms. *Bizacii.*

V. 521. *Ipseque qui.* Ms. *Ipse qui.*

V. 524. *ualde graui. Tum.* Ms. *tu.* Fortasse tempore Corippi ultima aduerbii *ualde* corripiebatur.

V. 525. *ira.* Ms. *irre.*

V. 530. *Maximianus,* nempe Herculeus, de quo uide ad lib. I. u. 480.

V. 535. *Languantan cedere signis.* Ms. *laguantan cedere suis.*

V. 536. *An fugisse putas? Velles hoc, ductor acriue.* Ms. *Aut fugisse putas? uallas hoc ductor acriue.* Pro *An* ex *Aut* potest legi *Haud;* sed tunc omittendum esset punctum interrogantis, quod uisitur etiam in Codice. Fortasse illud *acriue,* quod legitur in Codice ipso, et immutare non ausus sum, cum nesciam, quid pro ea uoce sit reponendum, est ex Graeco *ἀκριβὴς*, *exquisitus, accuratus, diligens.* Sane in *Prosodia reformata* auctore I. B. Ricciolio impressa Bononiae anno MDCLV. legitur *Acriuia, diligentia, ἀκρίβεια, prima communis, secunda et tertia longa.* Item Du Cange in *Glossario mediae et infimae Latinitatis* habet: *Acriuiose, accurate ex Graeco ἀκριβῶς*, citatque *Isidorum Pacensem episcopum saeculi VIII., qui ea usus est uoce in Chronico.*

V. 541. *suspendi Maurorum.* Ms. *subspendi morietur.*

V. 542. *Iussu.* Ms. *Iussit.*

IN LIBRVM VII.

NOTAE.

V. 4. *Obtutu.* Ms. *Optutu.*

V. 6-7. *Vincere quippe grauis melius sapientia gentes,*
Quam uirtus armata potest.

Ecclesiastes cap. VIIII. u. 18. *Melior est sapientia, quam arma bellica.* *Sap.* cap. VI. u. 1. *Melior est sapientia, quam uires; et uir prudens, quam fortis.*

V. 8. *relegens.* Ms. *relegans.*

V. 9. *Sic praepes hirundo.* In margine legitur *Comparatio.* In textu legitur *Sic praeceps,* sed additum est in margine *al. praepes.* Hanc uero uocem requirit ratio uersus prae altera; et ter illa usus est Virgilius, cum de uolucribus ageret, qui uelociter, ut hirundines, discurrunt per aëra: ut *Aen.* lib. iiI. u. 361.

Et uolucrum linguas, et praepetis omina pennae;

lib. V. u. 254-5. . . . . *Quem praepes ab Ida*
Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger uncis.

et lib. VI. u. 14-5.

Daedalus, ut fama est, fugiens Minoia regna,
Praepetibus pennis ausus se credere caelo.

V. 10. *Inquirens teneras pullis circumuolat escas.* Ms. *Inquires teneras puluis circouolat* etc. Virg. *Georg.* lib. I. u. 377.

Aut arguta lacus circumuolitauit hirundo.

V. 12. *Itque reditque locis: ramos nunc arboris altae.* Ms. *Idque redit locis* etc. V. supra ad lib. IiiI. u. 524. Virg. *Aen.* lib. VII. u. 108.

Corpora sub ramis deponunt arboris altae.

V. 13. *proscinditque.* Ms. *proscindit* absque copula.

V. 15. *Et sociis sic ductor ait.* In margine *Oratio.*

V. 16. *Carcasan nostris fretus concurrere telis.* Ms. *Carsan nostris* etc. Virg. *Georg.* lib. I. u. 489. desinit similiter . . . . *concurrere telis.*

V. 20. *Vincensibus aruis.* Sic est in Codice. An *Vitensibus?* Vita enim est Africae urbs nota, exstans olim prope Tripolim, unde nomen sumpsit Victor Vitensis episcopus, qui *Historiam* scripsit *Vandalicae Persecutionis* sub Hunerico circa annum CCCCLXXXVII. Sic corrigerem, nisi supra libro VI. u. 391. legissem

Vinci populator iniquus.

Vincum uel Vincus est fortasse urbs Africae, quae fugit diligentiam geographorum: nisi legendum sit hic *Vicensibus*, et supra *Vici.* Tunc erit illud *prouinciae Byzacenae oppidum,* ut ait Cl. Morcellus *Afr. Christ.* T. I. p. 352., *quod Antoninus Vicum Augusti in Itinerario appellat, inter Adrumetum et Aquas Regias. Idem in Concilio Cypriani Vicus Caesaris dicitur, et ex Collatione Vicus tantum quandoque nominatum uidetur, quod ceteris antiquior esset.*

V. 21. *fors.* Ms. *sors.*

V. 23. *concurret.* Ms. *concurrere.*

V. 25. *texerit.* Ms. *exerit.*

V. 27. *Perient.* De parum usitata hac forma futuri uidendus est Forcellinus uerbo *Eo* in fine, ubi nullum tamen est additum exemplum pro uerbo *Pereo,* excepto eius composito *Disperiet* ex *Sap.* XVI. 29. Poterat autem afferri ex *Ecclesiastico* cap. XXIII. u. 7. et cap. XLI. u. 9. *periet.* Sic etiam in Vulgata plura sunt exempla huiusmodi pro aliis uerbis compositis ex *eo.*

V. 29. *Concutiens obscoena fames* etc. Ms. *Concitiens obscena fames* etc. Virg. *Aen.* lib. III. u. 367.

Obscoenamque famem etc.

V. 30. *uenalia tempore certo.* Ms. *ienalia tempore certo.* Virg. *Georg.* lib. IIII. u. 100. desinit pariter:

. . . . *tempore certo.*

V. 32. *mouete.* Ms. *mouere.*

V. 33. *Vix ea fatus erat, campos contexerat.* Ms. *contexeras.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 590., lib. II. u. 692., lib. III. u. 655., lib. VI. u. 190., lib. VIII. u. 520., et lib. XII. u. 650. incipiunt iisdem uerbis:

Vix ea fatus erat.

V. 34. *Altus eques, lentusque pedes.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 624-5.

Pars pedes ire parat campis, pars arduus altis
Puluerulentus equis furit.

V. 35. *fremitusque incessit equorum.* Ms. *fremitusque inccescit* etc. An *ardescit*, ut Virg. *Aen.* lib. XI. u. 607.

. . . . *fremitusque ardescit equorum.*

V. 36. *cautus Carcasan montibus altis.* Ms. *cautis carhasan monitus alis.*

V. 37. *Antalasque ferox: subito, crepitante tumultu.* Ms. *Atalasque* cet. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 397.

. . . . *subito turbante tumultu.*

V. 40. *iunxere.* In Ms. tam *iunxere*, quam *uinxere* legi potest.

V. 41. *densis exercitus armis.* Ms. *densus exercitus* cet. V. lib. III. u. 238. et loca Virg. similia ad illum u. citata.

V. 43. *Massylique.* Ms. *Massilique.*

V. 46. *portusque intrare Lariscos.* Ms. *portuque stare Larisco* uel *Laristo.*

V. 47. *Iussit.* Ms. *Iuxit.*

V. 48. *Dispensat.* Ms. *Dispensant.*

V. 50. *oborta.* Ms. *aborta.*

V. 56. *quo.* Ms. *quod.*

V. 60. *circumfusos certum est patuisse.* Ms. *circumfusas certum est potuisse.*

V. 62. *infensis miseram petis, improbe, telis!* Ms. *infessis* etc. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 793.

Cum telis premit infensis.

V. 65. *ductorem.* Ms. *ductore.*

V. 66. *sociumque.* Ms. *sotiumque.*

V. 69. *Siluam uelut.* In margine *Comparatio.*

V. 71. *Cum tenuis scintilla* etc. *Eccli.* cap. XI. u. 41. *A scintilla una augetur ignis.*

V. 72. *Incipit.* Ms. *Incepit.*

V. 73. *Funeream primum paruamque exire fauillam.* Ms. *Furam primum* etc. Prius tamen pro *Furam* in Codice erat uox longior, in cuius medio deletae fuerunt ad minus duae litterae; ideoque fortasse legebatur *Funeram;* ex qua uoce conieci legendum *Funeream* pro *funestam* uel *atram:* ut Virg. *Aen.* lib. V. u. 666.

Respiciunt atram in nimbo uolitare fauillam.

Potes etiam legere *Furuam primum* etc., uel *Fumum primum* etc., ut Terent. *Adelph.* Act. V. Sc. III. u. 6.

Psaltria fauillae plena et fumi.

V. 76. *accendere feruor.* Ms. *acuere furore.*

V. 78. *trahuntur.* Ms. *trahantur.*

V. 81. *cruento.* Ms. *cruenti.*

V. 86. *Saxa, faces, gladios (quotquot furor arma ministrat).* Ms. *Saxa faces gladios quicquid furor. ira ministrat.* Poterat sic relinqui hic uersus absque ulla correctione; sed eam suppeditauit mihi Virg. *Aen.* lib. I. u. 154.

Iamque faces et saxa uolant, furor arma ministrat.

V. 88. *Morte ducis merita.* M. *meriti.* Virg. *Aen.* lib. IiiI. u 696. . . . . . . *merita nec morte peribat;* et lib. XI. u. 849.

Morte luet merita.

V. 91. *Exacuunt dubias mediis feruoribus iras.* Ms. *Exacuunt dubias feruoribus iras.* Virg. *Georg.* lib. iiI. u. 154. . . . . . *nam mediis feruoribus acrior instat.* Ex hoc loco adciui *mediis*, ut uersum sanarem Corippi, cum is *in eius librorum lectione apprime uersatum se prodat;* ut recte obseruauit Fogginius, praeter alios, in *Praefatione* ad Opera iam edita illius p. VIII.

V. 96. *Quisnam* etc. In margine *Oratio.*

V. 97. *Exagitat.* Ms. *Exagitur.*

V. 98. *Tarasis.* Ms. *tarsesis;* sed lib. IiiI. u. 553. et 1101., et lib. V. u. 525. est *Tarasis.*

V. 106. *Morte.* Ms. *Marte.*

V. 112. *comitesque.* Ms. *cominusque.*

V. 113. *aggere.* Ms. *agere.*

V. 114. *Constitit.* Ms. *Constituit.*

V. 115. *Ferum me* etc. In margine *Oratio.*

V. 116. *ciuilibus armis:* ut Lucr. lib. iiI. u. 70.

Sanguine ciuili rem conflant.

V. 117. *est ensum.* Sic est in Codice. Fortasse *ensum* est per syncopen pro *ensium;* nisi mauis legere *extensum* pro *est ensum.*

V. 118. *mortis.* Ms. *martis.*

V. 121. *Nostris.* Ms. *noster.*

V. 122. *Cusina.* Ms. *Cosina.*

V. 123. *Vos, ignaua manus, nostris discedite castris.* Sic ait Caesar ad milites suos seditiosos apud Lucan. *Phars.* lib. V. u. 357-8. . . . . . . *discedite castris:*

Tradite nostra uiris ignaui signa Quirites.

V. 124. *Vadite.* Caesar eodem uerbo utitur apud Lucan. lib. cit. u. 325. in suis obiurgandis militibus.

V. eod. *commotis Cusina cannis.* Ms. *commotis cősina* (sic) *cannis.* Vide supra ad lib. VI. u. 264.

V. 125. *adsit.* Ms. *assit.*

V. 126. *Bezinaque.* Ms. *Vezinaque;* sed supra lib. VI. u. 279. est *Bezina.*

V. 127. *Vix ea fatus erat, densis.* Ms. *densi.* V. supra ad u. 33.

V. 134. *Atque monens* etc. In margine *Oratio.*

V. 135. *restinguere mente furores.* Ms. *restringere* etc. Scio apud anonymum auctorem *Panegyrici ad Constantinum* cap. VI. n. 1. esse: *Iratos incensosque ad ulciscendum animos restringere.* Attamen fortasse mendosa est ea lectio; cum Cicero habeat *De Finibus* lib. I. cap. XIII. *Restinguere omnium cupiditatum ardorem, Orat. pro Rabirio* cap. VI. *Restinguere odium,* et *Orat. pro Sext.* cap. XXI. *Animos hominum sensusque morte restingui;* item *De Orat.* lib. I. cap. LI. *Eorum mentes, qui audiunt, aut inflammare dicendo, aut inflammatas restinguere,* et *De Diuinatione* lib. I. cap. XXX. *Illa etiam tertia parte animi, in qua irarum existit ardor, sedata atque restincta.*

V. 136. *discedit.* Ms. *descedit.*

V. 137. *furuisse.* Vnicum est fortasse exemplum praeteriti modi infinitiui huius uerbi, de cuius praeterito etiam indicatiui modi dubitant Grammatici, num reuera exstiterit. Cellarius enim in *Latinitatis probatae et exercitae Libro Memoriali* affirmat sine praeterito esse *Furo;* et Forcellinus in suo Lexico refert praeteritum eius esse *paene incertum.*

V. 141. *Recinarius.* Ms. *ricinarius.*

V. 149. *Nec minus, ut Caesar* etc. In margine est *Comparatio.* Non autem est tantum comparatio, quam allusio ad celebrem seditionem ortam in castris Caesaris, quam illico sedauit una tantum uoce usus in alloquendis militibus; uidelicet, *Quirites*, eos appellans, non amplius *Commilitones*, ut solebat. Vide hac de re Sueton. *De C. Caesare* cap. LXX., Tacit. *Annal.* lib. I. cap. XXXXII., et Lamprid. *De Alexandro Seuero* cap. LII. et seqq. Sic etiam habet Lucan. *Phars.* lib. V. u. 357. et seq. supra cit. ad u. 123.

V. 152. *Paucos* etc. In margine *Oratio.*

V. 161. *Fit gentes terror, quando cum milite laetus.* Ms. *He gentes terror sed acon milite letus.*

V. 164. *stridentia.* Ms. *stridente.*

V. 166. *et Campis posuit sua castra Catonis.* Fortasse hi *Campi Catonis* erant prope Vticam, nisi potius a Catone maiore, qui quaestor fuit in Africa, nomen sortiti sint. De iis autem *Campis* nullam mentionem inueni apud Cellarium aliosque geographos. Lucan. lib. VIII. u. 119. desinit pariter . . . *et castra Catonis.*

V. 168. *omne.* Ms. *omnem.*

V. 179. *sumpserat.* Ms. *sumpserit.*

V. 180. *agmina.* Ms. *aghmine.*

V. 181. *aggere.* Ms. *agere.*

V. 185. *Massyla.* Ms. *massilla.*

V. 187. *occurrere iussit.* Ms. *iuxit.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 854. desinit iisdem uerbis.

V. 189. *His tunicas* etc. In margine: *Nota insenia quae dabantur militibus.*

V. 191. *cetra.* Ms. *sceptra.* Pro *cetra*, poteram legere *scuta*, sed secutus sum Virgil. *Aen.* lib. VII. u. 732.

Laeuas cetra tegit,

ubi, ut iam adnotaui ad lib. iI. u. 153., Seruius *Cetram* ait esse *Scutum loreum, quo utuntur Afri et Hispani.*

V. 194. *Missilibus.* Ms. *Massilibus.*

V. 196. *dictis affatur amicis.* Sic desinunt apud Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 126., et lib. X. u. 466. V. infra ad u. 431.

V. 197. *Romani comites* etc. In margine *Oratio.*

V. 202. *Massylaeque.* Ms. *Massileque.*

V. 203. *laetus.* Prius erat *leto,* unde factum est *letus.*

V. 204. *Non sic* etc. In margine est *Comparatio.*

V. 209. *Vt fremitus pressit, dextraque silentia iussit.* *De Laudibus Iustini* lib. I. u. 123.

Ora premens digito, dextraque silentia fecit.

Lucan. *Pharsal.* lib. I. u. 298. desinit pariter:

. . . . *dextraque silentia iussit.*

Item *Iudith.* cap. XIII. u. 16. *iussit fieri silentium.* Vide supra ad lib. IiI. u. 399.

V. 211. *Suspiciunt.* Ms. *Suscipiunt.*

V. 213. *Nec.* Ms. *Hec.* In margine etiam est *Comparatio.*

V. 224. *receptis.* Ms. *reettis.*

V. 225. *non tristia mittere bella.* Corippum uidetur hoc loci usum esse uerbo *mittere* pro *committere,* ut lib. I. u. 487. V. et ad lib. iI. u. 268.

V. 227. *margine.* Ms. *magine.*

V. 234. *Nec minus et Nasamon diuersa in parte rebellis.* Ms. *Nec minus et massamon* cet. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 691. . . . . *diuersa in parte furenti;*

et lib. XI. u. 203.

Nec minus et miseri diuersa in parte Latini.

V. 235. *Consilium infandi faciens pro tempore belli.* Ms. *Consilium nephandi* etc. Virg. *Aen.* lib. VII. u. 583.

Ilicet infandum cuncti contra omina bellum;

et lib. XII. u. 804. . . . . *infandum accendere bellum.*

V. 236. *agmina.* Ms. *agmine.*

V. 239. *Extrema iam morte.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 447., et lib. XI. u. 847. incipiunt:

Extrema iam in morte.

Hinc fortasse erit adiicienda etiam in uersu Corippi particula *in* ante *morte.*

V. 242. *Carcasan, sic orsus, ait.* Ms. *Cartasan* etc. In margine est *Oratio.*

V. 245. *Dum solidae uires membrorum robore constant.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 639.

. . . . *solidaeque suo stant robore uires.*

V. 246. *lymphiger.* Vox addenda Lexicis Latinis; ut iam monui ad lib. III. u. 145.

V. 247. *uiris.* Ms. *uiros.*

V. 248. *Nasamone.* Ms. *nassamone.*

V. 260. *fossas.* Ms. *fossa.*

V. 266. *Cusina.* Ms. *Cosina.*

V. 270. *dum dicitur esse magister.* Oblique hic ambitionis accusatur Cusina, eoque nomine in inuidiam uocatur, quod uana nempe magistri ambitione ductus malit pro Romanis quam pro Mauris seu patria militare. Magister militum uel militiae tempore potissimum Iustiniani erat supremus dux exercitus in aliqua expeditione, ut pluries fuit Belisarius, et nunc Iohannes noster in Africana expeditione contra Mauros rebelles, quam hoc Poëmate cecinit Corippus.

V. 280. *nostras uires. Haec surgit.* Ms. *nostra uires hec surget.*

V. 281. *Placidam per membra quietem.* Ms. *placida* etc. Virg. *Aen.* lib. I. u. 695. desinit pariter:

. . . . . . *placidam per membra quietem.*

Sic et alibi dicit *quietem placidam.* In margine autem

adest sequens nota: [*Vide*] *sonitium petrarce:*

Or che'l cielo la terra e'l uento tace.

V. 286-7. *Cum uigil insomnem, flagrans iam marte, Iohannes*
Ducebat noctem. . . . Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 166-7.
. . . . *noctem custodia ducit*
Insomnem.

V. 289. *Quem iuxta sapiens Recinarius horrida bella.* Ms. *Quem iusta sapiens ricinarius* etc. Virg. *Aen.* lib. VI. u. 86., et lib. VII. u. 41. desinunt pariter:

. . . . *horrida bella.*

V. 290. *Pectore pensabat placido.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 525.

Maximus Ilioneus placido sic pectore coepit.

V. 291. *uarios relegebat in ordine casus.* Ms. *uarias* etc. Postrema tamen uox in Codice est dubia, ita ut nescias, utrum legas *casus* uel *causas.* Reuera *uarias* requireret *causas;* sed praetuli *uarios casus,* quia sensus uidetur id requirere, et Virgilius *Aen.* lib. I. u. 208. habet:

Per uarios casus etc.

V. 293. *fabula.* Vide ad lib. uI. u. 57.

V. 294. *O quoties abiere pares; Dominumque potentem.* Ms. *O quoties habiere pares.* Nescio quid uoluerit hic innuere auctor. Fortasse non adhuc sanus hic est uersus. An legendum: *O quantas fudere preces?* Ps. XXIII. u. 8. *Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio;* et Ps. LXXXVIII. u. 9. *potens es, Domine.*

V. 296. *fundit.* An *fudit?*

V. 297. *preces.* Ms. *preceps.*

V. 301-2. . . . . *et inania poscunt*
Numina. . . . . Virg. *Aen.* lib. I. u. 670.
. . . . *et supplex tua numina posco.*

V. 304. *Hi.* Ms. *Hic.*

V. 305. *Igniferique colunt, quae Mazax numina Martis.* Ms. *Hignifero colunt quae mazax numine martis.* Fortasse postrema uersus uerba erunt hoc ordine legenda : . . . . *Martis quae numina Mazax.*

V. 306. *atque deum belli putat esse potentem.* Ms. *atque domini belli putat esse petentem.* Etiam Virg. uocat Martem *belli potentem. Aen.* lib. XI. u. 7-8.

V. 307. *gentes.* Ms. *gentis.*

V. 308. *Tenarium dixere Iouem, cui sanguine multo.* In margine adest haec nota: *Hic ponitur modus barbari sacrifitii.* De Ioue Tenario, ut hic uocatur, nihil inueni hucusque.

V. 310. *Pro, scelus.* Sic incipit Virg. *Aen.* lib. V. u. 793.

V. eod. *Gemitus.* Ms. *geminis.*

V. 313. *Numen.* Ms. *Nomen.*

V. 316. *surdumque.* Ms. *surdum* absque copula.

V. 324. *distensis habuit tentoria uelis.* Exemplum pro participio *distensus* protulit Furlanettus in *Appendice ad Lexicon* Forcellini. Ex hoc autem loco alterum habes huiusmodi exemplum. In margine legitur haec nota: *Hic ponitur modus Christianorum.* Supple ex nota superiori *sacrificii.* Virg. *Aen.* lib. I. u. 473. desinit pariter . . . . *tentoria uelis.*

V. 325. *Visus.* Ms. *Visa.*

V. 327. *peplis.* Ms. *pheplis.* Iuxta Durandum lib. I. *Rationarii diuinorum Officiorum* cap. III. n. 35. uelum in ecclesia triplex suspendebatur: primum, quod sacra operiret; secundum, quod sacrarium a clero diuideret; tertium, quod clerum a populo secerneret.

V. 328. *More patrum.* Virg. *Georg.* lib. III. u. 177. incipit iisdem uocibus.

V. 335-6. . . . . *et tensis aethera palmis*
Suspiciunt. Ms. *Suscipiunt.*

Virg. *Aen.* lib. XII. u. 196.

Suspiciens caelum, tenditque ad sidera dextram.

V. 337. *genibusque.* Ms. *gentibusque.*

V. 343. *caelum et terram uirtutibus implens.* Pro miraculis est frequens haec uox *uirtus* in sacris Bibliis, ut adnotauit Forcellinus. Hinc Mazzolenus auctor Hymni in *Breuiario Ambrosiano* recepti pro festo S. Philippi Nerii cecinit:

Impleuit hic uirtutibus
Terras, et astra ciuibus.

V. et lib. I. u. 143.

V. 344. *Vndiuagumque.* V. ad lib. VI. u. 343.

V. 345. *populi pallentis.* Virg. *Aen.* lib. IIII. u. 26.
Pallentes umbras Erebi;
et u. 242-3. . . . . *animas ille euocat Orco*
Pallentes.

V. 346. *Imperium tu solus habes; tibi summa potestas.* Iudas *Epist.* u. 25. *Soli Deo saluatori nostro . . . . . gloria et magnificentia, imperium et potestas.*

V. 347. *Et laus, et regnum, magnaeque potentia* (Ms. *potentie*) *dextrae.* Lib. I. *Paralip.* cap. XXVIIII. u. 11. *Tua est, Domine, magnificentia et potentia et gloria atque uictoria, et tibi laus: cuncta enim, quae in caelo sunt et in terra, tua sunt: tuum, Domine, regnum* etc.

V. 348. *Respice iam tandem Romanos* etc. Vt oratio Moysis *Exod.* cap. XXXIII. u. 13. *Respice populum tuum, gentem hanc.*

V. 350. *Frange.* Ms. *france.*

V. 351. *dum conteris hostes.* Isa. cap. I. u. 28. *conteret scelestos et peccatores simul.*

V. 354. *Haec memorans, terras oculorum fonte rigabat.* Ms. *Nec memorans* etc. Virg. *Aen.* lib. V. u. 641. et 743., item lib. X. u. 680. incipiunt:

Haec memorans . . . .; et lib. VI. u. 699.
Sic memorans, largo fletu simul ora rigabat.

V. 357. *humectis iuxta Recinarius, orans.* Ms. *humettatis iuxta ritinarius ora.* In margine autem est *Ricinarius.*

V. 363. *fudere.* Ms. *fundere.*

V. 364. *onerans.* Ms. *honorans.*

V. 365. *Obtulit.* Ms. *Optulit.*

V. 368. *acceptabile.* Vox frequens in Sacris Bibliis Latinis tum Italae ueteris tum Vulgatae Versionis; ut in *Epist. I.* Petri cap. II. u. 5. *hostias acceptabiles Deo.*

V. 369. *Sanctificans mundansque simul genus omne Latinum.* In margine legitur *Nota quod sacerdos dedit Benedictionem populo.* Ambrosius Calepinus in suo Dictionario uerbo *Sanctifico*, ubi recenset eius deriuata, subiungit: *quae apud Ecclesiasticos scriptores nusquam non occurrunt, classicis tamen linguae Latinae auctoribus parum recepta.* Bis participium *sanctificans* occurrit in Vulgata editione Sacrorum Bibliorum, nempe Ezech. cap. XX. u. 12. et *Rom.* cap. XV. u. 16. At uerbum *sanctificare* centies illis in libris usurpatur, ueluti *Hebr.* cap. XIII. u. 12.: *ut sanctificaret per suum sanguinem populum.* Reliqua pars citati uersus Corippi desumpta uidetur ex *Epist. ad Titum* cap. II. u. 14. *Vt nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem.*

V. 370. *Magister ducibus, Fortis Putzintule.* Ms. *Adiungens ducibus fortis putzintele.* De hoc nomine uide ad lib. IIII. u. 478.

V. 371. *Cum numeris* etc. In margine legitur: (*Nota*) *quod hic datur ordo proelii.* Vide supra ad lib. VI. u. 137.

V. 372. *Geisirich.* Ms. *geisirith*; de quo uide ad lib. II. u. 188.

V. 374. *At tu, Gontractis, iuuenum modo ductus in armis.* In Codice non adeo clara est prior littera uocis *Gontractis;* reliqua uero, quae ibidem sequuntur, sic se habent: *iuuenum modos induitis armis.* Fateor tamen non plane sanatum fuisse a me hunc uersum.

V. 375. *gentis signa.* Ms. *gentes et signa.*

V. 377. *Fronimuth.* Ms. *Fronimicth;* de quo uide supra ad lib. IIII. u. 525.

V. 380. *properabant.* Ms. *properabat.*

V. 381. *clipeatis agmina campis.* Aliquo modo imitatus est auctor Virg. *Aen.* lib. VII. u. 793-4.

. . . . *clipeataque totis*
Agmina densantur campis.

V. 382-3. . . . . *hastasque reductis*
Mittere tentantes uibrant in bella lacertis.

Ms. *astasque* etc. Virg. *Aen.* lib. XI. u. 605-6.

. . . . *hastasque reductis*
Protendunt longe dextris, et spicula uibrant.

V. 384. *Zaboas* etc. In margine: (*Nota*) *pulcrum principium proelii.*

V. 385-6. . . . . *subtexens lancea caelum*
Densa uolat. Ms. *Dense ualat.* Lucan. *Phars.* lib. VII. u. 459. . . . . *ferro subtexitur aether.*
Virg. *Aen.* lib. III. u. 492. . . . . *caelum subtexere fumo;*
lib. VII. u. 673. . . . . . . *densa inter tela feruntur;*
lib. XII. u. 408-9. . . . . *et spicula castris*
Densa cadunt mediis;

et u. 923-4. . . . . *Volat atri turbinis instar*
Exitium dirum hasta ferens.

Quinquies dixit ipse Maro *hastam uolantem*, et hic infra u. 494-5. occurrit: . . . . *lancea circum*
Densa uolat.

V. 389. *Primus init martem* cet. In margine legitur: (*Nota*) *quod Iohannes primo init bellum, et quot interfecit, et primo Sasfum.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 647. incipit pariter:

Primus init bellum.

V. 390. *Hastam.* Ms. *Asta.*

V. 392-3. . . . . . *reuolutus equo, fluuiumque cruoris*
Dat specus etc. . . . Virg. *Aen.* lib. XI. u. 671.
Suffosso reuolutus equo . . . ; et lib. VIIII. u. 700.
. . . . *reddit specus atri uulneris undam.*

V. 394-5. . . . . *quem cuspide longa*
Aduersum post terga ferit, qua spina sedentis etc.

Virg. *Aen.* lib. XII. u. 386.

. . . . *longa nitentem cuspide;*

et u. 510-1. . . . . . *Hunc uenientem cuspide longa,*
Hunc mucrone ferit . . . . ; item lib. X. u. 382-3.
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua spina dedit; lib. XI. u. 691-3.
. . . . . . *Buten aduersum cuspide figit;*
Loricam galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent.

V. 397. *haerentem recipit dum feruidus hastam.* Ms. *erentem recepit dum feruidus astam.* Virg. *Aen.* lib. XII. u. 293. . . . . *at feruidus aduolat hasta.*

V. 398. *uiuens.* Ms. *dolens.*

V. 399. *Myrmidonis.* Ms. *Mirmidonis.*

V. 403. *illum perculit hasta.* Ms. *eum proculit asta.*

V. 405-6. . . . . *Mucrone Sumasci*
Colla secat tereti. M. *fileti.* Virg. *Aen.* lib. VII. u. 665.
Et tereti pugnant mucrone etc.

V. 409. *et uasta gemuerunt arua ruina.* Virg. *Aen.* lib. III. u. 414. . . . . *et uasta conuulsa ruina.*

V. 412. *transuersam compulit hastam.* Ms. *transuersa compulit asta.*

V. 416. *Emicat alta petens.* Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 564.
Sustulit alta petens etc.

V. 417. *Ocius.* Ms. *Ocitius.*

V. 419. *necat.* Ms. *negat.*

V. 423. *Compulsit.* Sic in Ms. pro *Compulit,* absque exemplo in Lexicis; attamen adnotauerat Forcellinus in *Pello Pulsi* pro *Pepuli* rarum esse nec imitandum, et adiecit exemplum unicum Ammiani Marcellini, apud quem legitur lib. XXX. cap. V. al. 21. sub fin. *Quae eum insilientem pulserat consueto.* Si alicui autem non placet *Compulsit*, faciat *Compulsat.*

V. 425. *uolat.* Ms. *ualat.*

V. 429. *Cusina.* Ms. *Cosma.*

V. 431. *dictis iuuenes affatur amicis.* Ms. *ductis* etc. Vide exempla allata ex Virgilio ad u. 196. huius libri, quibus adde ex *Aen.* lib. I. u. 667.
Ergo his aligerum dictis affatur Amorem.
et lib. VIIII. u. 652. . . . . . . *dictis affatur Iulum.*

V. 432. *Romani* etc. In margine est *Oratio.*

V. 433. *animos, uiresque secundas.* Ms. *uiresque fidem.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 617. desinit pariter:
. . . . *animos uiresque secundas.*

V. 434. *Languantan.* Ms. *Languatan.*

V. 439. *quanta.* Ms. *quanti.*

V. 442. *uiri.* Ms. *uiris.*

V. 446. *Nasamonum.* Ms. *mamasonum.*

V. 447. *hastasque.* Ms. *astasque.*

V. 448. *miscentur.* Ms. *miscetur.*

V. 449. *It clamor caelo, iubilis simul* etc. Ms. *Id clamor celo yubilis semel* etc.

V. 450. *subtexitur aër.* Vide supra ad u. 385.

V. 451-2. . . . . *neruoque uolatile ferrum*
Spargitur. . . . . . Virg. *Aen.* lib. VIII. u. 694-5.
. . . . *telisque uolatile ferrum*
Spargitur.

Etiam ibid. lib. IiiI. u. 71. occurrit . . . . *uolatile ferrum.* Vide supra ad lib. V. u. 576.

V. 453. *arua.* An *arma?*

V. 462. *Latinos.* Ms. *latinis.*

V. 463. *Hac.* Ms. *Hoc.*

V. 464. *humilatque.* Vide supra lib. VI. u. 494.

V. 465. *fidissimus.* Ms. *fidissimis.*

V. 471. *Deiicite.* Ms. *Deiecite.*

V. 472. *Sic ait; et.* Septem uersus incipit Virgilius iisdem uerbis.

V. 475. *Geisirich.* Ms. *geisirth.* V. ad lib. iI. u. 188.

V. 477. *et mollia colla retorquent.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 622. desinit . . . . *et mollia colla reflectunt.*

V. 479. *Putzintulus.* Ms. *Putezinteulus.*

V. 480. *Ante uolat.* Sic diuisim est in Codice nostro tum hic tum infra u. 643., ut apud Virgilium rectius scribendum esse putat Forcellinus.

V. 486. *Transadigit.* Ms. *Transadicit.*

V. 492. *hastas.* Ms. *astas.*

V. 493. *loricam.* Ms. *luricam.*

V. 497. *Sic socios hortatur.* etc. In margine est *Oratio.*

V. 501. *Languantan gentes propriis aptabo.* Ms. *Lauguatan gentes propriis attabo.*

V. 506. *Hic socius Deciis* etc. Tres hoc nomine ciues Romani, pater, filius, et nepos, omnes consules, pro patria se deuouerunt, et telis hostium certaeque morti obtulerunt: P. Decius Mus pater bello Latino; P. Decius filius Etrusco; nepos eo, quod cum Pyrrho gestum fuit. De prioribus duobus uide Liu. *Hist.* lib. VII. cap. VIIII., et lib. X. cap. XXVIII., de omnibus Cicer. *Tuscul. Quaest.* lib. I. cap. XXXVII., et *De Fin.* lib. II. cap. XVIIII.

V. 507. *morte.* Ms. *marte.*

V. 508. *manens memorabile caelo.* Ms. *manet memorabile celum.* Virg. bis habet *memorabile*, nempe *Aen.* lib. II. u. 583., et lib. IIII. u. 94., et utroque in loco in sexta sede, cui subiungit *nomen*, quamuis alii in posteriori loco legant *numen*.

V. 509. *Dum fera bella legent aeuo ueniente minores.* In margine haec additur glossa *quia qui pro patria moriuntur perpetualiter uiuere dicuntur.* Nic. Erythraeus ad u. 822. lib. VI. *Aen.*, ubi legitur: *utcumque ferent ea fata minores*, adnotauit in margine *nepotes;* et in *Indice* Virgiliano ad eandem uocem adiecit: *Minores, sermo est poëticus, quo accipiendi sunt omnes, quos Posteriores Iurisprudentes appellant* etc. Lucr. lib. V. u. 1197. . . . . *quas lacrimas peperere minoribus nostris?* Guidobonus quoque cit. ad lib. V. u. 370. hunc habet uersum 129.

Atque uelit nostros semper meminisse minores.

V. 513. *Condensos ueluti fundunt caua nubila.* Ms. *nebula*, et *comparatio* in margine. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 671. . . . . . . *et Coelo caua nubila rumpit.*
In margine autem est *Comparatio.*

V. 515-6. . . . . . . *uiridis nec pampinus uuas*
Vindicat ipse suas, arbor. Ms. *albor.*

Virg. *Georg.* lib. I. u. 448.

Heu male tum mites defendet pampinus uuas!

V. 517. *Defendit teneros foliorum* etc. Ms. *Defundit teneros filiorum* etc.

V. 522. *Massylo.* Ms. *massilo.*

V. 523. *Succedit pilata manus* etc. Virg. *Aen.* lib. XII. u. 121-2.

Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis.

V. 525. *calent: nullum est sine sanguine Mauro.* Ms. *cadent nullum est sine sanguine mauri.*

V. 526. *Dolor excitat iras.* Virg. *Aen.* lib. II. u. 594. desinit eisdem uerbis.

V. 529. *feros.* Ms. *ferens.*

V. 531-2. . . . . *sed carmine paucos*
E multis signabo meo etc. Ms. *Et multis* etc.

Virg. *Aen.* lib. III. u. 377-9.

Pauca e multis etc.
Expediam dictis.

V. 534. *obstare, Iohannes.* Ms. *ostare Iohannis.*

V. 536. *Ceu messor* etc. In margine est *Comparatio.*

V. 538. *compressat.* Hoc uerbum omisit Forcellinus, quamuis ex Tertulliano recepit eius participium *compressatus.* Attamen Gesnerus in *Nouo Linguae et Eruditionis Latinae Thesauro* To. I. col. 1092. admiserat *Compresso*, atque Tertulliani ipsius *adu. Gnosticos* lib. III. textum adduxerat: *erat super illos in mala, et compressati sunt ualde.*

V. 545. *sed nil conterritus, ille.* In margine legitur *Nota ictum.*

V. 547-8. . . . . *loquelam*
Rumpere.

Adiiciendum erit hoc exemplum aliquando in Lexicis Latinis post *Rumpere uocem.*

V. 549. *Deiicit Esputerdan, Tamatoniumque: Iugurtham.* Ms. *Deiecit esputerdan tamatoniumque iugurtam.* Virg. *Aen.* lib. XI. u. 642. incipit:

Deiicit Herminium.

V. 551. *neruos.* Ms. *neruo.*

V. 553. *Voluitur in terram sonipes* etc. Ms. *Voluitur in tergum sonipes* etc., quod retinendum erat. Virg. *Aen.* lib. XI. u. 640.

Voluitur ille excussus humi . . . . . ; et u. 888-9.
Pars in praecipites fossas, urgente ruina,
Voluitur.

V. 556. *dominum deturbat arenae.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 554-5.

Tum caput orantis nequicquam, et multa parantis
Dicere, deturbat terrae.

V. 558. *Venit in obnixum* etc. Virg. *Georg.* lib. III. u. 222.

Versaque in obnixos urgentur cornua etc.

V. 561. *Hastam.* Ms. *Astam.*

V. 565. *ferit.* Ms. *fudit.*

V. 566. *Cernisati.* Ms. *Cernis ait.*

V. 568. *Colla metit, saeuumque secat per timpora Cutin.* Ms. *Colla mouet seuumque secat per timpa Cutin.* Stat. *Theb.* lib. VIII. u. 223. incipit:

Colla metit.

V. 569. *Camalum.* Ms. *camulum.* Puto eundem esse qui supra lib. IIII. u. 632. dicitur *Camalus.* Vide etiam lib. V. u. 732.

V. 570. *Captiuumque.* Ms. *Catiuumque.*

V. 571. *Tradidit.* Ms. *Tradit.*

V. 572. *torquens hastile lacerto.* Ms. *torquens astile* etc. Virg. *Aen.* lib. VIIII. u. 402. iisdem desinit uerbis.

V. 574. *Sed postquam* etc. In margine legitur: *petit ueniam.*

V. 576. *Euantis digno.* Ms. *euantis digna.* Fortasse erit scribendum *Euanthis* ex Graeco Ἐυανθής, hoc est *Florens*, uel aliter *Euanti* ex *Euantus* nomen duorum Sanctorum Martyrum, ut in *Act. Sanctor. Ian.* T. I. p. 21., et *Apr.* T. II. p. 80. De hoc patre Iohannis nihil reperi apud Historicos.

V. 579. *feras.* Ms. *ferax.*

V. 582. *Meque tuis, uictor, serua post bella triumphis.* Ms. *Meque tuis uictos serua post bella triumphos.*

V. 584. *uelox tamen illigat* etc. In margine haec adest nota: *Parcitur uita* (sic) *et ligatur.*

V. 586. *Mitis in immitem Recinarius* etc. Ms. *Mitis in nimitem ricinarius* etc. In margine autem legitur: (*Nota*) *ictum quem fecit retinarius.*

V. 587. *hastam.* Ms. *astam.*

V. 589. *Magnanimus.* Ms. *Magnanimi.*

V. 591. *Deinde petit* * * * *ualida quem cuspide uictor.* Ms. *Deinde petit. ualida quae cuspide uictor.* Patet omissum fuisse in hoc uersu nomen Mauri cuiusdam occisi a Recinario; etsi nulla appareat lacuna.

V. 592. *Deiicit.* Ms. *Deiecit;* ut paulo supra u. 549.

V. 595. *mollemque.* Ms. *molemque.*

V. 596. *uetant, uoluitque.* Ms. *metu, uoluntque.* Fortasse adhuc medica indiget manu hic uersus.

V. 605. *insternit.* Ms. *sternit.*

V. 607. *conto.* Ms. *coto.*

V. 610. *Celsus equo fidens.* Virg. *Aen.* lib. X. u. 18. *Austur equo fidens.*

V. 611. *Hunc.* Ms. *Huc.*

V. 612. *hastam.* Ms. *astam.*

V. 618. *fisus.* Ms. *fixus.*

V. 622. *Dorotis.* Ms. *dorozis*, sed supra lib. IiiI. u. 972., et lib. V. u. 650. est *Dorotis* Latinus. In fine uersus est mancus.

V. 623. *Execuit.* Cetera huius uersus desunt in Codice ipso, ubi incipiunt frequentes lacunae.

V. 626. *Permixtusque suis.* Cetera huius quoque uersus desiderantur.

V. 627. *Carcasan.* Ms. *Cartasan.*

V. 629. *Venientem uidit.* Et hic in Codice non apparet postrema uox huius uersus.

V. 630. *Iohannes.* Ms. *Iohannis.*

V. 632. *aduersumque petit per uulnera pectus.* Postrema haec uox deest in Codice, eamque accersiui ex Virg. *Aen.* lib. XII. u. 950.

Hoc dicens, ferrum aduerso sub pectore condit.

V. 635. *Extemplo.* Ms. *Extimplo*, quod fortasse usitatum fuit apud antiquos. In margine Codicis haec leguntur: *Nota quod mortuo Cartasan* (sic) *sui recedunt.*

V. 636. *Marmaridae.* Ms. *Marmaridem.*

V. 641. *Signa, ducesque simul, numeri, fortesque tribuni.* Vide supra lib. VI. u. 137. huic fere similem uersum.

V. 642. *Et laetus.* Ms. *Et latus.*

V. 645. *infensas.* Ms. *infessas.*

V. 646. *gentilia.* Nota, uocem *gentilis* apud scriptores sacros non solum idem esse ac *Idolorum cultor*, sed etiam indicare quodcunque ad Idololatriam spectans: ut *Machab.* lib. II. cap. IiiI. u. 10. *Ad gentilem ritum contribules suos transferre coepit.*

V. 648. *Ifuracumque.* Ms. *Ifura cumque.* Feci *Ifurcacum*, ut est supra u. 490. In hoc eodem uersu adest lacuna in Codice ad penultimam sedem uersus.

52

V. 650. *Ey.* Huius, et eorum, qui sequuntur, trium uersuum descriptae fuerunt in nostro Codice tantum priores aliquot litterae, quas exscribere uolui, ut omnia, quae in unico huius Poëmatis Ms. reperiuntur, cum lectoribus communicarem.

V. 654. *Ibi feruidus instat.* In Codice legitur tantum: *ibi feruidus in;* ideoque deest postremus pes uersus, quem suppleui ex Virgilio *Aen.* lib. VIIII. u. 350., et lib. X. u. 788., qui desinunt pariter:

. . . . *feruidus instat.*

V. 655. *Ceu uenator, aues uisco qui fallit et arte.* Virg. *Georg.* lib. I. u. 139.

Tum laqueis captare feras, et fallere uisco.

V. 656. *Sanguinis ex omni fluitantes arbore riui.* Cetera desiderantur tum huius fortasse libri tum totius libri VIII., in quo, ut innuit auctor libro I. u. 7., triumphum Iohannis magnum cecinit. Imo fortasse VII. hoc libro uel VIII. pax erat celebranda cum Antala, Maurorum duce, de qua haec scripsit Procopius *De Bello Gothico* lib. IIII. cap. XVII. p. 614. et seq.: quod Iohannes *Antalam et Iabdam* (de quo uide ad lib. III. u. 322., et lib. VI. u. 277.), *qui Mauris Byzacenis ac Numidis praeerant, ita sibi subdidit, ut ipsum tamquam mancipia assectarentur. Quo fiebat, ut id temporis fruerentur otio Romani in Africa praeteritis bellis et seditionibus adhuc late desolata.*

INDEX

ALIQVOT VERBORVM, ET OMNIVM NOMINVM PROPRIORVM, QVAE IN POËMATE CORIPPI DE BELLIS LIBYCIS OCCVRRVNT.

Libros Romani, et uulgares numeri indicant uersus; P. *autem hisce praemissum denotat illos Praefationis. Quae non inuenies in Poëmate, reperies in Notis.*

A

B

C

L

M

N

O

P

Q

R

S

V

Quae neque in textu neque in notis reperies, require inter errata.

PERIOCHAE

EXSCRIPTAE E SCHEDIS INVENTIS

IN IPSO CODICE TRIVVLTIANO.

Pellitur interea (1). Secundus liber incepit, in quo Auctor continuat a praecedente. Nam supra narrato modo Maurorum bellandi per Iohannem suis, et descensi (2) ad terram. Mauri qui erant per prouincias, infestando ipsam (*sic*) et civitates, sentientes et uidentes exercitum Romanorum, retrahunt se ad montes, et ad fortilitios (3). Et facit Auctor duas comparationes (4), usque ibi: *Quis mihi* (5).

Secundo inuocat Iustinianum: quod ipsum adiuuet ad exprimendam multitudinem gentium Maurorum, usque ibi: *Primus init bellum* (6).

Tertio narrat: qualiter Antalas princeps Maurorum, qui iam fuerat cum Romanis, init bellum. Et dicit: quomodo ipse conuocat amicos, et distribuit populos, qui uenerunt in eius auxilium, usque ibi: *Iam fortis* (7).

Quarto dicit: quomodo incipiunt aptare (8) se ad bellandum, et dant ordinem, usque ibi: *Auxilioque uocat* (9).

---

(1) Lib. II. u. 1.

(2) Scheda habet *descessi*, ut etiam in Codice est fere semper duplex *ss* pro *ns*.

(3) Vox *Fortilicia* est etiam in *Annalibus Genuensibus* Barth. Scalae lib. VII. ad annum MCCXXVII. cit. a Maurinis in *Glossario ad Scriptores mediae et infimae Latinitatis* Caroli Du Fresne D. Du Cange.

(4) V. 14-7. et u. 18-22.

(5) V. 23.

(6) V. 28.

(7) V. 162.

(8) In Scheda est *attare*. Ita etiam in Codice fere semper est duplex *tt* pro *pt* et *ct*.

(9) V. 183.

Quinto dicit: quod Frexes, qui sunt gentes leues armati, incipiunt, et eos sequuntur alii, ut patet in littera, usque ibi: *Hunc aggere celso* (1).

Sexto dicit, quod Romani existentes in campo eorum fortificati respiciebant multitudinem Maurorum; et facit comparationem de locustis (2) ad eos, usque ibi: *Iamque pedem* (3).

Septimo incipiunt scaramociare (4), et ponuntur nomina ducum, faciens quandam comparationem de tempestate uentorum (5), usque ibi: *Dentibus infremuit* (6).

Octauo describit, et proprie, rixam; et quod adeo stricta fuit, quod uenerunt ad gladios, usque ibi: *Tunc Romana manus* (7).

Nono refortiatur (8) rissa (9). Et facit comparatio de uentis, usque ibi: *Sic campos acies* (10).

Decimo dicit: quod ductor fecit retrahere gentes suas; et, uidens tantam multitudinem Maurorum, mandat refortiare castra: et describit modum, quem

---

(1) V. 191. Ex *Hunc* tamen feci *Huc* in poëmate.

(2) V. 196.

(3) V. 204.

(4) Maurini in cit. *Glossario* habent: *Scaramuzari*, *uelitari ab Ital. Scaramuzzare*, et citant *Castelli Chronicon Bergomense ad ann.* 1402. *ap. Murator. tom.* 16. *col.* 899.

(5) V. 216-21.

(6) V. 222.

(7) V. 233. Ms. autem habet: *Tunc Romana acies.*

(8) Maurini in cit. Gloss. *Refortiare*, *denuo uel amplius munire*, et Carpentier in *Glossario nouo ad Scriptores medii Aeui* addit 2. *Incarcerare.* Nunc addere poteris tertium sensum ex hoc loco, ubi *Refortiatur* idem est ac *uires resumit*, uel *recalescit.*

(9) Maurini *Gloss.* cit. *Rissa*, *uox Italica*, *Rixa*, *contentio. Inuentar. an.* 1271. *in Access. ad Hist. Cassin. part.* 1. *p.* 328. *col.* 2. *Item qui leuauerit Rissam, portando arma, et extraxerit unus sanguinem alteri, debet soluere augustalem unum.*

(10) V. 259.

tenebant ad ordinandum arma, et res eorum, usque ibi: *Maximus interea* (1).

Vndecimo dicit: quod ductor solicitus cogitabat de his, quae uiderat, et quae imposterum facere debebat, faciens comparationem de agricola (2). Demum putat habere consilium Recinarii fidi socii sui, ut Achates Aeneae, et Laelius Scipionis, usque ibi: *Hunc paribus curis* (3).

Duodecimo (4) commendat ipsum Recinarium, et pandit dubia, usque ibi: *Placide* (5).

Decimotertio ponit consilium Recinarii, usque ibi: *Placuere* (6).

Decimoquarto dicit auctor: quod Iohanni placuit consilium, et mittit ambasiatorem ad Ilasguas, cum ambaxiata contenta, quae est notatu digna, usque ibi: *Vix ea fatus erat* (7).

Decimoquinto ponit auctor: quod nuntius statim petit montana, et facta est nox; et dicit: quod luna non lucebat, ualde eleganter, sed castra erant bene luminata propter ignem, quod uidebatur caelum, quod serenum lucet stellis, et cetera, usque ibi: *Peruigil* (8).

Decimosexto dicit auctor: quod ipse nuntius inuenit Mauros facientes custodiam solertem; et mire describit modum custodiae camporum, et qualiter dormientes somniant esse ad manus cum inimicis, et actus, quos faciunt in somno, usque ad finem libri secundi: quod nota.

---

(1) V. 288.
(2) V. 299-304.
(3) V. 312.
(4) Male in Scheda est *XXII*. pro *XII*.
(5) V. 335.
(6) V. 354.
(7) V. 414.
(8) V. 435.

At ducis inuicti (1). Tertius liber. Et primo ponit auctor: quod dux transmisso nuncio ad tyrannum, more prudentum ducum uigilabat, et cum aliis sociis referebat gesta prospera et improspera occursa; et quod libenter sciret originem guerrarum Libyae, quia talis tribunus sciebat omnia, et parti interfuerat, usque ibi: *Gentius* (2).

Secundo dicit: quod ipse Gentius respondit, usque ibi: *Praecipitur* (3).

Tertio ipse tribunus paruit; tamen ante excusans se, ut Aeneas Didoni in secundo libro (4): demum narrat omnia seriosius (5) usque ad finem libri. Quae diligenter sunt consideranda, quia aperiunt intellectum ad totum librum. Ponit etiam modum, sicut ipse Virgilius (6) sacrificandi Phoebo, et responsa: ut in littera patet. Quae sunt distinguenda; et primo incipit auctor: *Principio geminas* (7).

Secundo dicit: quod sicut Africa iam senserat binas pestes, sic etiam postea sensit similiter, natiuitate Antalae origine (8) Guenfan; et ante ipsum erat pax in Libya, et ubertas, usque (9) ipse Antala fuit triginta annorum: et facit quamdam comparationem (10).

---

(1) Lib. III. u. I.
(2) V. 41.
(3) V. 52.
(4) Nempe apud Virg. *Aen.* lib. II. u. 3.
Infandum, regina, iubes renouare dolorem etc.
(5) Du Cange. *Glossar. Seriosus, Serius, Grauis, ex Gallico Serieux. Vinc. Beluac.* lib. 3. cap. 33. *Prudens ualde, nimis astutus, multumque Seriosus, et grauis in moribus.* Adde Pet. Azar. *Chronicon de Gestis Principum Vicecomitum in Prooemio* p. 2. edit. Mediolan. anni MDCCLXXI. *seriosius pertractabo.*
(6) *Aen.* lib. III. u. 358 et seqq.
(7) V. 63.
(8) Dicendum erat potius *patre.*
(9) Corrige: *usquequo.*
(10) V. 75-6.

Qui lactatus a feris fuit (1), ut fama uolat; usque ibi: *Namque Ammonis ipse* (2).

Tertio dicit: quod pater uidens hoc, uoluit scire, quae facturus erat ipse eius filius, et petit templa Apollinis (3), mactando animalia, et suadet sacerdotissae, quod uideat praedicta; usque ibi: *Funditur horrendis* (4).

Quarto dicit: quod facto sacrificio habuit horrendum responsum; et describit, sicut Virgilius (5), illarum feminarum morem, et multum notanter, faciens comparationem (6) de ea ad Vulcanum, quando flat cum follibus ad ignem; et demum praedicit, quod Antala debet esse causa destructionis Libyae; usque ibi: *Cur tantum* (7).

Quinto dicit: quod ipsa dicit: *O superi, cur tanta paratis* (8)? et praedicit uentura, usque ibi: *Talia* (9).

Sexto dicit: quod ipsa preuidissa (10) fecit, sicut faciunt Siculi (11), quando pulsant fistulam; et, dato responso, silet; usque ibi: *Septimus et decimus* (12).

Septimo dicit: quod cum ipse Antala esset decem et septem annorum furatus fuit ductorem gregis, ut

(1) V. 79.
(2) V. 81.
(3) In poëmate est *Ammonis.*
(4) V. 86.
(5) *Aen.* lib. III. u. 509. et seqq., et lib. VI. u. 46. et seqq.
(6) V. 102-3.
(7) V. 119.
(8) V. mox cit.: in quo tamen legitur:
Cur tantum, o superi, regnum turbare paratis?
(9) V. 141.
(10) Nempe quae paulo supra uocatur *sacerdotissa.* Deest tamen *preuidissa* in Glossariis infimae Latinitatis.
(11) Pro uoce *Sicubi* legitur in Codice u. 145. *Siculi*; ex quo errore originem traxit, quod hic somniat auctor Periocharum, quem puto fuisse eundem ac Codicis exscriptorem.
(12) V. 156.

Hercules (1), et portauit in antrum, et (2) ipsum interfecit pugno; et quod et cetera; et assuetus facit alia furta, et alia mala; usque ibi: *Iam tempus* (3).

Octauo dicit: quod regna steterant in pace per centum annos, et iste incepit uictoriari (4), et reducere se per siluas et loca fortia; et describit tempus aestatis (5), et alia pulcra; et facit comparationem de eo ad grandinem (6); usque ibi: *Ceu glauca* (7).

Nono dicit: quod Romani uicerunt, et parum stetit, quod factae sunt aliae guerrae; usque ibi: *Namque inter geminas* (8).

Decimo dicit: quod inter geminas praedictas pestes successit altera; et facit comparationem: quod Libyci ignorabant, quid facere deberent, sicut (9) nautae, in peste. Demum uirtute patris Iohannis (10); et ipsius reddita est pax post bella ferocia; usque ibi: *Tunc Carthago* (11).

Vndecimo dicit: *Facta est requies* (12), quousque Belisarius redit, et facta est iterum pax, licet

(1) Corrige: *ut Cacus*. Ex sequentibus tamen patet auctorem harum Periocharum tribuisse Herculi et id quod fecit Cacus, et quod ipse Hercules fecit occidendo Cacum; nam huius nomen in Codice commutatum fuit cum uoce *Cautus*.

(2) Supple hic *Hercules*.

(3) V. 184

(4) Du Cange *Gloss.* cit. *Victoriare*, *uictoriam adipisci*, *referre*, *apud S. Eulogium in Epist. ad Aluarum*, *et Sebastianum Salmoticensem Episcopum in Hist. Hisp. p.* 45. Deest tamen depon. *uictoriari*.

(5) V. 225-8.

(6) V. 256-9.

(7) V. cit. 256. Nota, etiam Schedam habere *glauca*, ut est in Codice, perperam pro *glaucam*.

(8) V. 269.

(9) V. 276.

(10) Perperam auctor Periocharum u. 280. intellexit, ut ibidem adnotaui de patre Iohannis.

(11) V. 308.

(12) V. 320.

paruo tempore durauerit; usque ibi: *Sed tempore paruo* (1).

Duodecimo describit mortalitatem, et proprie, sicut fuit M. iij. (2) xlviij. et Mediolani M. iijº. lx. (3); usque ibi: *Ast ubi pulsa* (4).

Decimotertio dicit: quod, fugata peste, resurgit bellum in Africa, et mortuo Salomon Stutias uexat omnes; usque ad finem libri quarti (5).

Ductor iacet (6). Quartus liber. Dicit auctor: quod ductor nolebat audire ulterius memorare tyrannum, et tot clades Libyae: et propterea abbreuiat dicta, dicens, quod Himerius (7) dux Romanorum erat obsessus a Mauris, et non poterat castrametari; et, dum essent obsessi, proditorie portauit quidam Sinon, ut refert Virgilius in secundo (8), litteras pro parte Iohannis: quod ipsi exire et uenire ei obuiam (9). Et

---

(1) V. 336.

(2) Hic omissum est c. supra iij., quod tamen adest in Codice ad u. 345.

(3) Hic in Scheda est parua lacuna; quare suspicor addendam esse unitatem. Reuera anno MCCCLXI. peste laborauit Mediolanum, de qua sic ait Petrarcha *Senil.* lib. III. Epist. I. *Mediolanum, urbem Ligurum caput ac metropolim usque ad inuidiam hactenus horum nesciam laborum, ut caeli salubritate et clementia, et populi frequentia gloriantem, sexagesimus primus annus et uacuam fecit et squalidam.* Petrus Azarius *Chron.* cit. cap. XIII. p. 273. ad annum MCCCLXII. haec testatus est: *Anno proxime praeterito aestiuo tempore coepit morbus Mediolani et in Comitatu inualescere, et in tantum inualuit, quod praetermissis, ut superius dictum est, omnibus remediis, in ciuitate et suburbiis breui tempore mortui sunt septuaginta septem millia uirorum; in comitatu uero tanti, quod numerus ipsorum non potest describi.* Confer Giulini *Continuazione delle Memorie di Milano.* P. II. p. 95. et seq.

(4) V. 391.

(5) Corrige: *tertii;* ut patet.

(6) Lib. IIII. u. I. ubi tamen legendum duxi: *Dum placet.* Hinc parum attendenda sunt, quae hic subdit auctor Periocharum.

(7) Scheda et Codex habent: *Imerius.*

(8) *Aen.* lib. II. u. 79. et seqq.

(9) Supple: *deberent.*

sic factum est. Et die clarescente, credentes inuenire suos, uiderunt inimicos; et, patefacto dolo, ignorabant uiam salutis, quia periculum erat ire, et retrocedere; usque ibi: *Mors erat ante oculos* (1).

Secundo dicit: quod, fugientes, inimici secuti sunt eos usque ad portas, et una cum eis intrabant urbem, nisi reliquerunt equos, et pedestri proelio pepulerunt hostes; usque ibi: *Irruerant gemini* (2).

Tertio dicit: quod gemini duces Languantan, et Naffur, et Stutias fingens uelle inde recedere, illi de terra uenerunt ad eum, et se dederunt cum certis pactis, ut in littera patet; usque ibi: *Africa dum tantis* (3).

Quarto dicit: quod dum Africa urgeretur tantis periculis Ariob uenit ab India (4), et Africa sensit adhuc grauiora mala et ab uno et ab alio duce; ut dicit Lucanus (5): *Nulla fides regni;* sicut dicit auctor de eis; et uenerunt ad discordiam. Et tunc uidens Iohannes diuisionem, confortat suos: quod probi sint; et facit pulcram orationem, usque ibi: *Dum mouet* (6).

Quinto narrat proelium, quod fuit inter eos, ualde eleganter, et qualiter in eo mortuus fuit Stutias. Ponit uerba, quae dixit in morte, ut Petrarcha: *Hic postquam*, usque ibi: *Occidit* (7).

---

(1) V. 32.
(2) V. 47.
(3) V. 82.
(4) Ex una uoce *Ariobindis* fecerat duas exscriptor Codicis, ideoque haec scribit auctor Periocharum.
(5) *Phars.* lib. I. u. 92.
(6) V. 136.
(7) V. 219.

Sexto dicit: quod morte sua sui crearunt ducem Guntarich (1), uolentes ulcisci mortem suam; qui fuit peior homo mundi, ut ipse auctor dicit. Vide litteram. Et si Stutias fuit ferus et malus, iste peior, et multa mala fecit. Et sic omni die Africa ueniebat ad nihilandum (2). Vsque ibi: *Talia commemorans* (3).

Septimo dicit auctor: quod Iohannes, his auditis, ingemuit pro pietate. Isto interim die inter (*sic*) et magister et tribuni ordinabant exercitum. Et Iohannes facit (*sic*) orat Deum, quod iuuet eos; usque ibi: *Haec memorans* (4).

Octauo dicit: quod, lota facie madida lacrimarum, etiam ascendens in quodam monticulo (5) pro alloquendo socios, ipsi circuierunt ipsum, ut apes (6) regem eorum. Et nota comparationem, usque ibi: *Armiger* (7).

Nono dicit: quod, sicut essent adunati, armiger (8) in tertio libro supra, miserat de consilio Recinarii ad tyrannum, reuersus est; et uallatus ab exercitu, cupido scire noua (9), quae portabat: et timentes

---

(1) Scheda habet *Gumtarich*. Quam uarie scriptum fuerit hoc nomen, uide in nota ad lib. III. u. 428.

(2) Maurini in *Glossar.* cit. habent *Nihilari*, *in nihilum recidere*, *exinaniri*, *mori*. *Rolandinus Patau. De factis in Marchia Taruisina lib.* 7. *cap.* 8. *Sed illic multi consumti fame*, *siti quoque arida Nihilati.*

(3) V. 247.

(4) V. 285.

(5) In Glossario Du Cangii deest haec uox: ubi Maurini addiderunt tantum *Monticulosus*. Fortasse id factum fuerat, quia aderat *Monticulus* in *Dictionariis* antiquis, ut etiam in illo Calepini edito Patauii anno MDCCXVIII. Attamen Forcellinus reiecit eam uocem in calce ad suum Lexicon inter verba barbara.

(6) V. 297-8.

(7) V. 304.

(8) Supple: *quem Iohannes*, *ut legitur.*

(9) Du Cange in *Glossar.* cit. *Nouum*, *uulgo Nouuelle. Vgutio*, *Rumor*, *murmur quod uulgo dicitur Nouum. Occurrit non semel in Epistolis Marini Sanuti.* Vide etiam quae addiderunt exempla ibidem Maurini, et

tamen, ne pax fieret, ipse refert responsa tyranni. Et ante describitur exentia (1) ipsius tyranni; usque ibi: *Vix ea legatus* (2).

Decimo dicit: quod, audito responso, dux et exercitus fecerunt, ut procella, quando rupit ripas. Deinde dux monet tacere; et tacent auidi audire deliberationem. Et dicit mirabilia, usque ibi: *Dixerat, et saltu* (3).

Vndecimo dicit auctor: quod, finita oratione, ascendit (4) sonipem (*sic*) regaliter munitus, et ibat per campum rutilando, sicut nubes, quando ascendit olympum; et equi laetantur, et uoluunt se a dextris et sinistris. Et adeo proprie describit auctor mores generosorum equorum: quod mirum est. Deinde ordinat acies, et apparatus ad pugnam: quod non fuit umquam doctius descriptum; usque ibi: *Bellorum ut princeps* (5).

Duodecimo narrato apparatu Iohannis, narrat apparatum partis aduersae, usque ibi: *Iamque propinquabant* (6).

Carpentier in *Supplemento* ad idem *Glossar.*, ubi inter alia hoc refert exemplum ex *Computo anni* 1482. *Equiti qui portauit Noua matrimonii domini Dalphini.*

(1) *Exentia* deest in citatis *Glossariis*, sed adest tantum *Essentia*, de qua 2 loco Maurini haec addiderunt: *Essentia, Status, Conditio. Barthii Glossarium in Hist. Palaest. Baldrici Dolensis. Postquam uero fuerunt Turci edocti de nostra Essentia, coeperunt paulatim urbe exire* etc.

(2) V. 393.

(3) V. 457.

(4) Supple: *Dux.*

(5) V. 597. In Ms. autem legitur: *Bellorum at princeps;* sed puto corrigendum esse: *Maurorum at princeps.*

(6) V. 645. Hic desinit prima Scheda reperta in Codice. Altera, quae continere debebat ceteras Periochas lib. IIII, et illas libri V., est deperdita: quod facillime potuit euenire, quia Codici nullo modo schedae ipsae adhaerebant.

Interea ductor (1). Liber sextus, in quo dicit auctor: quod, a proelio discedentes, uenerunt ad quandam ciuitatem, in qua refecerunt se et cibo et potu et requie. Tamen semper cogitabat (2) in somnis reparatio (*sic*) gentis suae, et dolebat de mortuis: et, dum sic ploraret, Recinarius, qui erat eius pars animae consolabatur eum. Et Iohannes dicit ista pulcra uerba, usque ibi: *Tunc placidus* (3).

Secundo Recinarius respondit cum magna grauitate dictis ductoris; et consulit, quae sunt fienda, usque ibi: *Consilium placuit* (4).

Tertio ordinat (5), quod adimpleantur consulta; et lotat (6) sibi manus et faciem, et orat in hunc modum. Vide usque ibi: *Hic pater* (7).

Quarto dicit: quod dominus motus est ad eius preces; et redeunt multi, qui aufugerant, et se absconderant, propter quae una cum ipsis uadit ad Missam, et celebra (8), cum multis lacrimis consolatur ipsos his uerbis, usque ibi: *Laetificans alios* (9).

Quinto dicit: quod ordinat, et reformat exercitum; et quod omnes redeant ad loca sua: et mittit ad explorandum pro suis, si qui inuenirentur. Deinde

---

(1) Lib. VI. u. 1.
(2) Suppleatur: *Dux*.
(3) V. 50.
(4) V. 73.
(5) Supple: *Ductor*.
(6) Deest adhuc hoc barbarum uerbum in *Glossariis infimae Latinitatis*.
(7) V. 107.
(8) Sic in Scheda pro *et celebrata*. Nihil autem de Missae sacrificio legitur hoc loci in poëmate. Exscriptor Codicis u. 114. fecerat *Arae ciens* contra rationem metri pro *Aere ciens*, ut requirit etiam sensus, et ut monui ad eundem versum.
(9) V. 133.

uisitam (*sic*) ciuitatem, quam Iustinianus alias composuerat (1); usque ibi: *Coniugis interea* (2).

Sexto dicit: quod coniunx illius nobilis ducis Iohannis suffocati, perquirens noua uiri, inuenit, quod mortuus est. Et nota morem mulierum dolentium adeo proprium, quod mirum est. Et nota eius pulcram orationem in fine, usque ibi: *At pater ibi* (3).

Septimo dux ordinat, et Petrus eius filius iuuenis senex, qui adeo timebatur: quod mirum est; et auctor eum commendat, usque ibi: *Plaustra* (4).

Octauo dicit auctor: Fulciunt se armis et uictualibus; et fecit ductor pacem fieri inter illos discordantes; et ordinata ordinanda, ut in littera, ueniunt ad pugnam, usque ibi: *Nuntia pennatis* (5).

Nono dicit auctor: quod fama iuit ad Mauros; quod magnum adiutorium successit Romanis, et Guenfeius (6) consulit: uide litteram; quod consilium placuit, licet non fuisset utile, quia Iohannes noluit illa die proeliari; et Mauri a calore sunt desiccati: usque ibi: *Vidit* (7).

Decimo, quod Iohannes posuit se iuxta flumen, et reconciliati (*sic*) aquis sunt. Mauri hoc uidentes coeperunt timere; usque ibi: *Syrtica castra* (8).

Vndecimo dicit: quod Mauri uersi in fuga capiebantur, et trucidabantur. Tamen tribunus commotus

---

(1) In Scheda: *compusuerat.*
(2) V. 154.
(3) V. 199.
(4) V. 236.
(5) V. 288.
(6) In Scheda est: *Guenferus.*
(7) V. 333.
(8) V. 351.

tantae caedis, coepit quatuor nobiles; et, ut scirentur secreta ipsorum, misit ligatos ad Iohannem, qui panderunt multa ductori: usque ibi: *Finierat* (1).

Duodecimo Iohannes exarsit contra eos, et dixit illa uerba contra eos; et demum uoluit, quod ipsi cum praeconio dicerent omnia eorum prodimenta (2) populo; et sic fecerunt: usque in finem libri (3).

Postquam consilium (4). Liber septimus. Dicit auctor: quod Iohannes auditis praedictis, fecit, sicut hirundo, quando uult facere nidum, et cetera; et dixit suis illa verba. Vide litteram usque ibi: *Vix ea fatus erat* (5).

Secundo dicit: quod, audita deliberatione ductoris, omnes feruent in armis, et uadunt contra inimicos, qui, audientes rumorem gentium, fugiunt ad montes, et remanet campus eis; usque ibi: *Dum trahit illa dies* (6).

Tertio dicit: (7) nascitur quaestio inter eos (8).

---

(1) V. 498.

(2) Maurini in *Glossario* Du Cangii aiunt: *Prodimentum*, *Proditio. Chron. Domin. de Grauina apud Murator. tom.* 12. *col.* 555. *Regni Magnates . . . Prodimento decepti.*

(3) Hic desinit secunda Scheda.

(4) Lib. VII. u. 1.

(5) V. 33.

(6) V. 49. In Codice autem est: *ille dies.*

(7) Supple *quod.*

(8) Hic desinit tertia Scheda, nec uidetur auctor Periocharum processisse ulterius in eis conscribendis.

CORRIGENDA.

Littera P. *paginam indicat*, u. *uersum in Poëmate*, V. *uersum in Notis*, l. *lineam*.

P.	10.	u.	222.	portus	*corrige*	Portus
P.	11.	u.	247.	classes *ut in Ms., sed*	*corr.*	classi
P.	18.	u.	501.	*post* sperare	*adde*	*coma.*
P.	25.	u.	113.	Ifarac	*corr.*	Ifurac
P.	32.	u.	337.	miro	*corr.*	misto
P.	34.	u.	382.	manus?	*corr.*	manus.
P.	40.	u.	88.	quae saeuit	*corr.*	quaesiuit
P.	41.	u.	89.	fibris	*corr.*	fibras
P.	45.	u.	219.	septos	*corr.*	septas
P.	47.	u.	290.	planos	*corr.*	plenos
P.	ead.	u.	294.	spectabit *ut in Ms., sed.*	*corr.*	spectauit
P.	63.	u.	322.	ditem . . . diuis	*corr.*	Ditem . . . Diuis
P.	64.	u.	374.	Ilaguas	*corr.*	Ilasguas
P.	71.	u.	597.	Bellorum *ut in Ms., sed*	*corr.*	Maurorum
P.	74.	u.	685.	resonant	*corr.*	regemunt
P.	ead.	u.	694.	cunctique	*corr.*	animique
P.	75.	u.	716.	Asper	*corr.*	Acer
P.	ead.	u.	718.	Eilenare	*corr.*	Eilimare.
P.	76.	u.	748.	Mantysinan	*corr.*	Mantisynan
P.	79.	u.	826.	*post* succurrite	*dele*	*coma.*
P.	83.	u.	955.	arena	*scribe*	harena
P.	84.	u.	997.	pagna	*corr.*	pugna
P.	87.	u.	1105.	*post* necabat	*adde*	*coma.*
P.	ead.	u.	1106.	*post* Syrtica	*dele*	*coma.*
P.	112.	u.	728.	Spumens	*corr.*	Spumeus
P.	121.	u.	194.	ore *ut in Ms., sed*	*corr.*	ire
P.	124.	u.	281.	innumeris	*corr.*	innumeras
P.	131.	u.	530.	apertos	*corr.*	apertas
P.	142.	u.	308.	Tenarius	*corr.*	Taenarius
P.	150.	u.	553.	terram	*corr.*	tergum

P. 162. l. 3. trisyllabus *corrige* quadrisyllabus
P. 172. V. 197. l. 1. poterat *corr.* poteram
P. 183. V. 364. fugiantque *corr.* fugiuntque
P. 187. V. 438. *post* Sic. *dele punctum.*
P. 189. V. 447. l. 1. *post* primos *adde coma.*
P. 207. V. 72. l. 1. quosque *corr.* quasque
P. 208. V. 89. l. 2. 286. *corr.* 283.
P. 217. V. 256. l. 2. *post* Amorum *dele punctum.*
P. 220. V. 301. infaustis *corr.* infaustos
P. 240. V. 156. l. 3. DXXX. *corr.* DXXIX.
P. 255. V. 317. Germano. *Nunc mihi uidetur non proprium, sed potius appellatiuum hoc nomen esse, et loqui Caecilides de Pampo germano idest fratre Iohannis.*
P. 259. V. 355. l. 1. tum *corr.* tunc
P. 282. V. 209 l. 1. Cum *corr.* Cur
P. 284. V. 332. *corr.* V. 232.
P. 300. V. 445. *corr.* V. 447.
P. 308. V. 569. l. 7. Ludus *corr.* Ludum; *et in fine eiusdem Notae adde:* Eumdem uel fere similem Ludum uiguisse quoque Cremonae adhuc saeculo XVI. narrat Ant. Campus Libro secundo Historiae illius urbis ad annum MCCL. p. 44. editionis anni MDLXXV., ubi haec leguntur: *Non tacerò quello che affermano alcuni, l'usanza di far correr il Toro ogn' anno nel giorno dell' Assunzione di Maria Vergine hauer hauuto origine in questo tempo* (anno praedicto MCCL.), *per memoria della sopradetta vittoria* (quam Cremonenses retulerant de Parmensibus), *per esser quell' animale insegna de' Parmegiani. È durata quest' usanza, o più tosto abuso, sino all' anno M. D. LXXV. nel qual anno essendo venuto in Cremona Carlo Borromeo Cardinale di Santa chiesa, Arciuescouo di Milano, e Visitator Apostolico, per far la visita della Chiesa Cremonese, fu per riuerenza (mi credo) di tant' huomo intermessa et lasciata del tutto.*
P. 321. V. 797. l. 2. lib. I. *corr.* lib. V.
P. 332. V. 1062. l. 1. mattate *corr.* mactate
P. 353. V. 392. l. 2. *post* cet. *adde:* Scio apud Gell. lib. XIIII. cap. I. et lib. XVII. cap. II. esse exempla Accii et Q. Claudii

Quadrigarii, qui dixerunt *domus suas;* sed eorum aetas nimis distat ab illa Corippi.

P. 338. V. 33. l. ult. *post* fuerunt *adde;* sed hoc euenit uel eodem tempore, quo Iohannes erat in Africa, uel paulo post.

P. 368. V. 89. l. 1. *post* Sic. *dele punctum.*

P. 373. l. 5. De *non erat imprimendum caractere, ut aiunt, corsiuo.*

P. ead. V. 155. l. 3. Hanoniae *corr.* Hanouiae

P. 390. V. 36. l. 2. carhasan *corr.* carthasan

P. 398. V. 308. l. 1. Tenarium *corr.* Taenarium

Ibid. l. 3. De Ioue *etc. dele, et adde:* Taenarius Iouis uocatur hic Pluto a Corippo, sicuti est Stygius, et Tartareus, et niger Iupiter apud Ouidium, Val. Flaccum, et Senecam tragicum, nec non in Inscriptionibus apud Gruterum p. XXIII, n. 6. et 7.